PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXVIII / ~~FASC. I~~

~~15 mart.~~ 1949

38
1949



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1949

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE APOSTOLATU LITURGICO IN LITTERIS ENCYCLICIS "MEDIATOR DEI ET HOMINUM"

Anno praeterito multa dicta et scripta sunt de encyclica « Mediator Dei et hominum », ita ut iam iudicium de eius acceptatione in orbe catholica fieri possit. Cum documentum pontificium habeat magnum ambitum ac dicendi genus terminologiae theologicae et liturgicae non commune praeseferat, sed praecipue cum sententiis abundantissimum sit, im promptu est inter multitudinem dissertationum et acroasium plura inveniri quae a recto dicendi ac diiudicandi ordine deflectunt. Mirum non est, nam ad hoc altissimi pretii documentum plane percipiendum tempus ad studium placidum ac grave sumendum est. Si non dissertationes solidas, quae - quod sua sponte intelligitur - etiam magno numero editae sunt, sed copiam literaturae attendimus, quae ad sic dictam vulgarisationem pertinet, quaeri potest num aequilibritas, quae in encyclica magnopere optatur, revera orta sit.

Sunt promotores actionis liturgicae, qui sic loquuntur: hodiernus apostolatus liturgicus Romae approbationem non invenit, quod mirum non est, nam in ipsa Urbe vita liturgica non existit; per encyclicam actio liturgica multum reducta est; plura quae ut excessus vel fallaciae proponuntur, sine veris causis suis et circumstantiis exhibentur; ad pietatem fidelium genuinam instaurandam encyclica nullatenus usui esse potest; immo falso his litteris inscriptus est titulus: de sacra Liturgia. Alii « li-

turgistae » sententias encyclicae secundum sua proposita detorserunt vel tantum quae placent assumpserunt.

Tandem aliquando surgunt adversarii apostolatus liturgici: encyclica actioni liturgicae finem imposuit, ea enim a recta via pietatis christianae aberrat; ergo sacra Liturgia locum in vita ascetica non obtinet. Saepius tamen adversarii principia liturgica proposita tantopere debilitant ne impediantur in suis viis usitatis.

Quae oracula forte multis incredibilia sint, qui hanc literaturam non legere solent; tamen ad probanda quae indicavimus, nolumus dissertationes indicare vel nominum mentionem facere; immo vero, plures qui sic scripserunt vel dixerunt, sunt acerrimi Regni Christi defensores ac propagatores. Illa prima reactio temeraria facile explicatur: audaces se sentiunt lacessitos, segnes vicisse sibi videntur; insuper haec encyclica maiores in controversias vocat, quia versatur in praxi. Omnes homines moderati bene sciunt prima tempestate sedata vocem beatissimi Patris fructus salutiferos editur am esse.

Ad aequilibritatem maturandam modeste hac in dissertatione nobis proposuimus, sincere ex ipso textu encyclicae demonstrare quo animo beatissimus Pater in hodiernam actionem liturgicam affectus sit. Attamen si obiective constat de doctrina genuina. unica via aperta est: quod docet Ecclesia norma agendi sit. Videbimus ergo, quomodo dilaudetur atque commendetur apostolatus liturgicus, deinde quae sententiae, proposita ac stimuli ei maxime faveant, tandem e contra qui excessus notentur, denique quomodo de spiritu aliturgico iudicetur [1].

---

[1] nr. .... indicant alineas encyclicae, quae in pluribus edi tionoibus numeratae sunt; AAS ... indicant paginas Actorum Apostolicae Sedis 39 (1947). In translatione italiana, ut habetur in « La Civiltà Cattolica » 20 Dec. 1947, sub numeris 62 et 123 duae alineae habentur ita ut 206 alineae hic computentur loco 208, quae in AAS existunt.

I. — DILAUDATIO ET COMMENDATIO APOSTOLATUS LITURGICI.

1. *Finis encyclicae est*, ut fideles satius intelligant plurisque faciant pertiosissimum thesaurum, qui in sacra Liturgia continetur: Eucharisticum nempe Sacrificium, Crucis Sacrificium repraesentans et renovans; Sacramenta, quae divinae gratiae divinaeque vitae rivuli sunt; ac laudis hymnum, quem terra caelumque cotidie ad Deum extollunt (nr. 203, AAS 594). Quamobrem omnibus votis Deus expetitur benignus nobis omnibus concedere ut, una mente unoqueque animo, hoc in terrestri exsilio sacram participemus Liturgiam, quae sit veluti praeparatio quaedam atque auspicium caelestis illius Liturgiae, qua, ut confidimus, una cum summa Dei Genitricis dulcissimaque Matre nostra, aliquando concinemus: « Sedenti in throno et Agno: benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum ». (nr. 207, AAS 594-595).

2. *Apostolicae Sedis in genere et Pii Papae XII in specie cura de liturgico apostolatu* perspicua est, nam omni virium contentione nisi sunt (nr. 6, AAS 523):

a) ut credita sibi plebs recto imbueretur actuosoque Liturgiae sensu;

b) ut sacri ritus debita dignitate extrinsecus etiam eniterent;

c) ut fideles Eucharisticum Sacrificium impensius usque participarent (PIUS XII, *Allocutio ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis*: *de natura et efficacia orationis;* die 13 Mart. 1943: AAS XXXV 1943, p. 112-114);

d) ut liturgicae preces rectius intellegerentur earumque veritas atque suavitas perciperentur facilius (PIUS XII, Motu proprio « *In cotidianis precibus* »: de novae psalmorum conversionis latinae usu in persolvendo divino officio; die 24 Mart. 1945: AAS XXXVII 1945, p. 65-67).

3. *Apostolatus liturgicus enixe omnibus episcopis commendatur*: Vos autem enixe adhortamur, Venerabiles Fratres, ut erroribus ac fallaciis remotis, iisque omnibus prohibitis, quae veritatem rectumque ordinem egrediantur, ea incepta provehatis, quae altiorem populo impertiant sacrae Liturgiae cognitionem; ita quidem ut ipse aptius queat atque facilius divinos ritus eo animo participare, quo christianos addeceat (nr. 184, AAS 587).

4. *Dilaudatio apostolatus liturgici in genere.*

In homilia beatissimi patris Pii papae XII inter Missarum sollemnia celebrata in basilica patriarchali S. Pauli extra moenia ob decimum quartum exactum saeculum ab obitu S. Benedicti Nursini, habita die 18 mensis septembris anno 1947, dictum est: Haud exigua vobis laus tribuenda, quod sacrae Liturgiae, quae magno nomine a vobis dictitata est opus Dei, tanta diligentia et cura vacatis; atque procul dubio hortandi sunt usque fideles, ut publicis Ecclesiae ritibus ac precibus religiosa attentione et communicatione intersint, ac praesertim christiana festa vario et plena celebrent gaudio » (AAS XXXIX 1947, p. 455).

Quae dilaudatio in encyclica pluries iteratur:

a) sub superioris saeculi exitum huiusque initium singularis excitata est liturgicorum studiorum concertatio cum ex privatorum hominum laudabili nisu, tum praesertim ex impensa ac sedula navitate quorumdam coenobiorum incliti Benedictini Ordinis; itaque non modo in multis Europae nationibus sed in transmarinis etiam terris laude digna et frugifera succrevit hac in re contentio (nr. 4, AAS 523);

b) id genus studia ob salutares, qui inde proficiscuntur, fructus, haud mediocre Nobis afferunt solatium (nr. 7, AAS 524);

c) Nobis officium est, quod recte sit factum dilaudare ac commendare (nr. 9, AAS 524).

Salutares fructus, propter quos apostolatus liturgicus dilaudatur et commendatur, colliguntur (nr. 4, AAS 523):

a) in sacrarum disciplinarum campo, ubi liturgici Occidentalis Orientalisque Ecclesiae ritus satius fuere altiusque pervestigati ac cogniti;

b) in spirituali privataque multorum christianorum vita.

Tandem aliquando enumerantur fructus dilaudati apostolatus (nr. 5, AAS 523):

a) Augustae altaris Sacrificii caerimoniae magis fuere notae, perceptae, existimatae;

b) Sacramenta latius crebriusque participata;

c) Liturgicae preces degustatae suavius;

d) Eucharistiae cultus — quod reapse retinendum est — christianae veri nominis pietatis fons et caput habitus est;

e) magis in sua luce positum fideles omnes unum arctissimumque efficere corpus, cuius caput est Christus;

f) magis in sua luce est positum christiano populo officium esse liturgicos aequo modo participare ritus.

Cui dilaudationi annectitur tamen quoddam monitum: Haud tamen imprudentes existiment, tum se a Nobis exornari laudibus, cum neglegentes atque ignavos corrigimus (nr. 10, AAS 524).

5. *Dilaudatio in specie.*

a) *Doctrina de fidelium participatione in oblatione sacrificii eucharistici* (nr. 93, AAS 556): Magno cum animi gaudio certiores facti sumus eiusmodi doctrinam, postremis hisce praesertim temporibus, ob impensius multorum liturgicae disciplinae studium, in sua luce fuisse collocatam.

b) *Media ad promovendam participationem fidelium* (nr. 104, AAS 560): Laudibus ii digni sunt, qui eo consilio ducti, ut christiana plebs Eucharisticum Sacrificium facilius salubriusque participet, « Missale Roma-

num» apte in populi manibus ponere conantur, ita quidem ut fideles, una cum sacerdote copulati, iisdem eius verbis iisdemque Ecclesiae sensibus comprecentur;

itemque ii laudibus exornandi sunt, qui efficere contendunt, ut Liturgia externo etiam modo actio sacra fiat, quam reapse adstantes omnes communicent. Id quidem non una ratione contingere potest; cum nimirum universus populus, ex sacrorum rituum normis, vel sacerdotis verbis recto servato ordine respondet, vel cantus edit, qui cum variis Sacrificii partibus congruant, vel utrumque facit, vel denique cum in Sacris sollemnibus alternas Iesu Christi administri precibus dat voces unaque simul liturgica cantica concinit.

c) *Communio fidelium hostiis in ipsa Missa consecratis* (nr. 119, AAS 565): Ii dilaudandi sunt, qui, Sacro adstantes, hostias in eodem Sacrificio consecratas accipiant.

d) *Studium antiquitatis*: Vetustae aetatis Liturgia veneratione procul dubio digna est (nr. 60, AAS 545). Ad sacrae Liturgiae fontes mente animoque redire sapiens profecto ac laudabilissima res est (nr. 61, AAS 545).

II. — Sententiae, proposita ac stimuli, quae apostolatui liturgico maxime favent.

Quatuor capita, quae in encyclica habentur, dicenda sunt fundamenta et leges aureae apostolatus liturgici:

A. *De notione sacrae Liturgiae.*

Sacra Liturgia cultum publicum constituit, quem Redemptor noster, Ecclesiae Caput, caelesti Patri habet; quemque christifidelium societas Conditori suo et per ipsum aeterno Patri tribuit; utque omnia breviter perstringamus, integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius (nr. 20, AAS 528-529).

Sacra Liturgia ergo non est mera legum praeceptorumque summa (nr. 25, AAS 532) nec munus solius sacerdotis, sed constituit summum officium Mystici Corporis Christi; sacra Liturgia continuatio est illius glorificationis, quam Iesus Christus in sua vita terrestri Patri perhibuit, a tota Ecclesia: hoc in terrestri exsilio sacrum cotidie magis succrescat templum, in quo divina Maiestas gratum accipit legitimumque cultum (nr. 20, AAS 528).

Ex hax pulcherrima et profundissima definitione sacrae Liturgiae conclusiones pretiosissimae colliguntur:

1. « Theocentrica », recte ordinata atque composita omnia sint, si reapse volumus ut omnia ad Dei gloriam dirigantur per vitam virtutemque, quae in nos ex divino Capite permanat (nr. 33, AAS 535-536).

2. « Devotio », quae est germana verique nominis pietas, principalis est religionis virtutis actus, actus scil. quo homines recte ordinantur, ad Deum apte diriguntur, atque ultro libenterque ad ea omnia se dedunt quae ad divinum cultum pertinent (nr. 32, AAS 534).

3. Procul dubio liturgica precatio privatis precibus potiore excellentia praestat, cum publica sit inclitae Iesu Christi Sponsae supplicatio (nr. 37, AAS 537) et Ecclesia sacerdotale Iesu Christi munus imprimis per sacram Liturgiam pergit (nr. 3, AAS 522; cfr. nr. 179, 181 et 182, AAS 586-587, ubi habentur applicationes huius principii).

4. Efficacitas sacrae Liturgiae, si de Eucharistico Sacrificio ac de Sacramentis agitur, *ex opere operato* potius ac primo loco oritur. Si vero vel actionem illam consideramus intaminatae Iesu Christi Sponsae, quae eadem precibus sacrisque caerimoniis Eucharisticum adornat Sacrificium et Sacramenta; vel si de « Sacramentalibus » ac de ceteris ritibus agitur, quae ab Ecclesiastica instituta sunt Hierarchia, tum efficacitas habetur potius *ex opere operantis Ecclesiae*, quatenus ea sancta est atque arctissime cum suo Capite coniuncta operatur (nr. 27, AAS 532). Quo in contextu liturgicae preces, caerimoniae et

ritus Sacramentalibus adaequantur et quidem quoad efficacitatem ex opere operantis Ecclesiae.

5. Pars exterior sacrae Liturgiae non gravis tantum momenti est sed etiam necessaria propter sequentes rationes:

a) id natura postulat hominis, qui ex animo corporeque constat;

b) divina dispositione factum est, ut « dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur »;

c) quidquid ex animo profluit, naturali modo per sensus exprimitur;

d) divinus cultus non tantum ad singulos pertinet, sed ad humanam etiam consortionem, atque adeo socialis sit oportet, quod profecto esse nequit, nisi in religionis etiam rebus externa habeantur vincula externaeque significationes;

e) id denique Mystici Corporis unitatem peculiari modo patefacit in suaque luce ponit, sancta eius studia adauget, eius vires corroborat, eiusque actionem impensiorem cotidie efficit (nr. 23, AAS 530-531).

6. Sacra Liturgia non est res mortua sed viva: Ecclesia procul dubio vivens membrorum compages est, atque adeo in iis etiam rebus, quae ad sacram respiciunt Liturgiam, succrescit, explicatur atque evolvitur, et ad necessitates rerumque adiuncta, quae temporum decursu habeantur, sese accommodat atque conformat, sarta tamen tectaque servata suae doctrinae integritate (nr. 58, AAS 544). Pro rerum adiunctis christianorumque necessitatibus cultus instruitur, evolvitur novisque ritibus, caerimoniis ac formulis ditatur. Ita animus satius aptiusque ad Deum erigitur; ac Iesu Christi sacerdotium per omnem saeculorum decursum nullo non tempore viget, cum sacra Liturgia nihil aliud sit, nisi huius sacerdotalis muneris exercitatio (nr. 22, AAS 529).

Rationes evolutionis liturgicae etiam indicantur: Sa-

cra enim Liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis; haec autem, ut patet, cum a Divino Redemptore constituta fuerint, nullo modo ab hominibus mutari possunt; illa vero, prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas Ecclesiastica Hierarchia, S. Spiritus auxilio innixa, comprobaverit. Inde miranda illa oritur orientalium atque occidentalium rituum varietas; inde progrediens incrementum proficiscitur, quo peculiares excolendae religionis consuetudines ac peculiaria pietatis opera pedetemptim evolvuntur, et quorum tenue dumtaxat indicium superioribus aetatibus habebatur; atque inde etiam interdum evenit, ut pia hac in re instituta, temporis decursu oblitterata, iterum in usum revocentur, iterumque renoventur. Haec omnia intemeratae Iesu Christi Sponsae vitam per tot saecula vigentem testantur; sacrum exprimunt eloquium, quod labentibus temporibus eam inter divinumque eius Sponsum intercessit, ut suam ac sibi creditarum gentium fidem suumque amorem inexhaustum profiteretur; itemque sapientem illam demonstrant institutionem ac disciplinam, qua in credentibus « sensum Christi » excitat ac cotidie magis adauget (nr. 49, AAS 541-542).

B. *Sacrificium Missae est centrum sacrae Liturgiae.*

Christianae religionis caput ac veluti centrum Sanctissimae Eucharistiae Mysterium est, quam olim Summus Sacerdos Christus instituit, quamque per suos administros perpetuo in Ecclesia renovari iubet. Sacrae Liturgiae res maxima est (nr. 65, AAS 547). Cultus, quem Ecclesia aeterno Numini tribuit, in Eucharistico praesertim Sacrificio nititur Sacramentorumque usu (nr. 136, AAS 572). Ecclesia sacerdotale Iesu Christi munus primario loco pergit ad altaria, ubi Crucis Sacrificium perpetuo repraesentatur et renovatur (nr. 3, AAS 522). Augustum altaris Sacrificium divini cultus praecipua actio est; oportet igitur christianae etiam pietatis sit fons ac veluti centrum (nr. 199, AAS 592).

C. *De fidelium participatione in oblatione Sacrificii Eucharistici.*

1. Ipsum factum primo simpliciter notatur: fideles etiam divinam offerunt hostiam (nr. 84, AAS 554). Opus est prorsus ut singillatim homines vitali modo Crucis Sacrificium attingant (nr. 76, AAS 551). Socius fidelium labor, vel actuosa singulorum participatio, requiritur (nr. 77, AAS 551).

2. Ratio huius datur: Nec mirum est fideles ad huiusmodi dignitatem elevari. Baptismatis enim lavacro, generali titulo christiani in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi sacerdotis, et « *charactere* » qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur; atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua conditione participant (nr. 87, AAS 555).

3. Fideles suae dignitatis conscii sint: Animadvertant igitur fideles ad quam eos dignitatem sacrum Baptismatis lavacrum evexerit; neque satis habeant generali ea mentis intentione, quae Christi membra Ecclesiaeque filios decet, Eucharisticum participare Sacrificium, sed cum Summo Sacerdote eiusque in terris administro, ex sacrae Liturgiae rationibus, ultro arctissimeque coniuncti, una cum eodem tum peculiari modo devinciantur, cum divinae Hostiae consecratio peragitur, eamdemque una cum eo offerant, cum sollemnia illa verba pronuntiantur: « Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum »; quibus quidem verbis populus respondet: « Amen » (nr. 103, AAS 559-560). Expedit enim, fideles omnes animadvertant summo sibi officio esse summaeque dignitati Eucharisticum participare Sacrificium; idque non quiescenti neglegentique animo et ad alia excurrenti atque vaganti, sed tam impense tamque actuose ut cum Summo Sacerdote arctissime coniugentur (nr. 79, AAS 552).

4. Media actuosae participationis enumerantur et commendantur:

a) universus populus in Sacris sollemnibus alternas Iesu Christi administri precibus dat voces unaque simul liturgica cantica concinit (nr. 104, AAS 560; cfr. nr. 190, AAS 589);

b) Missa dialogata (Gemeinschaftsmesse): fideles, sacris assistentes ritibus, suas preces cum sacerdotis precibus alternis vocibus conserant (nr. 89, 104, AAS 555, 560).

N. B. Missa dialogata in locum augusti Sacrificii sollemniter peracti suffici non potest; quod quidem, etiamsi adstantibus solummodo sacris administris fiat, ob rituum maiestatem caerimoniarumque apparatum peculiari fruitur dignitate sua, cuius tamen splendor et amplitudo, si frequens pietateque praestans populus adsit, ut Ecclesiae in votis est, summopere adaugetur (nr. 105, AAS 561).

c) Universus populus cantus edit, qui cum variis Sacrificii partibus congruant (Singmesse; nr. 104, AAS 560; cfr. nr. 192, AAS 590);

d) Populus utrumque facit, scil. sacerdotis verbis recto servato ordine respondere et cantus edere (Betsingmesse; nr. 104, AAS 560);

e) « Missale Romanum » apte in populi manibus ponitur, ita quidem ut fideles, una cum sacerdote copulati, iisdem eius verbis iisdemque Ecclesiae sensibus comprecentur (nr. 104, AAS 560);

f) Fideles nonnumquam administris altaris panem vinumque offerunt, ut Christi corpus et sanguis fiant (nr. 89, AAS 555);

g) Fideles eleemosynis id agunt, ut sacerdos divinam victimam pro iisdem offerat (nr. 89, AAS 555).

Eo quoque omni ope contendite, ut iis rationibus atque adiumentis, quae prudentia vestra ad rem aptiora iudicaverit, clerus populusque mentium animorumque uni-

tate inter se copulentur; atque adeo christiana plebs Liturgiam tam actuose participet, ut haec reapse sacra actio fiat, in qua sacerdos, qui praesertim in sibi credita paroecia animorum curae incumbit, cum populari coetu consociatus, debitum tribuat aeterno Numini cultum (nr. 197, AAS 592).

D. *De Communione fidelium.*

1. Valde opportunum est, quod ceteroquin Liturgia statuit, populum ad sacram accedere synaxim, postquam sacerdos divinam dapem ex ara libaverit (nr. 119, AAS 565).

2. Ii dilaudandi sunt, qui hostias in eodem Sacrificio consecratas accipiant (nr. 119, AAS 565); ipse sacerdos satisfaciat huic pietati et iustae petitioni; Ecclesia probat atque cupit ne id omittatur, eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur (nr. 117, AAS 564).

3. Quodsi causae interdum non desunt, nec rarae sunt, cur Eucharisticus panis vel ante vel post Sacrificium ipsum distribuatur, et cur etiam — quamvis sacra habeatur synaxis statim ac sacerdos se caelesti epulo cibaverit — hostiis tamen id fiat iam superiore tempore consecratis, fideles nihilo secius pro sua quisque parte debent, quidquid sacra Liturgia suadeat, non facile spernere, ac quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat (nr. 120, AAS 566).

N. B. Ex his verbis patet abusum esse S. Communionem inter Missarum sollemnia distribuere alio momento ac post Communionem ipsius celebrantis.

Praeter haec quatuor capita, quae fundamenta apostolatus liturgici dicenda sunt, exstant plura, quae eidem gratissima sunt:

1. *Divinum Officium* est Mystici Jesu Christi Corporis precatio, quae christianorum omnium nomine eorum-

que in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et a religiosis sodalibus fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis (nr. 140, AAS 573).

2. Summopere optandum et, ut fideles *laudes vespertinas*, quae in sua cuiusque curia habeantur, recitando vel canendo actu participent; pia haec consuetudo in usu esse ne desinat, et ubicumque obsolevit, iterum pro facultate effecta detur. Quod tum procul dubio salutaribus cum fructibus fiet, cum vespertinae laudes non solum digne ac decore persolventur, sed ita quoque ut variis modis fidelium pietatem suaviter alliciant. Perdiscant pro viribus omnes eas formulas retinere, quae in precibus ad vesperam habitis concinuntur, earumque significatione suos imbuant animos (nr. 148, AAS 575-576).

3. *Liturgicus annus*, quem Ecclesiae pietas alit ac comitatur, non frigida atque iners earum rerum repraesentatio est, quae ad praeterita tempora pertinent, vel simplex ac nuda superioris aetatis rerum recordatio. Sed potius est Christus ipse, qui in sua Ecclesia perseverat, quique immensae misericordiae suae iter pergit, quod quidem in hac mortali vita, cum pertransiit benefaciendo, ipse pientissimo eo consilio incepit, ut hominum animi mysteria sua attingerent ac per eadem quodammodo viverent; quae profecto mysteria praesentia continenter adsunt atque operantur (nr. 163, AAS 580). Per liturgici anni decursum non modo Iesu Christi mysteria, sed Sanctorum etiam caelitum festa celebrantur, quae tamen de inferiore ac subiecto ordine sunt (nr. 164, AAS 581).

4. *Sacra Liturgia pertinet ad fontes theologicos*: Quotiescumque de aliqua definienda veritate divinitus data actum est, Summi Pontifices ac Concilia, cum ex « Fontibus Theologicis », quos vocant, haurirent, ex sacra etiam hac disciplina haud raro argumenta duxere; quemadmodum verbi gratia Decessor Noster imm. mem. Pius IX fecit, cum immaculatam Mariae Virginis conceptionem decre-

vit. Atque eodem fere modo Ecclesia ac SS. Patres, cum de aliqua veritate dubia controversaque disceptabatur, a venerandis etiam ritibus ex antiquitate traditis lumen petere non praeteriere. Itaque notum et venerandum illud habttur effatum: « Legem credendi lex statuat supplicandi » (nr. 47, AAS 540-541).

5. *De studio antiquitatis*: Vetustas aetatis Liturgia veneratione procul dubio digna est (nr. 60, AAS 545). Ad sacrae Liturgiae fontes mente animoque redire sapiens profecto ac laudabilissima res est, cum disciplinae huius studium, ad eius origines remigrans, haud parum conferat ad festorum dierum significationem et ad formularum, quae usurpantur, sacrarumque caerimoniarum sententiam altius diligentiusque pervestigandam (nr. 61, AAS 545).

6. *De lingua vulgari*: In non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere potest (nr 59, AAS 545) De communibus precibus vulgari lingua propositis, vide nr. 190,AAS 589.

7. *De musica sacra*: *a*) Gregoriani concentus, quos Romana Ecclesia ut rem propriam habet, utpote antiquitus a maioribus acceptam ac per saeculorum decursum sub impensam suam tutelam custoditam, quosque fidelibus ut rem itidem propriam proponit, atque etiam in nonnullis Liturgiae partibus omnino praescribit, non modo sacrorum Mysteriorum celebrationem magis decoram magisque sollemnem efficiunt, sed summopere etiam conferunt ad adstantium fidem pietatemque adaugendam (nr. 189, AAS 588-589).

b) Praecipua saltem apud templa, veteres cantorum Scholae restituantur; quod quidem haud paucis in locis felici cum exitu factum est (nr. 189, AAS 589).

c) Quo actuosius fideles divinum cultum participent, cantus Gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus Liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis in-

tersint, ut vocem suam sacerdotis vel Scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quadam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis vix respondeat (nr. 190, AAS 589).

d) Popularis ad religionem pertinens cantus promoveatur; atque ea servata, quae par est, dignitate, diligenter effectus detur, cum christianorum multitudinis fidem pietatemque facile exacuat atque incendat (nr. 192, AAS 590).

e) Hodiernae musices modi atque concentus nihil habeant, quod profanum sapiat, vel loci ac liturgicae actionis sanctitatem dedeceat, neque ex inani quodam studio miri atque insoliti oriantur (nr. 191, AAS 590).

8. *De architectura, sculptura et pictura.* *a*) Recentes imagines ac formae, ad materiam aptiores, ex qua hodie conficiuntur, non sunt generali modo atque ex praeiudicata opinione spernendae ac reiciendae; sed rationibus illis aequabiliter ac recte compositis, quae neque ad nudam contendant rerum imitationem, nec ad nimium « symbolismum », quem vocant, ac necessitatibus potius spectatis christianae communitatis, quam peculiari artificum iudicio atque ingenio cuiusque suo, oportet omnino eam nostrorum temporum artem liberum habere campum, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat (nr. 193, AAS 590).

b) Queant artifices ac velint ex divina religione modos rationesque haurire, quae aptius ac dignius cultus necessitatibus respondeant (nr. 194, AAS 591).

c) Pontificiis normis ac decretis insistentes, curate diligenter, ut artificum mentem animumque collustretis ac dirigatis (nr. 194, AAS 591).

9. *De formatione liturgica iuvenis cleri*: Adolescens clerus ita formetur, ut sacras caerimonias intellegat, earum maiestatem pulchritudinemque percipiat, easque nor-

mas diligenter addiscat, quas rubricas vocant (nr. 196, AAS 591).

In Sacris Seminariis religiosisque Institutis Gregorianus cantus diligenter studioseque colatur (nr. 189, AAS 589).

Id non modo culturae fiat causa, non ea solummodo ratione, ut debito ordine, decore dignitateque sacrorum alumnus religionis ritus peragere aliquando valeat, sed ea praesertim, ut arctissima cum Christo sacerdote coniunctione devinctus educetur, ac sanctus fiat sanctitatis administer (nr. 196, AAS 591-592).

10. *De ministris altaris*: Probi beneque exculti pueri ex quavis civium classe accurate seligendi sunt, qui sponte libenterque accedentes, rite, sedulo studioseque altari inserviant;

quod quidem munus a parentibus altioris etiam ordinis altiorisve culturae magni aestimari debet;

oportune hi iuvenes excolantur, ac vigilanti sacerdotum cura ad creditum sibi ministerium statutis horis reverenter constanterque obeundum excitentur (nr. 198, AAS 592).

11. *De formatione liturgica populi*: Eo quoque omni ope contendite, ut christiana plebs Liturgiam tam actuose participet, ut haec reapse sacra actio fiat, in qua sacerdos, qui praesertim in sibi credita paroecia animorum curae incumbit, cum populari coetu consociatus, debitum tribuat aeterno Numini cultum (nr. 197, AAS 592). Ut vero supernis hisce muneribus ditioribus usque christianus populus potiri valeat, de pietatis thesauris, quos sacra continet Liturgia, eum docete diligenter per opportunas conciones, ac praesertim per dissertationes et acroases certis temporibus indictas, per peculiares coetus studii causa in hebdomadam productos ac per cetera huiusmodi. Qua in re vobis ii profecto praesto erunt, qui in Actionis Catholicae ordinibus militant, cum semper parati sint adiutri-

cem Hierarchiae praestare operam ad Iesu Christi Regnum provehendum (nr. 200, AAS 593).

III. - De excessibus in Apostolatu Liturgico

A. *De opportunitate amplae excessuum designationis.*

1. Corpus excessuum in hac encyclica compilatum praebetur non ad apostolatum liturgicum enervandum vel abolendum sed tantum sanandi et confirmandi ratione. Ergo de erroribus traiectionibusque verba facta sunt, ut:

a) tutioribus normis ducti fideles queant liturgicum apostolatum uberibus cum fructibus colere (nr. 170, AAS 583);

b) omnia probentur et quod bonum est teneatur (nr. 205, AAS 594).

2. Fidei ac morum integritas peculiaris esse debet norma apostolatus liturgici. qui sapientissimis Ecclesiae eloquiis consona sit omnimodis oportet. Nobis igitur officium est, quod recte sit factum dilaudare ac commendare, quod vero e iusto itinere deflectat, continere vel reprobare (nr. 9, AAS 524).

3. Peculiares Occidentalis Ecclesiae conditiones eiusmodi sunt, ut interponendam in apostolatu liturgico auctoritatem Nostram postulare videantur (nr. 11, AAS 524).

4. Inter populorum discordiam christiani, eadem veritatis capita sincero animo amplexi, ac legitimis Pastoribus ultro libenterque obsequentes, debitumque praestantes Deo cultum, fraternam quamdam communitatem efficere debent (nr. 12, AAS 525).

B. *Origo excessuum* (nr. 201, AAS 593).

Causae generales aberrationum in apostolatu liturgico quaerendae sunt in:

a) falso mysticismo;

b) noxio quietismo;

c) periculoso humanismo;

d) fallaci doctrina perturbante catholicae fidei notionem;

e) falsis commentis eorum, qui doceant humanam Christi naturam clarificatam reapse ac semper praesentia sua in « iustificatis » habitare;

f) traiectionibus eorum, qui reputent unam ac numero eamdem, ut dicitur, gratiam coniungere Christum cum Mystici eius Corporis membris;

g) nimio restituendae antiquitatis studio.

Notandum est allatas fallacias non tantum inveniri in actione liturgica sed in tota hodierna vita catholica. Quia tamen apostolatus liturgicus non tantum se movet in theoria sed praesertim in praxi, allatae fallaciae perniciosiores sunt et facilius indicandae. Quamobrem Summus Pontifex aberrationes in consiliis ac votis, quae suscipiuntur, de sacra renovanda Liturgia in numeros distribuere potuit ita ut aperte demonstretur nonnullorum modernorum placitorum periculum.

C. *Causae excessuum* (nr. 8, AAS 524).

Possibile tamen est errantes et audaces non explicite sed subconscie allatas fallacias profiteri; ea de causa enumerantur plures causae aberrationis in apostolatu liturgico:

a) falsa doctrina;

b) nimium studium novitatis;

c) imprudentia.

D. *Dua genera excessuum.*

Qui his vitiis infectus est, saepenumero principia admittit, quae vel in theoria vel in praxi apostolatum liturgicum in discrimen adducunt ac nonnumquam etiam talibus erroribus inficiunt, qui catholicam fidem atque asceseos doctrinam attingunt (nr. 8, AAS 524). Ergo habetur duplex genus errorum:

a) proposita quae modum excedunt;

b) proposita quae vitiosa omnino dicenda sunt (nr. 7, AAS 524).

E. *De excessibus in specie.*

In homilia Beatissimi Patris inter Missarum Sollemnia celebrata in basilica patriarchali S. Pauli extra moenia ob decimum quartum exactum saeculum ab obitu S. Benedicti Nursini, habita die 18 mensis septembris anno 1947, auditur: « At hic nimietate quoque potest peccari. Possunt inveniri qui, liturgicas formas priscae aetatis nimium extollentes seriores facile contemnant, ac privatas et populares preces despicentur » (AAS XXXIX 1947, p. 455). Quod hic astricte pronuntiatur, in encyclica perfuse elaboratum est, ut patet ex elencho sequenti.

1. *De relatione inter Liturgiam et fidei veritatem* (nr. 45, AAS 540). Sacra Liturgia quasi quoddam experimentum exsistit veritatum ex fide retinendarum; si certa quaedam id genus doctrina per sacros Liturgiae ritus pietatis ac sanctimoniae fructus dederit, ea ab Ecclesia comprobanda sit, si vero secus, reprobanda. Unde effatum illud: « Legem credendi lex statuat supplicandi » male in falsa ea opinione intelligitur.

2. *De persona Christi.* Falsa confusio Christi historici, eucharistici, gloriosi secundum aliquot auctores modernos habetur:

a) in cultu adorationis eucharistico (nr. 132, AAS 570);

b) in pietate fidelium: Christus, inducta mutatione, quasi e sua sede deiectus sit, cum Christus glorificatus vel pneumaticus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum et sedet ad dexteram Patris, occultatus sit, in eiusque locum Christus ille sit invectus, qui terrenam hanc vitam degebat (nr. 160, AAS 579).

c) in imagine Crucifixi: imagines Divini Redem-

ptoris in cruce dolentis ex sacris aedibus removeantur (nr. 160, AAS 579; cfr. nr. 61, AAS 546).

d) cum hac opinione de persona Christi plus minusve connexus est iste incertus ac subobscurus modus, quo recentiores quidam scriptores praesentiam Christi in mysteriis anni liturgici explicare conantur (nr. 163, AAS 580).

3. *De sacerdotio fidelium.*

a) Errores theologici (nr. 82, AAS 553): In Novo Testamento sacerdotii nomine id solummodo venit, quod ad omnes baptizatos spectat;

praeceptum illud, quo Jesus Christus in novissima caena id apostolis commiserat faciendum, quod ipse fecerat, ad cunctam directo pertinet fidelium ecclesiam; atque exinde, deinceps tantum, hierarchicum consecutum est sacerdotium.

b) Conclusiones ex his erroribus theologicis (nr. 82, AAS 553): populus vera perfruitur sacerdotali potestate, sacerdos autem solummodo agit ex delegato a communitate munere;

Eucharisticum Sacrificium est veri nominis « concelebratio » ac expedit potius, ut sacerdotes una cum populo adstantes « concelebrent », quam ut privatim Sacrificium offerant absente populo.

c) Superlationes traiectionesque quoad fidelium participationem in oblatione Sacrificii Eucharistici (nr. 94, AAS 556): illa omnino Sacrificia reprobant, quae privatim ac non adstante populo offerantur, quia a prisca sacrificandi forma aberrent;

sacerdotes non possunt eodem tempore pluribus in aris divina litare hostia, quod hac agendi ratione communitatem dissocient, eiusque unitatem in discrimen adducant;

oportet plebem confirmare ratumque habere Sacrificium, ut illud vim virtutemque sortiatur suam.

Hac in re ad socialem Eucharistici Sacrificii indolem provocatur (nr. 95 AAS 557).

d) Imprudentiae (nr. 106, AAS 561): Media ad promovendam participationem fidelium in oblatione Sacrificii Eucharistici (cfr. nr. 104, AAS 560) tanti faciunt, ut asseverent, iisdem praetermissis, rem sacram statutum sibi finem assequi non posse.

4. *De integritate Sacrificii Missae* (nr. 113, AAS 563) haec placita proferuntur:

a) Necessarium omnino est fideles una cum sacerdote eucharistica pasci dape, nam hic agitur non de sacrificio tantum, sed de sacrificio ac caena fraternae communitatis, atque sacra synaxis, communiter acta, est quasi totius celebrationis culmen;

b) ea de causa Sacrificium Missae celebrari non debet, nisi si christiana plebs ad divinam mensam accedat.

5. *De pietate christiana.*

a) De oppositione inter pietatem quam vocant obiectivam et subiectivam (nr. 28-29, AAS 532-533): Dum Mystici Corporis mysterium, itemque veracem gratiae actionem sanctitatis effectricem divinosque sacramentorum et Eucharistici Sacrificii actus in perspicuo ponant, eo tamen contendant, ut « subiectivam » seu « personalem » pietatem vel imminuant, vel omnino praetermittant. Concludunt christiana omnis pietas in Mystici Corporis Christi mysterio consistat oportere, nulla habita « personali » seu « subiectiva » ratione; atque adeo cetera religionis opera neglegenda reputant, quae cum sacra Liturgia arcte non devinciantur et extra cultum publicum absolvantur.

Ex his placitis concludunt ad sequentes errores in specie:

b) De reformatione exercitiorum pietatis ad modum ritus liturgici (nr. 182, AAS 187): Omnia pietatis exercitia reformanda sunt eaque ad liturgicorum rituum rationes ac modos solummodo reducenda.

c) De pietate fidelium erga Christum (nr. 160, AAS 579-: In fidelium pietate exercenda, Christus, inducta mutatione, quasi e sua sede deiectus est, cum Christus glorificatus vel pneumaticus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum et sedet ad dexteram Patris, occultatus sit, in eiusque locum Christus ille sit invectus, qui terrenam hanc vitam degebat.

d) De gratiarum actione post S. Communionem (nr. 121, AAS 166): Post Sacrum absolutum gratiarum actio non est producenda, non modo quod ipsum altaris Sacrificium per se gratiarum sit actio, sed quod etiam ad peculiarem actum id pertineat privatae ac propriae suae cuiusque pietatis, non autem ad communitatis bonum.

e) Contemptio exercitiorum pietatis (nr. 174, AAS 584-585): Quia Liturgia renovanda sit et liturgici dumtaxat ritus efficacia dignitateque polleant, postulant:

ut ecclesiae nempe per horas, publicis sacris non destinaats, occlusae permaneant;

ut Augusti Sacramenti adoratio ac piae ad eucharistica tabernacula salutationes neglegantur;

ut admissorum confessio, quae pietatis tantum causa peragatur, dissuadeatur (cfr. etiam nr. 175, AAS 585);

ut cultus Deiparae Virginis posthabeatur.

6. *De privato arbitrio* (nr. 58, AAS 544-545). Inveniuntur, qui novas deliberato consilio liturgicae consuetudines invehant, vel obsoletos iam ritus reviviscere iubeant, qui cum vigentibus legibus ac rubricis non concordent. Id contigit non modo in parvi sed in gravissimi etiam momenti rebus; non desunt siquidem:

a) qui in augusto peragendo Eucharistiae Sacrificio vulgari lingua utantur;

b) qui nonnullos festos dies ad alia tempora transferant;

c) qui ex legitimis publicarum precum libris sacra Veteris Testamenti scripta expungant, quippe quae

reputent haud satis aetati huic nostrae congruentia atque opportuna.

7. *De antiquitate ut unica norma* (nr. 61-63, 201, AAS 545-546, 593). Inveniuntur, qui in rebus ad sacram Liturgiam pertinentibus ad antiquos redire ritus consuetudinesque velint, novas repudiando normas, quae ob mutatas rerum conditiones fuere inductae. Ad eos pertinent v. g.:

a) qui priscam altari velint mensae formam restituere;

b) qui liturgicas vestes velint nigro semper carere colore;

c) qui sacras imagines ac statuas e templis prohibeant;

d) qui divini Redemptoris in Crucem acti effigies ita conformari iubeant, ut corpus eius acerrimos non referat, quos passus est, cruciatus (cfr. nr. 160, AAS 579);

e) qui polyphonicos seu multisonos concentus reprobent ac repudient, etiamsi normis obtemperent ab Apostolica Sede datis (cfr. nr. 191, AAS 590);

f) qui illa omnino Sacrificia reprobent, quae privatim ac non adstante populo offerantur, quasi a prisca sacrificandi forma aberrent (nr. 94, AAS 556).

8. *De depravatione sanae artis* (nr. 193, AAS 591). Facere tamen non possumus quin, pro officii Nostri conscientia, eas imagines ac formas, recens a nonnullis inductas, deploremus ac reprobemus, quae sanae artis deformationes depravationesque videantur, quaeque etiam nonnumquam decori, modestiae ac pietati christianae aperte repugnent, sensumque vere religiosum misere offendant.

IV. - De spiritu aliturgico

1. *De reali existentia spiritus aliturgici.*

Valde dolendum est nonnullis in regionibus sacrae Liturgiae sensum, intellegentiam ac studium mancum in-

terdum esse ac fere nullum (nr. 8, AAS 524). Quamobrem spes significatur, ut hortamenta huius encyclicae segnes ac renitentes moveant non modo ad impensius ac rectius Liturgiae studium, sed ád eius etiam supernum afflatum in actione vitae refovendum (nr. 204, AAS 594). Quoddam monitum in hac encyclica pernecessarium erat: Haud reputent qui inertes ac segnes sunt, idcirco comprobari, quod errantes reprehenduntur audacesque refrenantur (nr. 10, AAS 524).

2. *Reprobatur falsa notio sacrae Liturgiae.*

A vera ac germana Sacrae Liturgiae notione ac sententia omnino ii aberrant, qui eam utpote divini cultus partem iudicent externam solummodo ac sensibus obiectam, vel quasi decorum quemdam caerimoniarum apparatum; nec minus ii aberrant, qui eam veluti meram legum praeceptorumque summam reputent, quibus Ecclesiastica Hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus (nr. 25, AAS 532).

3. *Quaedam exempla et adhortamenta, quae indicant realem existentiam spiritus aliturgici.*

a) Expedit fideles omnes animadvertant summo sibi officio esse summaeque dignitati Eucharisticum participare Sacrificium; idque non quiescenti neglegentique animo et ad alia excurrenti atque vaganti, sed tam impense tamque actuose ut cum Summo Sacerdote arctissime coniugentur (nr. 79, AAS 552).

b) Pernecesse est ut fideles, non tanquam extranei vel muti spectatores, sed penitus Liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis sacris intersint, ut vocem suam sacerdotis vel Scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam aut levi quadam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis, vix respondeat (nr. 190, AAS 589).

c) Clerus interdum in catholicorum etiam regionibus lamentatur, ut ii nempe omnino desiderentur, qui sibi in augusto conficiendo Sacrificio respondeant ac famulentur (nr. 118, AAS 592; cfr. nr. 93, AAS 557).

d) Omnia, sive in sacris aedificiis, sive in vestibus ac liturgica supellectili, etsi non divitiarum copia splendoreque niteant, munda sint tamen atque apta cum omnia sint Divinae Maiestati dicata (nr. 187, AAS 588).

e) Haud bene conformata eorum reprehendenda est pietas, qui in aedibus divino cultui destinatis ac vel in ipsis altaribus multiplicia simulacra et effigies, nulla adhibita iusta causa, venerationi proponant, qui reliquias legitima auctoritate non recognitas ostendent, qui denique peculiares parvique momenti res urgeant, dum praecipuas ac necessarias neglegant, atque adeo religionem in deridiculum vertant, eiusque cultus gravitatem minuant (nr. 187, AAS 588).

f) Hodiernae musices modi atque concentus nihil habeant, quod profanum sapiat, vel loci ac liturgicae actionis sanctitatem dedeceat, neque ex inani quodam studio miri atque insoliti oriantur (nr. 191, AAS 590).

4. *Adversariis apostolatus liturgici diversae veritates in memoriam revocantur*:

a) Procul dubio liturgica precatio, cum publica sit inclitae Jesu Christi Sponsae supplicatio, privatis precibus potiore excellentia praestat (nr. 37, AAS 536).

b) Pietas « subiectiva » fit sterilis sine pietate « obiectiva »: Si privata atque interna singulorum pietas Augustum altaris Sacrificium ac Sacramenta neglexerit, seseque a salutifera vi subtraxerit, quae ex Capite in membra profluit, ea procul dubio reprobanda ac sterilis res erit (nr. 32-35, AAS 534-537).

c) Tantum abest ut sacra Liturgia intimos singulorum christianorum sensus reprimat, ut eos potius idcirco refoveat atque instimulet, ut Jesu Christo assimulentur,

per eumdemque ad caelestem Patrem dirigantur (nr. 122, AAS 567).

d) Divinus cultus non tantum ad singulos pertinet, sed ad humanam etiam consortionem, atque adeo socialis sit oportet, quod profecto esse nequit, nisi in religionis etiam rebus externa habeantur vincula externaeque significationes (nr. 23, AAS 530-531).

e) Necesse est, ut sacrae Liturgiae afflatus eiusque praecepta ita in exercitia pietatis valeant salubriter, ut nihil prorsus inducatur, quod ineptum est, vel Dei domus indignum decore, vel denique sacris sit peragendis detrimentosum, sanaeque pietati obstet (nr. 182, AAS 587). Exercitia pietatis recto ordine contineantur ad rectumque propositum spectent (nr. 171, AAS 583). In memoriam quoque decretum illud revocatur « de novis cultus seu devotionis formis non introducendis » (nr. 188, AAS 588).

f) Exercitia pietatis ordinata sint ad sacram Liturgiam: Efficere debent, ut divinus cultus cotidie magis adametur ac latius promoveatur, utque fideles impensiore desiderio compellantur ad Sacramenta rite participanda et ad omnes res sacras debito obsequio debitoque honore prosequendas. Quodsi contra, divini cultus principiis ac normis impedimenta praebeant, vel iisdem obstent atque officiant, tum procul dubio existimandum est eadem non recto consilio, non prudenti studio ordinari ac dirigi (nr. 179, AAS 586). Pietatis opera, quoniam christianum excitant populum tum ad Paenitentiae Sacramentum adsidue frequentandum et ad Eucharisticum rite pieque participandum Sacrificium divinamque Mensam, tum ad Redemptionis nostrae mysteria meditanda et ad praeclara sanctorum caelitum imitanda exempla, idcirco, salutari non sine fructu, liturgici cultus nos participes efficiunt (nr. 181, AAS 586-587). Exercitia cultus adorationis eucharistici ex sacrae Liturgiae afflatu oriuntur; atque adeo, si debito decore eaque fide ac pietate fiant, quae ex sacris ritibus

Ecclesiaeque praescriptionibus requiruntur, ad liturgicam vivendam vitam procul dubio summopere conferunt (nr. 131, AAS 570).

g) Ascetica disciplina peculiare alicuius arbitrium esse non potest (nr. 177, AAS 585).

h) Non multa sed multum: Christiana vita non in multis variisque precibus ac pietatis exercitiis consistit, sed in eo potius, quod haec ad spiritualem fidelium profectum, ideoque ad totius Ecclesiae incrementum reapse conferant (nr. 183, AAS 587).

i) Caerimoniae sunt actus externi religionis, quibus, quasi signis, excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudochristianis et heterodoxis discernuntur (nr. 23, AAS 531).

k) Divini cultus sanctitas tutanda est adversus privatorum hominum peculiariumque ecclesiarum abusus temerarie imprudenterque invectos. Saeculo XVI id genus usus ac consuetudines nimis magis increverunt; hac in re privatorum incepta fidei pietatisque integritatem in discrimen inducebant (nr. 56, AAS 543). Omnes debito obsequio debitaque fide decretis obtemperent, quae vel Tridentina Synodus, vel Romani Pontifices ac Sacrum Consilium tutandis ritibus praepositum ediderint, et quae liturgici libri ad externam publici cultus actionem quod attineat, statuerint (nr. 185, AAS 587-588).

l) Ecclesia vivens membrorum compages est, atque adeo in iis etiam rebus, quae ad sacram respiciunt Liturgiam, succrescit, explicatur atque evolvitur, et ad necessitates rerumque adiuncta, quae temporum decursu habeantur, sese accommodat atque conformat (nr. 58, AAS 544).

m) Augustum altaris Sacrificium non mera est ac

simplex Iesu Christi cruciatuum ac mortis commemoratio, sed vera ac propria sacrificatio (nr. 67, AAS 548).

n) Ecclesia probat atque cupit ne fidelium communionem hostiis in ipsa Missa consecratis omittatur, eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur (nr. 117, AAS 564).

o) Liturgicus annus non frigida atque iners earum rerum repraesentatio est, quae ad praeterita tempora pertinent, vel simplex ac nuda superioris aetatis rerum recordatio (nr. 163, AAS 580).

p) Quodsi tamen Ecclesia, pro materna indulgentia sua, spiritualibus filiorum necessitatibus occurrere nititur, ii nihilo secius pro sua quisque parte debent, quidquid sacra Liturgia suadeat, non facile spernere, ac quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat (nr. 120, AAS 566). Quamvis sententia haec hic Communioni fidelium applicetur, tamen valorem genericum praesefert.

CONCLUSIONES

Nullis elementis praeteritis apostolatus liturgici iudicium in encyclica perspicuum est: beatissimus Pater non a parte aliturgistarum consistit nec agit arbitrum inter spiritum aliturgicum et actionem liturgicam sed prorsus hodiernam actionem liturgicam inter media perfectionis christianae necessaria declarat. Animadvertendum est Summum Pontificem apostolatum liturgicum non in abstracto ratum habere sed omnino in concreto, i. e. prout summa industria hisce temporibus excultus est. Quod usque ad hanc diem esset actio particularis liturgistarum — saltem secundum iudicium non raro prolatum — solemniter ac authentice pernecessarius Ecclesiae Christi apostolatus declaratum est; inde ab hoc tempore actio li-

turgica non iam est « motus » (Bewegung, mouvement) sed apostolatus receptus. Congruens facta est ac concors apostolatus aequilibritas in Ecclesia et in variis eius modis nullam intercedere licet discrepantiam vel repugnantiam: spiritus aliturgicus plane reprobatus est atque audacia « liturgica » cohibita. Optimo iure encyclica « Mediator Dei et hominum » dicitur « Magna Charta » apostolatus liturgici.

HERMAN SCHMIDT S. J.

DE FACULTATE AUDIENDI CONFESSIONES DURANTE ITINERE TERRESTRI

In aliqua collatione seu conferentia de re morali et liturgica — in civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno habenda ad normam can. 131 § 1 — tamquam argumentum propositum fuit — secundum votum expressum ex parte aliquorum sacerdotum, qui proximo Anno Sancto peregrinationem instituere intendunt Romam cum fidelibus — modus obtinendi facultatem audiendi confessiones durante itinere.

En relationem hac occasione propositam ac iudicium Episcopi civitatis, qui collationi interfuit, de relatione habita.

Secundum relatorem facultas audiendi confessiones durante itinere non iam creat difficultates. Sacerdotibus enim iter maritimum aut aërium arripientibus talis facultas delegatur a iure [1]. Quoad iter terrestre autem et fluviale applicanda est analogia legis, quatenus vi can. 20 [2] lacuna iuris explenda est legibus latis in similibus. Ita *principium generale* statui potest huius tenoris: Sacerdotes omnes iter agentes, dummodo a proprio Ordinario loci facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium, sive secum iter agentium sive aliorum qui ipsis confiteri petant, confessiones

---

[1] Facultas ipso iure concessae audiendi confessiones durante itinere maritimo et aërio communiter concipitur tamquam facultas delegata a iure. Cf. W. Bertrams, S. I., De facultate audiendi confessiones durante itinere aëreo. Periodica de re morali canonica liturgica 1945, 32, ss.

[2] Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum.

excipere easque valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis.

Probatio huius principii quoad iter maritimum et aërium habetur in can. 883 resp. in Motu Proprio Pii Papae XII. diei 16 Decembris 1947 « Animarum studio compulsi » [3]. Quoad iter terrestre et fluviale principium hisce rationibus probatur:

1. Ipso iure conceditur facultas audiendi confessiones sacerdotibus iter *aërium* arripientibus. Iamvero pro itinere terrestri — sive per pedes, sive per viam ferream, sive per automobile etc. — et fluviali multo magis urgens est necessitas talis facultatis. Nam: Ad perficiendum iter aërium multo minus temporis requiritur quam si eadem distantia absolvenda est itinere terrestri. Itineri aërio paucarum horarum correspondet iter terrestre totius diei aut etiam plurium dierum. Si igitur conceditur facultas audiendi confessiones pro itinere (scl. aërio), in quo non nimis frequenter habetur occasio exercitii huius facultais, a fortiori conceditur haec facultas pro itinere terrestri et fluviali, in quo, propter longum tempus quod requiritur ad illud perficiendum, saepius habetur urgens necessitas huius facultatis. Exemplo sint peregrinationes quae Anno Sancto instituuntur ad Urbem visitandam. Sacerdotes, qui Romam veniunt cum fidelibus via aëria, durante itinere facultate audiendi confessiones gaudent, quamvis — venientes etiam e longinquis regionibus — itinere paucarum horarum aut unius vel alterius diei Urbem attingant; sacerdotes autem, qui itinere terrestri Urbem petunt, forte per plures dies vel etiam ehbdomadas in via versantur, et hinc sine dubio saepius rogantur, ut confessiones fidelium secum iter agentium, et forte etiam aliorum, audire velint.

2. Ipso iure omnes sacerdotes iter maritimum et aërium arripientes habent facultatem quorumlibet fidelium

---

[3] Acta Apostolicae Sedis, 1948, 17.

secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu consistat variis *in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni* subiectis. Immo insuper habent facultatem, quoties navis in itinere consistat, confessiones excipiendi tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvendi etiam a casibus Ordinario loci reservatis [4].

Conceditur igitur facultas audiendi confessiones in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis, dummodo agatur de interruptione itineris maritimi resp. aërii. Potest igitur sacerdos, secundum responsum Commissionis ad Interpretandum Codicem diei 20 Maii 1923 [5], quoties navis in portu maneat, terram adire ibique *in ecclesia vel sacello* confessiones excipere eorum qui confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere, etiam a casibus Ordinario loci reservatis, per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies, si tamdiu navis in portu maneat. Porro idem potest sacerdos, quoties ad idem iter prosequendum unam navem relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu expectare debeat. Immo in utroque casu idem potest sacerdos etiam *ultra triduum,* si loci Ordinarius facile adiri non possit.

Ratio, cur haec facultas tali amplitudine ipso iure concedatur, habetur una ex parte in magna convenientia, quod etiam sacerdotes iter agentes audire possunt confessiones, quia hodierna praxis Ecclesiae confessionem et absolutionem sacramentalem quam maxime facilem reddere intendit [6]. Altera ex parte secundum communiter con-

---

[4] Can. 883, Motu Proprio « Animarum studio compulsi », l. c.
[5] Acta Apostolicae Sedis, 1924, 114.
[6] Testimonium hanc esse mentem Ecclesiae habetur in recenti Motu Proprio « Animarum studio compulsi » hisce verbis: « Nos, plane noscentes huiusmodi itinera (scl. aëria) impraesentiarum cotidie frequentiora evadere ac volentes ut christifidelibus haud desit commodum quod e laudato Ordinariorum desi-

tingentia in interruptione itineris sive maritimi sive aërii saepissime non erit facilis recursus ad Ordinarium loci, ut ipse concedere possit facultatem audiendi confessiones.

Iamvero hae rationes quoad iter terrestre et fluviale pariter habentur, immo a fortiori exigunt, ut sacerdotes tale iter agentes facultate audiendi confessiones praediti sint. Exemplo sint iterum peregrinationes quae Anno Sancto instituuuntur ad Urbem visitandam. Sacerdotes qui cum fidelibus Romam veniunt itinere terrestri saepius in variis civitatibus, praesertim in illis, quas devotionis causa adeunt, a fidelibus rogantur, ut confessiones eorum audire velint. Recursus ad Ordinarium loci secundum communiter contingentia saepe erit *impossibilis aut nimis difficilis,* praesertim si attenditur, censendum esse Ordinarium adiri non posse, si tantum per telegraphum vel per telephonum recursus possibilis est [7]; immo etiam hic recursus extraordinarius (scl. per telegraphum vel per telephonum) saepe erit practice impossibilis, e. g. si agitur de brevi commoratione in aliqua civitate, sive haec sit civitas episcopalis, sive — et in hoc casu a fortiori — non sit civitas episcopalis.

Non ergo aparet ratio, cur sacerdotes iter terrestre vel fluviale agentes quoad facultatem audiendi confessiones peioris conditionis censendi sint quam sacerdotes iter maritimum vel aërium agentes, quamvis illi sine dubio magis indigeant hac facultate.

---

derio animarum proveniret sanctificationi, magna cum animi Notri oblectatione eiusmodi amplectimur votum etc » (l. c.).

[7] Cf. responsum Commissionis ad Interpretandum Codicem diei 12 Novembris 1922. Acta Apostolicae Sedis 1922, 662: Utrum in casibus, de quibus in can. 1044 et 1045 § 3, censendum sit Ordinarium adiri non posse, cum nec per litteras, nec per telegraphum nec per telephonum ad eum recurri potest; an etiam cum solum per litteras impossibile est, licet per telegraphum vel telephonum id fieri possit. Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; seu ad effectum, de quo in canonibus 1044 et 1045 § 3, censendum esse Ordinarium adiri non posse, si nonnisi per telegraphum vel per telephonum ad eum recurri possit.

3. Sancta Sedes nostris temporibus aliquoties iam expresse extendit facultatem pro itinere maritimo concessam ad iter terrestre et fluviale. Ita talem facultatem habent *missionarii ad Sinenses Missiones destinati* [8] necnon sacerdotes iter agentes *per aquas vel oras fluminum Columbiae* [9]. Porro hic recenseri potest facultas Vicariis castrensibus durante ultimo bello concessa (subdeleganda suis cappellanis militaribus aliisque, si velint, sacerdotibus ratione militiae sibi subditis) excipiendi confessiones *in locis bellici territorii* omnium fideluim ad se accedentium [10]. Tandem hic mentio fieri debet Decreti S. Paenitentiariae Apostolicae diei 22 Februarii 1941 [11], quo conceditur facultas audiendi

---

[8] Decretum S. C. de Prop. Fide 4-2-1907. (C. Gasparri, Codicis Iuris Canonici Fontes VII, 4941):

« Sanctitas Sua benigne decernere ac declarare dignata est, omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis atque etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros ad Sinenses Missiones destinatos, qui duo vel numero plures consociati, ad littora Sinensia appellunt, durante toto itinere terrestri aut fluviali usque dum pervenerint ad Missionem sibi respective adsignatam, dummodo ad sacramentales confessiones fuerint legitime approbati ... posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et Fratrum laicorum cum ipsis iter agentium, et etiam Religiosarum Sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad Missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium, vel sarcinas per iter ferentium, vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum ... ».

[9] *Decretum* S. C. Off. 31-8-1909 pro Archiepiscopis et Episcopis Reipublicae Columbianae (Conferencias Episcopales de Colombia. Desde 1908 hasta 1930. Imprenta del C. de Jesús-Bogotá. Pag. 177): « Archiepiscopi et Episcopi Reipublicae Columbianae ad pedes S. V. provoluti eamdem S. V. humiliter rogant ut cum hanc Rempublicam ingentia et spatiosa flumina decurrant quae ab Ordinariorum longe distant Sedibus, et ad quorum ripas quamplurimi degunt fideles Ecclesiae auxiliis saepe destituti, fas sit sacerdotibus approbatis, per eorum aquas vel oras facientibus iter, poenitentiae sacramentum, juxta normas definitas decretis S. R. et U. Inquisitionis feria IV die 23 augusti 1905 et feria IV die 12 decembris 1906 editis, fidelibus ministrare ». (Hodie hae normae habentur in can. 883).

« SS.mus D. N. Pius Divina Providentia PP. X, ... benigne annuit pro gratia juxta preces ».

[10] Acta Apostolicae Sedis 1939, 710 ss., Index facultatum tempore belli concessarum. Nr. 13.

[11] Acta Apostolicae Sedis 1941, 73.

confessiones sacerdotibus, qui *in peculiaribus custodiae locis* detinentur vel pro suo munere in iisdem locis commorantur, dummodo hi sacerdotes iurisdictionem ad confessiones audiendas a proprio Ordinario iam habuerint neque eadem privati fuerint.

In omnibus hisce casibus habetur una ex parte necessitas aut saltem magna convenientia, quod sacerdotes in respectivis circumstantiis praediti sunt facultate audiendi confessiones. Altera ex parte in iisdem circumstantiis recursus ad Ordinarium loci secundum communiter contingentia est imposibilis aut saltem vere difficilis. Hinc Sancta Sedes ipso iure facultatem audiendi confessiones concessit.

Conclusio relatoris: Ecclesia nondum per legem generalem concessit sacerdotibus iter terrestre vel fluviale agentibus facultatem audiendi confessiones, sufficienter tamen suam mentem manifestavit. Omnes enim concessiones in hac re (supra sub 2 et 3 relatae) habentur quoad circumstantias, in quibus recursus ad Ordinarium loci est impossibilis aut saltem vere difficilis. *Haec autem impossibilitas vel vera difficultas recursus ad ordinarium loci quoad iter terrestre et fluviale pariter saepissime habetur.* Hinc analogia legis iure applicatur. Similitudo casus et paritas rationis eam legitimam reddunt. Habetur enim una ex parte necessitas vel saltem magna convenientia huius facultatis, altera ex parte habetur impossibilitas vel saltem vera difficultas instituendi recursum ad Ordinarium loci. Inde principium supra enuntiatum sufficienter probatum videtur.

Episcopus praesens interrogatus quid sentiat de principio a relatore statuto eiusque probatione, respondet se non posse argumentationem relatoris admittere, *principium ab eo statutum non esse de iure condito*. Quoad singula haec notat:

Quoad primam rationem: Conceditur quidem ipso iure facultas audiendi confessiones sacerdotibus iter maritimum vel aërium arripientibus. Ratio autem, ob quam haec facultas conceditur, est in eo quod iter maritimum et

aërium fit per *spatium locale* (in mari vel in aëre), *quod non est subiectum iurisdictionis Ordinarii* particularis territorii Ecclesiae. Hinc a sola Sancta Sede haec facultas concedi potest, et ita revera ipso iure communi conceditur. Ab elemento temporali — maiore aut minore duratione itineris — haec facultas ipso iure concessa independens est. Proinde elementum temporale fundamentum pro applicatione analogiae legis esse nequit.

Quoad secundam rationem: Conceditur quidem ipso iure facultas audiendi confessiones in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis. Sed haec facultas habetur tantum durante ipso itinere maritimo vel aërio ac dependenter a tali itinere. Proinde *facultas principaliter data* respicit spatium locale iurisdictioni Ordinarii loci non subiectum; ad hanc facultatem *accedit* facultas in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis, quoties navis in itinere maritimo vel aërio consistat. Hinc agitur de *facultate accessoria*.

Accessorium sequitur principale. Principale — spatium locale iurisdictioni Ordinarii loci non subiectum — in itinere terrestri et fluviali secundum communiter contingentia non habetur. Proinde vera et propria similitudo structurae iuridicae, qualis pro legitima applicatione legis requiritur, in casu non habetur.

Quoad tertiam rationem: Saepius quidem nostris diebus concessa est a Sancta Sede facultas audiendi confessiones in locis iurisdictioni Ordinarii particularis territorii Ecclesiae subiectis. Sed in omnibus casibus allatis agitur de facultate *per Indultum* data, non per legem. Consequenter tales concessiones fundamentum pro applicatione analogiae legis esse non possunt.

Posset quidem dici can. 20 inter media, quibus lacuna iuris explenda est, recensere etiam *stylum et praxim Curiae Romanae*. Sine dubio tales concessiones manifestant intentionem Sanctae Sedis concedendi facultatem audiendi confessiones pro casibus, in quibus recursus ad loci Ordi-

narium est impossibilis aut saltem vere difficilis, si ad talem impossibilitatem aut difficultatem recursus accedit certa aliqua necessitas habendi hanc facultatem. Talis necessitas habetur e. g. in locis detentionis; nam si sacerdotes ibi detenti aut pro suo munere ibi commorantes tali facultate non gaudent, fideles ibi detenti saepissime, et forte ad longum tempus, nullam haberent possibilitatem accipiendi absolutionem sacramentalem.

Quis autem affirmaret talibus paucis concessionibus iam constitui stylum et praxim Curiae Romanae? In specie quod attinet facultatem audiendi confessiones in itinere terrestri et fluviali — abstrahendo a quaestione, utrum forte in aliis circumstantiis impossibilis aut difficilis recursus ad loci Ordinarium ad talem « stylum et praxim Curiae Romanae » iure appelletur necne —, dubitari non potest non esse ad mentem Sanctae Sedis affirmare exsistentiam talis facultatis per analogiam iuris. Hoc assertum non est ad mentem Sanctae Sedis, quia sine dubio legislatori notum fuit — in delegatione ipso iure facultatis audiendi confessiones pro itinere maritimo (can. 883) ac pro itinere aërio (Motu Proprio cii Papae XII. « Animarum studio compulsi » — sacerdotes iter terrestre aut fluviale instituentes saepe tali facultate non gaudere et recursum ad Ordinarios, quorum territorium itinere tangitur, difficilem aut etiam practice impossibilem esse. Non obstante tali notitia potestas ipso iure delegata restringitur a legislatore ad iter maritimum et eërium; consequenetr debemus admittere legislatorem *nondum censere necessariam potestatem* hanc pro itinere terrestri et fluviali.

Si autem praedicta facultas non est necessaria, non habetur lacuna iuris. Hinc non habetur necessitas normae suppletoriae; nam media supplendi silentium legis legitime adhibentur tantum, si in legislatione canonica deest norma de se necessaria. Consequenter ex concessione facultatis audiendi confessiones in casibus allatis nihil deduci potest quoad hanc facultatem in itinere terrestri et fluviali.

Conclusio Episcopi: *De iure condito* non habetur facultas ipso iure et generaliter data audiendi confessiones durante itinere terrestri et fluviali. Neque fas esset negare talem facultatem generaliter datam causare posse multa inconvenientia. Imprimis Episcopus saepe non habebit possibilitatem cognoscendi nomen et dioecesim sacerdotum, qui in dioecesi Episcopo concredita confessiones audiunt. Potest autem accidere, quod sacerdotes qui in propria dioecesi iure approbantur ad confessiones audiendas, in aliis conditionibus munus confessarii debito modo exercere non possunt.

Nihilominus pariter fas non esset negare rationes a relatore allatas pro necessitate aut saltem summa convenientia talis facultatis generalis audiendi confessiones durante itinere suum momentum habere *de iure condendo, de lege ferenda*. Revera nostris diebus communicationes, etiam cum regionibus longinquis, valde sunt auctae; itinera in dies fiunt multo frequentiora quam erant temporibus anteactis. Hinc etiam sacerdotes saepius versantur extra propriam dioecesim, non raro ob rationes, quae directe vel indirecte bonum animarum spectant. Summe conveniens igitur esset, ut norma iuris communis haberetur de modo obtinendi facultatem audiendi confessiones in talibus casibus. Sicuti evolutio vitae modernae exigit, ut multa negotia communi consilio omnium Statuum ordinentur, i. e. aurtoritate universali, ita etiam in Ecclesia ipsa natura aliquorum negotiorum in conditionibus nostri temporis saepius exigit interventum supremae auctoritatis ecclesiasticae.

GULIELMUS BERTRAMS S. I.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXI. [31 ian. 1949] p. 5).

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A Beatissimo Patre datus, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi a. MCMXLVIII, adstantibus E.mis PP. DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. Episcopis ac Romanae Curiae Praelatis.

« CONFIRMA FRATRES TUOS »

Gravi ed ad un tempo tenere ,come il testamento e il saluto d'addio di un Padre amatissimo, le parole del divin Redentore al suo primo Vicario sulla terra: « *Confirma fratres tuos* » [1] Conferma i tuoi fratelli! non hanno cessato di risuonare nel Nostro spirito e nel Nostro cuore, dal giorno in cui Egli nel suo imperscrutabile consiglio volle affidare alle Nostre deboli mani il timone della navicella di Pietro.

Parole immortali profondamente scolpite nel più intimo dell'animo Nostro, esse si fanno anche più penetranti, ogniqualvolta, nell'esercizio del ministero apostolico, abbiamo da comunicare all'Episcopato e ai fedeli del mondo gl'insegnamenti, le norme e le esortazioni, che il pieno adempimento della missione salvatrice della Chiesa richiede e che, senza pregiudizio della loro immutabilità sostanziale, debbono tuttavia opportunamente adattarsi alle sempre mutevoli circostanze e varietà dei tempi e dei luoghi.

---

[1] Luc. 22, 32.

Ma con particolare commozione e intensità proviamo in Noi stessi la forza di quel divino comando in questo momento, in cui per la decima volta indirizziamo il Nostro Messaggio natalizio a voi, diletti figli e figlie dell'universo, — alla fine di un decennio, che, per eventi e rivolgimenti, per travagli e sollecitudini, per amarezze e dolori, non ha l'uguale nei secoli della storia umana.

Quando, nell'ultimo Natale, Noi chiedevamo in questa stessa ricorrenza le vostre preghiere e la vostra collaborazione, Noi esprimevamo l'augurio che l'allora incipiente 1948 fosse per l'Europa e per tutta la società dei popoli, tormentata da tante scissioni, un anno di fervida ricostruzione, l'inizio di un rapido cammino verso una vera pace.

Oggi, al termine di un anno, che si era aperto con tante speranze, la Nostra voce paterna invita di nuovo, voi, spiriti retti e riflessivi, voi cristiani sinceri, a considerare qual è al presente la condizione della umanità e della cristianità, e qual è il mezzo per avanzare con passo franco e fermo nel sentiero che la dura necessità dei tempi, non meno che la vostra coscienza vi additano.

Chiunque abbia chiaroveggenza, forza morale e il coraggio di guardare, gli occhi negli occhi, la verità, anche se penosa e umiliante, deve ben riconoscere che quest'anno 1948, oggetto, al suo nascere, di alte e ben comprensibili aspettazioni, apparisce oggi, al suo tramonto, come uno di quei punti cruciali, ove la via, che scopriva già liete prospettive, sembra sboccare invece sull'orlo di un precipizio, le cui insidie e i cui pericoli empiono di crescente ansietà tutti i popoli nobili e generosi.

E nondimeno, anzi appunto perciò, diletti figli e figlie, mentre la pusillanimità comincia ad impadronirsi anche di animi coraggiosi e i dubbi assaliscono gli spiriti più chiari e risoluti, Noi Ci sentiamo più che mai obbligati a corrispondere al divino comando: «*Confirma fratres tuos*», e a voi tutti, fino agli ultimi confini del mondo, inviamo, come Nostro saluto natalizio, le parole, con le quali il Pro-

feta annunziava l'opera della redenzione e la definitiva vittoria del regno di Cristo: « Confortate le braccia infiacchite e le ginocchia vacillanti rinfrancate. Dite ai pusillanimi: Coraggio, non temete; ecco il vostro Dio... verrà e vi salverà »[2].

Duplice sacro dovere

Come successore di colui, a cui fu rivolta la divina promessa: « Io ho pregato per te »[3], Noi ben sappiamo che, quando la lotta con gli spiriti delle tenebre è più dura ed entra in fasi risolutive e, umanamente parlando, inquietanti, tanto più, allora, il Signore è vicino alla sua Chiesa e ai suoi fedeli. Profondamente convinti e consapevoli di questa assistenza divina, Noi ricordiamo a tutti coloro, che si gloriano del nome di cristiani cattolici, un duplice sacro dovere, indispensabile al miglioramento della presente condizione della umana società:

1) Incrollabile fedeltà al patrimonio di verità che il Redentore ha portato al mondo.

2) Coscienzioso adempimento del precetto della giustizia e dell'amore, presupposto necessario per il trionfo sulla terra di un ordine sociale degno del divino Re della pace.

I

Fervore di vita

Noi mancheremmo di gratitudine verso l'Onnipotente, datore di tutte le grazie e consumatore di tutti i beni, se non riconoscessimo che l'anno ormai trascorso, nonostante tutte le ansie e tutti i dolori, fu anche ricco di sante gioie e consolazioni, di felici esperienze e d'incoraggianti successi. Un anno, cioè, nel quale in tutti i popoli e le nazioni, in tutti i paesi e i continenti, la Chiesa ha dato indubita-

---

2 Is. 35, 3-4.
3 Luc. 22, 32.

bili e splendidi segni di vita, di forza, di operosità, di resistenza, di rapidi progressi, che non solo avvalorano le più radiose speranze nel campo spirituale, ma anche hanno prodotto visibili frutti nei giganteschi dibattiti, in cui l'umanità si trova coinvolta nella lotta per il suo risanamento e la sua pacificazione.

Una magnifica serie di solennità religiose, di Congressi eucaristici e mariani, d'importanti celebrazioni centenarie e di grandiose adunanze hanno mostrato ad ogni osservatore imparziale che nè la guerra, nè il dopoguerra, nè la tenacia dei nemici di Cristo nei loro propositi disgregatori e distruggitori, sono stati in grado di raggiungere, per disseccarle o contaminarle,le pure sorgenti, a cui la Chiesa attinge da quasi venti secoli la sua forza vitale. Dappertutto nasce e ferve una nuova vita, che, in particolar modo nella gioventù cattolica, si studia di portare le verità del Vangelo e la forza salutifera della sua dottrina in tutti i campi del vivere umano, a vantaggio e a salvezza anche di coloro che fino ad ora, con grande proprio danno, avevano chiuso a così benefica azione il loro cuore.

Eroismi sublimi

Le dure prove che la Chiesa ha subite a causa della guerra e del dopoguerra, le perdite dolorose e i gravi danni che l'hanno afflitta, non hanno fatto che rendere più confortevole e incoraggiante la sua energia e la sua resistenza; battuta dalle tempeste e dai flutti, essa ha conservato intatta, inviolata, la sua sostanza vitale, e in tutti i popoli, nei quali professare la fede cattolica in realtà equivale a soffrire persecuzioni, si sono trovati e si trovano sempre migliaia di prodi, che, impavidi in mezzo ai sacrifici, alle proscrizioni e ai tormenti, intrepidi dinanzi alle catene e alla morte, non piegano il ginocchio dinanzi al Baal della potenza e della forza [4]. Il gran pubblico ignora il più delle

[4] Cfr. 3 *Reg.* 19, 18.

volte i loro nomi; ma essi sono scritti a caratteri indelebili negli annali della Chiesa. E' per Noi un dovere di glorificare quei fedeli e quei forti, quegli infaticabili e quei valorosi, quegli eletti e quei benedetti da Dio, a cui le strettezze del tempo presente, i dolori e le lacrime materne della Sposa di Cristo non sono scandalo nè stoltezza, ma occasione e stimolo potente a manifestare, non con le parole, ma con gli atti, la rettitudine e il disinteresse dei loro sentimenti, la loro assoluta fedeltà, la generosità sublime del loro cuore. Le parole mancano per riconoscere degnamente, per esaltare meritamente l'eroismo di questi fedelissimi fra i fedeli. Ad ognuno di loro vada l'espressione della Nostra lode e della Nostra gratitudine. Il Signore che ha promesso di ricordarsi dinanzi al suo Padre celeste di coloro che lo hanno confessato dinanzi agli uomini [5], sarà la loro eterna ricompensa.

Dolorosi naufragi

Tuttavia, se la costanza e la fermezza di tanti fratelli nella fede è per Noi fonte di letizia e di santa fierezza, non possiamo sottrarCi all'obbligo di menzionare anche coloro, i cui pensieri e i cui sentimenti portano l'impronta dello spirito e delle difficoltà dell'ora. Quanti hanno sofferto detrimento od anche hanno naufragato nella fede e nella stessa credenza in Dio! Quanti, intossicati da un'aura di laicismo o di ostilità verso la Chiesa, hanno perduto la freschezza e la serenità di una fede, che era stata finora il sostegno e la luce della loro vita! Altri, bruscamente sradicati e strappati dal suolo nativo, errano alla ventura, esposti, specialmente i giovani, a un decadimento spirituale e morale, di cui non si potrebbe abbastanza valutare il pericolo.

L'occhio materno della Chiesa segue quelle anime, temporaneamente perdute o pericolanti, con vigilante amore e

---

[5] Cfr. Matth. 10, 32.

con raddoppiata sollecitudine. Essa non si adira. Essa prega. Essa attende: attende il ritorno di quei figli, pensosa di trovare i mezzi atti ad accelerarne l'ora. Per ciò essa non indietreggia dinanzi a nessun sacrificio; nessuna pena è per lei troppo grave a tal fine. Essa è pronta a tutto. A tutto, tranne soltanto una cosa: che non le si chiegga di ottenere il ritorno dei figli da lei separati — sia in tempi passati, sia recentemente — a prezzo di qualsiasi menomazione od offuscamento del deposito della fede cristiana affidato alla sua custodia.

Amare separazioni

Un breve chiarimento Ci sembra opportuno riguardo ad alcune aspre affermazioni uscite dalle labbra di taluni dissidenti contro la Chiesa cattolica e il Papato. Il nostro dovere di carità e di amore non rimane certo diminuito nè da attacchi nè da ingiurie. Noi sappiamo distinguere fra i popoli, spesso privi di libertà, e i metodi che li reggono. Noi conosciamo la servile dipendenza che alcuni rappresentanti della confessione chiamata « ortodossa » manifestano verso una concezione, il cui scopo finale, ripetutamente proclamato, è la esclusione di ogni religione cristiana. Noi non ignoriamo l'amaro cammino che debbono percorrere molti dei Nostri diletti figli e figlie, cui un aperto sistema di violenza ha spinti a separarsi formalmente dalla Madre Chiesa, alla quale li univano le loro più intime convinzioni. Con cuore commosso ammiriamo l'eroica fermezza degli uni; con profondo dolore e non scemato amore paterno vediamo le angosce spirituali di altri, la cui esteriore forza di resistenza ha ceduto sotto l'eccesso di una ingiusta pressione ed ha esternamente subito una separazione, che il loro cuore aborrisce e la loro coscienza riprova.

II

Il cristiano cattolico nel travagliato mondo moderno

La fedeltà del cristiano cattolico al divino patrimonio di verità, lasciato da Cristo al magistero della Chiesa, non lo condanna in nessun modo — come non pochi credono o mostrano di credere — ad una diffidente riserva o ad una fredda indifferenza di fronte ai gravi danni ed urgenti doveri dell'ora presente.

Al contrario; lo spirito e l'esempio del Signore, che venne per cercare e salvare ciò che era perduto; il precetto dell'amore, e in generale il senso sociale che irradia dalla buona novella; la storia della Chiesa, che dimostra come essa è stata sempre il più fermo e costante sostegno di tutte le forze del bene e della pace; gl'insegnamenti e le esortazioni dei Romani Pontefici, specialmente nel corso degli ultimi decenni, sulla condotta dei cristiani verso i loro simili, la società e lo Stato; — tutto ciò proclama l'obbligo del credente di occuparsi, secondo la sua condizione e le sue possibilità, con disinteresse e coraggio, delle questioni che un mondo travagliato ed agitato deve risolvere nel campo della giustizia sociale, non meno che nell'ordine internazionale del diritto e della pace.

Un cristiano convinto non può confinarsi in un comodo o egoistico « isolazionismo », quando è testimonio dei bisogni e delle miserie dei suoi fratelli; quando giungono a lui le implorazioni di soccorso degli economicamente deboli; quando conosce le aspirazioni delle classi lavoratrici verso più normali e giuste condizioni di vita; quando è consapevole degli abusi di una concezione economica, che pone il danaro al di sopra degli obblighi sociali; quando non ignora i traviamenti di un intransigente nazionalismo, che nega o conculca la solidarietà fra i sin-

goli popoli, solidarietà la quale impone a ciascuno molteplici doveri verso la grande famiglia delle Nazioni.

La comunità dei popoli

La dottrina cattolica sullo Stato e la società civile si è sempre fondata sul principio che secondo la volontà divina i popoli formano insieme una comunità avente scopo e doveri comuni. Anche in un tempo nel quale la proclamazione di questo principio e delle sue conseguenze pratiche sollevava fiere reazioni, la Chiesa ha negato il suo consenso all'erroneo concetto di una sovranità assolutamente autonoma ed esente dagli obblighi sociali.

Il cristiano cattolico ,convinto che ogni uomo è il suo prossimo e che ogni popolo è membro, con uguali diritti, della famiglia delle Nazioni, si associa di gran cuore a quei generosi sforzi, i cui primi risultati possono essere ben modesti e le cui manifestazioni urtano spesso in forti opposizioni ed ostacoli, ma che tendono a trar fuori i singoli Stati dalle strettezze di una mentalità egocentrica; mentalità che ha avuto una parte preponderante di responsabilità nei conflitti del passato e che, se non fosse finalmente vinta o almeno frenata, potrebbe condurre a nuove conflagrazioni, forse mortali per la civiltà umana.

L'incubo di una nuova guerra

Giammai dalla cessazione delle ostilità, gli animi non si sono intesi, come oggi, così oppressi dall'incubo di una nuova guerra e dall'ansia della pace. Essi si muovono fra due poli opposti. Alcuni riprendono l'antico detto, non del tutto falso, ma che si presta ad essere frainteso e di cui si è spesso abusato: *si vis pacem, para bellum*: se vuoi la pace, prepara la guerra. Altri credono di trovare la salvezza nella formula: pace a tutti i costi! Ambedue le parti vogliono la pace, ma ambedue la mettono in pericolo; gli uni, perchè destano la diffidenza; gli altri, perchè incorag-

giano la sicurezza di chi prepara l'aggressione. Ambedue quindi compromettono, senza volerlo, la causa della pace, precisamente in un tempo in cui l'umanità, schiacciata sotto il peso degli armamenti, angosciata dalla previsione di nuovi e più gravi conflitti, trema al solo pensiero di una futura catastrofe. Perciò Noi vorremmo brevemente indicare quali sono i caratteri di una vera volontà cristiana di pace.

La vera volontà cristiana di pace

1) *viene da Dio.*

La volontà cristiana di pace viene da Dio. Egli è il « Dio della pace »[6]; Egli ha creato il mondo per essere un soggiorno di pace; Egli ha dato il suo precetto di pace, di quella « tranquillità nell'ordine », di cui parla S. Agostino.

La volontà cristiana di pace ha anch'essa le sue armi. Ma le principali sono la preghiera e l'amore: la preghiera costante al Padre celeste, Padre di noi tutti; l'amore fraterno fra tutti gli uomini e tutti i popoli, come tutti figli dello stesso Padre che è nei cieli, l'amore che con la pazienza riesce sempre a mantenersi disposto e pronto ad intendersi e ad accordarsi con tutti.

Queste due armi derivano da Dio, e là ove esse mancano, là ove non si sanno maneggiare che le armi materiali, non può esservi una vera volontà di pace. Poichè questi armamenti puramente materiali destano necessariamente la diffidenza e creano come un clima di guerra. Chi non vede perciò quanto è importante per i popoli di conservare e rafforzare la vita cristiana e quanto grave è la loro responsabilità nella scelta e nella vigilanza di coloro a cui affidano la immediata disposizione degli armamenti?

---

6 *Rom.* 15, 33.

2) *è facilmente riconoscibile.*

La cristiana volontà di pace è facilmente riconoscibile. Ossequiente al divino precetto della pace, essa non fa mai, di una questione di prestigio o di onore nazionale, un caso di guerra od anche soltanto una minaccia di guerra. Essa si guarda bene dal perseguire con la forza delle armi la rivendicazione di diritti, che, quantunque legittimi, non compensano il rischio di suscitare un incendio con tutte le sue tremende conseguenze spirituali e materiali.

Qui parimente si manifesta la responsabilità dei popoli nei problemi capitali della educazione della gioventù, della formazione dell'opinione pubblica, che i metodi e i mezzi moderni rendono oggi così impressionabile e mutevoli, in tutti i campi della vita nazionale. Ora questa azione deve esercitarsi assiduamente a fine di avvalorare la solidarietà di tutti gli Stati per la difesa della pace. Ogni violatore del diritto deve essere messo, come perturbatore della pace, in una infamante solitudine al bando della società civile. Possa l'organizzazione delle « Nazioni Unite » divenire la piena e pura espressione di questa solidarietà internazionale di pace, cancellando dalle sue istituzioni e dai suoi statuti ogni vestigio della sua origine, che era stata necessariamente una solidarietà di guerra!

3) *è pratica e realistica.*

La volontà cristiana di pace è pratica e realistica. Il suo scopo immediato è di rimuovere o almeno di mitigare le cause di tensioni che aggravano moralmente e materialmente il pericolo di guerra. Queste cause sono, tra le altre, principalmente la relativa ristrettezza del territorio nazionale e la penuria delle materie prime. Invece dunque di spedire con grandissime spese gli alimenti alle popolazioni profughe, ammassate in qualche luogo alla meglio, perchè non facilitare l'emigrazione e l'immigra-

zione delle famiglie, dirigendole verso le regioni ove troveranno più agevolmente i viveri, di cui hanno bisogno? E invece di restringere, spesso senza giusti motivi, la produzione, perchè non lasciare al popolo la possibilità di produrre secondo la sua normale potenzialità, e in tal modo di guadagnare il pane quotidiano come frutto della sua attività, piuttosto che di riceverlo come un regalo? Finalmente, invece di innalzare barriere per impedire reciprocamente l'accesso alle materie prime, perchè non renderne l'uso e lo scambio libero da tutti i vincoli non necessari, da quelli soprattutto che creano una dannosa disuguaglianza delle condizioni economiche?

4) *è segno di forza. La solidarietà dei popoli contro lo spirito di aggressione.*

La vera cristiana volontà di pace è forza, non debolezza o stanca rassegnazione. Essa è tutt'uno con la volontà di pace dell'eterno e onnipotente Dio. Ogni guerra di aggressione contro quei beni, che l'ordinamento divino della pace obbliga incondizionatamente a rispettare e a garantire, e quindi anche a proteggere e a difendere, è peccato, delitto, attentato contro la maestà di Dio creatore e ordinatore del mondo. Un popolo minacciato o già vittima di una ingiusta aggressione, se vuole pensare ed agire cristianamente, non può rimanere in una indifferenza passiva; tanto più la solidarietà della famiglia dei popoli interdice agli altri di comportarsi come semplici spettatori in un atteggiamento d'impassibile neutralità. Chi potrà mai valutare i danni già cagionati in passato da una tale indifferenza, ben aliena dal sentire cristiano, verso la guerra di aggressione? Come essa ha fatto provare più acutamente il senso della mancanza di sicurezza presso i « grandi » e soprattutto presso i « piccoli »! Ha forse essa in compenso portato un qualche vantaggio? Al contrario; essa non ha fatto che rassicurare e incoraggiare gli autori e i fautori di aggressione, mettendo i singoli po-

poli, abbandonati a se stessi, nella necessità di aumentare indefinitamente i loro armamenti.

Appoggiata su Dio e sull'ordine stabilito da Lui, la volontà cristiana di pace è dunque forte come l'acciaio. Essa è di una ben altra tempra che il semplice sentimento di umanità, troppo spesso fatto di pura impressionabilità, che non aborrisce la guerra se non a causa dei suoi orrori e delle sue atrocità, delle sue distruzioni e delle sue conseguenze, e non anche della sua ingiustizia. A un tale sentimento, d'impronta eudemonistica e utilitaria, e di origine materialistica, manca la salda base di una stretta e incondizionata obbligazione. Esso crea quel terreno, nel quale allignano l'inganno dello sterile compromesso, il tentativo di salvarsi a spese di altri, e in ogni caso la fortuna dell'aggressore.

Ciò è così vero, che nè la sola considerazione dei dolori e dei mali derivanti dalla guerrà, nè l'accurata dosatura dell'azione e del vantaggio, valgono finalmente a determinare, se è moralmente lecito, od anche in talune circostanze concrete obbligatorio (sempre che vi sia probabilità fondata di buon successo), di respingere con la forza l'aggressore.

Il precetto divino di pace

Una cosa però è certa: il precetto della pace è di diritto divino. Il suo fine è la protezione dei beni della umanità, in quanto beni del Creatore. Ora fra questi beni alcuni sono di tanta importanza per la umana convivenza, che la loro difesa contro la ingiusta aggressione è senza dubbio pienamente legittima. A questa difesa è tenuta anche la solidarietà delle nazioni, che ha il dovere di non lasciare abbandonato il popolo aggredito. La sicurezza, che tale dovere non rimarrà inadempiuto, servirà a scoraggiare l'aggressore e quindi ad evitare la guerra,

o almeno, nella peggiore ipotesi, ad abbreviarne le sofferenze.

In tal modo rimane migliorato il detto: « *si vis pacem, para bellum* », come anche la formula « pace a tutti i costi ». Quel che importa, è la sincera e cristiana volontà di pace. Ad averla ci muovono senza dubbio lo sguardo alle rovine dell'ultima guerra, la silenziosa condanna, che sale dai grandi cimiteri, ove si allineano in file interminabili le tombe delle sue vittime, la ancora inappagata nostalgia dei prigionieri e dei profughi, l'angoscia e l'abbandono di non pochi detenuti politici, stanchi di essere ingiustamente perseguitati. Ma anche più deve stimolarci la voce potente del precetto divino di pace, lo sguardo dolcemente penetrante del divino Bambino del presepio.

Ascoltate, risonanti nella notte come le campane di Natale, le ammirabili parole dell'Apostolo delle Genti, dapprima egli stesso schiavo dei meschini pregiudizi dell'orgoglio nazionalista e razzista, atterrati con lui sul cammino di Damasco: « Egli (Cristo Gesù) è la nostra pace, egli che di due popoli ne ha fatto un solo ..., uccidendo in sè ogni inimicizia ... Ed è venuto ad annunziare la pace a voi, che eravate lontani, e a quelli che erano vicini » [7].

Perciò Noi in quest'ora, con tutta la forza della Nostra voce, vi scongiuriamo, diletti figli e figlie del mondo intero: lavorate per la pace secondo il cuore del Redentore. Insieme con tutte le anime rette, che pur senza militare nelle vostre file, sono a voi unite nella comunanza di questo ideale, adoperatevi per diffondere e far trionfare la volontà cristiana di pace.

---

[7] *Eph.* 2, 14. 16. 17.

Esortazione alla gioventù cattolica

Ma con particolare fiducia il Nostro grido si rivolge alla gioventù cattolica. Le indimenticabili manifestazioni del Settembre scorso riunirono in Roma, in una moltitudine senza precedenti, i rappresentanti della gioventù cattolica accorsi dalle più diverse Nazioni. Essi hanno dimostrato con luminosa chiarezza la loro solidarietà nella volontà di pace.

Allora, dalla gradinata della Nostra Patriarcale Basilica Vaticana, alla presenza di una gioventù entusiasta, abbiamo benedetta la prima pietra della costruenda *Domus Pacis*: la casa della pace, destinata a dare alla gioventù del mondo cattolico, di fronte alla Cupola di S. Pietro, la consapevolezza dell'appartenenza ad una grande famiglia che abbraccia con eguale amore tutti i suoi figli. A voi, giovani, che nel fiore della vostra età portate la responsabilità di un domani ancora così incerto, Noi diciamo: Non contentatevi di edificare la *Domus Pacis* sulla via Aurelia. Essa sarà soltanto il simbolo della vostra volontà di pace; ma si tratta ora di mettere in opera tutti i vostri tesori di dedizione e di tenacia per fare del mondo stesso una *Domus Pacis*, sulla quale lo spirito e le promesse di Betlemme aleggino serenamente e dove la tormentata umanità trovi finalmente la pace.

Con tale speranza invochiamo la protezione dell'Altissimo su tutti i popoli e le nazioni, specialmente su quelli che più degli altri sono esposti alle minacce di guerra, alle agitazioni e alle devastazioni. E come, in questa vigilia del S. Natale, il Nostro pensiero non riandrebbe ancora una volta verso quella terra di Palestina, ove il Figlio di Dio fatto uomo trascorse la sua vita terrestre; la Palestina, ove, pur nella sospensione delle ostilità, non apparisce ancora un sicuro fondamento di pace? Possa alfine trovarsi una felice soluzione che, mentre venga in soc-

corso ai bisogni di tante migliaia di miseri profughi, soddisfi al tempo stesso i voti di tutta la cristianità ansiosa per la tutela dei Luoghi Santi, rendendoli liberamente accessibili e protetti mediante la costituzione di un regime internazionale.

Noi imploriamo ugualmente l'assistenza divina su quanti amano di dedicarsi alla sicurezza e al perfezionamento della pace con le loro preghiere e la loro attiva collaborazione: ai reggitori dei popoli, a coloro che possono esercitare un efficace influsso sulla pubblica opinione, come in generale a quelli, dai quali i popoli sono più facilmente disposti ad accogliere i sinceri inviti alla pace; sulle innumerevoli schiere delle vittime della guerra, e sui molti altri, la cui misera condizione si fa ogni giorno tanto più dolorosa, quanto più si prolunga la intollerabile attesa di una definitiva pace, moralmente giusta e durevole, scevra di ogni pregiudizio o superstizione di razza e di sangue.

Intanto, auspicando dalla grazia divina l'attuazione di questi ardenti voti, impartiamo di cuore a voi tutti, diletti figli e figlie, uniti a Noi col vincolo della fede e dell'amore, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

2 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXI [31 ian. 1949] p. 29).

Epistula

AD EXCMOS PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS HUNGARIAE

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Acerrimo moerore comperimus Dilectum Filium Nostrum Iosephum S. R. E. Card. Mindszenty, Archiepiscopum Stringoniensem, e sua fuisse sede temerario au-

su deturbatum et in publicam deductum custodiam; quod quidem in Praesule meritissimo sacram religionis maiestatem ipsamque offendit humanam dignitatem. Postulat igitur officii Nostri conscientia ut hoc contra Ecclesiae iura facinus, quod non modo vos, sed omnes etiam Hungariae universique terrarum orbis catholicos summa maestitia indignationeque affecit, publice deploremus et conqueramur, illatamque cunctae Ecclesiae iniuriam sollemniter expostulemus. Novimus optimi huius Pastoris promerita; novimus illibatam tenacemque eius fidem; novimus denique apostolicam eius fortitudinem in christianae doctrinae integritate tuenda et in sanctissimis vindicandis religionis iuribus.

Quodsi forti strenuoque pectore obstitit, cum vidit Ecclesiae libertatem cotidie magis minui ac multimodis coangustari, itemque cum non sine magno christifidelium detrimento perspexit eius magisterium ministeriumque praepediri — quod quidem in templis non solum, sed publice etiam in aperta fidei professione, in litterarum ludis ac scholis, in scriptis typis edendis, in piisque ad sacras aedes peregrinationibus et in coetibus ab Actione Catholica nuncupatis exerceri oportet — id profecto non dedecori vertitur, sed laudi potius, cum sit pastoralis eius vigilantiae officio tribuendum.

Cupimus igitur, Venerabiles Fratres, dolorem luctumque vestrum paterno participare animo; vosque etiam in Domino adhortari ut, quemadmodum soletis semper, sic praesertim in gravissimo hoc rerum discrimine, uno animo unaque mente et opera demandatum vobis pastorale munus sedulo sollerterque obire ne desistatis, memores profecto pro Ecclesiae libertate ac sacrosanctis eius iuribus non modo labores angoresque, sed vitae etiam iacturam, si oporteat, esse tolerandam. Pro certo autem habemus vos paternae huic adhortationi Nostrae ultro esse actuoseque responsuros; atque universam catholicam Hungariam, Nobis sane carissimam, cuius historia tot glorio-

sis resonat Ecclesiae fastis, impeditissimis hisce rerum condicionibus parem omnino fore, ac ceteris etiam gentibus praeclara christianae fortitudinis exempla esse praebituram.

Haud ignoramus quidem praesentis tempestatis gravitatem, quae in vos in gregemque vestrum formidolose ingruit; sed pari modo apostolicum studium vestrum, pastoralis prudentia animorumque vestrorum in decernendo agendoque coniunctio et unitas Nobis perspecta atque explorata sunt; nec minus est Nobis cognita ac comprobata indomita illa strenuitas vestra, quae cum Deo unice fidat eiusque innitatur auxilio, omnia potest evincere ac superare. Collatis igitur consiliis ac viribus, pergite fortes, Venerabiles Fratres, ea quidem fortitudine quae a Caelo oritur ac divina alitur gratia. Ne fallaci decipiamini veritatis specie, quae per praestigias solet allectationesque inescare animos. Maiores vestri, qui iam superioribus aetatibus omne genus erroribus obstiterunt ac tam adversas eluctati sunt difficultates, luculenter vos docent christianam religionem accusari atque oppugnari posse, vinci non posse.

Eorum vestigiis fidentes insistite; et quidquid inviolata fides postulat, quidquid christiana praecepta in credendo agendoque requirunt, in id sedulo incumbite, nullis parcentes laboribus nullaque formidine deterriti. Hoc esto vobis solacium, quo maius profecto haberi non potest: vos nempe pro pacifero ac salutari Christi Regno decertare, quod non est de hoc mundo (cfr. Ioan. XVIII, 36), sed cuius est hominum mores veritate, iustitia, caritate temptrare omnesque per terrestrem hanc peregrinationem ad caelestem patriam reducere aeternamque beatitatem.

Peculiari autem modo optamus, Venerabiles Fratres, ut precibus etiam pro iis qui vos persequuntur ad Divinum Redemptorem admotis ad eiusque sanctissimam Ma-

trem, Hungariae Patronam, una simul contendatis ut mentibus errore infuscatis superna lux affulgeat, ut animos odio simultateque dissociatos christiana concordia conciliet atque componat, utque tandem aliquando meliora ac tranquilliora dilectissimae patriae vestrae, caelesti opitulante gratia, oriantur tempora.

Quorum omnium votorumque effectrix esto Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ac gregibus unicuique vestrum concreditis, iisque praesertim, « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » (Matth. V, 10), amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 11 mensis Ianuarii, in festo Sanctissimi Nominis Iesu, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

3 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxi [25 feb. 1949] p. 41).

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die XIV mensis Februarii anno MCMXLIX, in Palatio Apostolico Vaticano habitum est *Consistorium secretum*, in quo haec fuit

ALLOCUTIO SS.MI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES

In hoc sacrum extra ordinem Consistorium hodierna die vos convocavimus, ut animum Nostrum acerrimo maerore oppletum vobis aperiremus. Cuius quidem maeroris causam putamus facile patere vobis: agitur nempe de gravissimo facinore, quod non modo amplissimum Collegium vestrum, non modo Ecclesiam universam, sed quotquot etiam sunt humanae dignitatis humanaeque libertatis ad-

sertores miserandum in modum offendit. Quamobrem, vixdum novimus Dilectum Filium Nostrum Iosephum S. R. E. Card. Mindszenty, Archiepiscopum Strigoniensem, debita augustae religioni reverentia posthabita, temerarie fuisse in carcerem coniectum, datis ad Venerabiles Fratres Hungariae Archiepiscopos et Episcopos amantissimis litteris, illatam Ecclesiae iniuriam, ut officii conscientia imperabat Nobis, publice solemniterque expostulavimus.

Hodie vero dum res eo usque deducta est, ut ad extremum dignissimi huius Praesulis dedecus devenerit, qui quidem ut reprobus in ergastulum datus est, facere non possumus quin sollemnem eiusmodi expostulationem vobis coram iteremus. Ad id Nos movent imprimis sacra religionis iura, quibus adserendis vindicandisque strenuus hic sacrorum Antistes impavido fortique pectore diuturnam dedit operam; ac praeterea unanimus etiam liberarum gentium liberorumque populorum consensus, qui verbis scriptisve, ab iis quoque editis, qui publica auctoritate fruuntur, ac vel ab iis, qui catholicam non amplectuntur fidem, latissime in luce solis patuit.

At non in plena luce solis, ut nostis, huius Praesulis causa peracta fuit, de avita religione de christianique redintegrandis moribus optime meriti. Notitiae siquidem perlatae sunt, quae initio animos anxietate quadam affecere qui enim ex exteris Nationibus petiere ut in Hungariam se conferrent, ubi praesentes huius actionis cursum cernere possent, si quovis modo videbantur rem serena mente fore iudicaturi sincereque renuntiaturi, talem tulerunt repulsam, quae in eos non solum, sed in ceteros etiam cordatos rectosque viros opinionem induceret causam Budapestini pertractari, quam qui agerent, timere viderentur ne palam aperteque ab omnibus dignosceretur. At iustitia, quae reapse hoc nomine dignanda sit, non a praeiudicatis opinationibus proficiscitur, non praestituta iam sententia nititur, sed liberam sponte exoptat discep-

tationem, ac debitam unicuique cogitandi, credendi loquendique facultatem tribuit.

At quamvis res nec tuto cognitae, neque aperto plenoque modo renuntiatae fuerint, putamus tamen mentionem de iudicio praetermittere non posse, quod omnes civili cultu ornati homines hac super causa dedere: praesertim de nimis rapido actiónis cursu, qui facile in animos suspicionem induxit; de accusationibus captioso artificio instructis, ac de physica huius Antistitis condicione, quae quidem sine arcanis impulsionibus, quas non fas est declarare, intellegi non potest; quandoquidem vir strenua adhuc fortitudine ex natura suaque vitae actione pollens, tam debilis ac mente vacillans improviso apparuit, ut eius agendi ratio accusationem non in semetipsum, sed adversus eius accusatores condemnatoresque statuere videretur.

Hisce autem in rebus omnibus hoc unum praeclare patet: in id nempe potissimum iudicialem actionem contendisse ut Catholica Ecclesia in Hungaria perturbaretur, ea nimirum ratione, de qua Sacra Scriptura loquitur: « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis »[1].

Dum igitur Nos hoc tristissimum eventum dolentes reprobamus ac publicae opinionis ipsiusque historiae tribunali quasi diiudicandum committimus, rem facimus, quam et violata Ecclesiae iura et ipsa humanae personae dignitas omnino postulant.

Ac peculiari modo hoc etiam declarandum putamus, esse nempe omnino a veritate alienum quod in huius actionis decursu asseveratum fuit: hoc est universam causam, de qua actum est, ex eo pendere quod Apostolica haec Sedes, ob politicae in populos dominationis consilia ac nisus, iussa ac mandata ediderit Hungarorum Reipublicae eiusque moderatoribus adversandi; atque adeo rem omnem in eamdem recidere Apostolicam Sedem.

---

[1] MATTH., 26, 31.

Norunt enim omnes Catholicam Ecclesiam non terrenis rationibus duci, sed quamlibet admittere Civitatis gubernandae formam, dummodo divinis humanisque iuribus non repugnet. Quodsi repugnet, sacrorum Antistites ac chtristifideles omnes ex sua ipsorum officii conscientia debent iniustis legibus obsistere.

In hisce autem, Venerabiles Fratres, rerum angustiis non defuere Nobis a misericordiarum Patre[2] superna solacia, quae dolorem mitigarent Nostrum. Ea imprimis ex tenaci catholicorum Hungarorum fide profiscuntur, qui quidem ,etsi in impeditissimis rebus constituti, quidquid possunt efficiunt, ut avitam religionem tueantur, ac priscos decessorum suorum fastos renovent; itemque ex ea firmissima fiducia, quam paterno fovemus animo, fore ut Hungariae Episcopi plena semper concordia sollertique opera enitantur Ecclesiae libertatem defendere, christifidelium unitatem omni ope confirmare, eosdemque in eam spem erigere, quae cum e Caelo oriatur ac divina alatur gratia, nec miseris, nec iniustis huius vitae casibus restingui, vel debilitari potest.

Atque eiusmodi superna solacia ex vobis etiam, Venerabiles Fratres, obvenerunt Nobis; vos enim vidimus, Nobis in hoc rerum discrimine devinctissimos, Nostrum participare maerorem ac Nostris vestras coniungere preces; parique modo ex ceteris quoque totius terrarum orbis Patribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, qui una cum clero et populo cuiusque suo flagrantissimas ad Nos dederunt litteras, vel telegraphicos nuntios, quibus et iniuriae notam Ecclesiae iniustam conquerendo reprobarunt, et admovendas Deo privatim, publice supplicationes polliciti sunt.

Id ut omnes facere ne desistant vehementer optamus; quotiescumque enim catholica res tam gravibus iactatur tempestatibus, ut eas humana facultas evincere ac

---

[2] Cfr. 2 Cor., 1, 3.

superare nequeat ad Divinum est Redemptorem fidentibus animis confugiendum, qui unus potest tumescentes sedare fluctus, ac tranquillam reducere serenitatem. Potentissimo igitur interposito Deiparae Virginis patrocinio, a Deo omnes precando contendamus, ut qui insectationes carceres vexationesque patiantur, necessario divinae gratiae rore christianaeque virtutis robore confirmentur; qui vero Ecclesiae libertatem humanaeque conscientiae iura conculcare temerario ausu enitantur, tandem aliquando intellegant civilem quamlibet consortionem, sublata religione ac quasi in exsilium exacto Numine, consistere numquam posse. Augusta enim solummodo religio potest civium officia ac iura iusta ratione temperare, rei publicae solidare fundamenta, atque hominum mores salutiferis normis conformare et ad rectum ordinem virtutemque dirigere. Quod summus Romanorum orator asseverabat: « Vos, Pontifices, ... diligentius urbem religione, quam ipsis moenibus cingitis »[3], id, cum de christianis praeceptis christianaque fide agitur, tam verum certumque est, quam quod maxime. Hoc igitur agnoscant omnes, qui publicae rei gubernacula moderantur; atque adeo debita ubique restituatur Ecclesiae libertas, ita quidem ut eadem, nullis praepedita repagulis, salutari sua doctrina queat hominum mentes collustrare, iuventutem recte instituere et ad virtutem educere, domesticos consecrare convictus, omnemque permeare hominum vitam. Quo profecto ex actione civilis societas nullum umquam detrimentum patietur, sed summam assequetur utilitatem. Tum enim reapse, Venerabiles Fratres, socialibus mutuisque rationibus iustitia aequitateque compositis; elatis, ut oportet, indigentium condicionibus atque ad humanam dignitatem restitutis; sedatis denique tandem discordiis tranquillatisque fraterna caritate animis, meliora tempora — quod vehementer optamus, ac supplici poscimus prece — cunctis populis ac gentibus feliciter orientur.

---

[3] Cic., De Nat. Deor., III, 40.

Haec habebamus, Venerabiles Fratres, quae vobiscum hoc in amplissimo consessu communicaremus; vobiscum dicimus, qui Nobis tam prope in universa gubernanda Ecclesia assidetis, sedulam prudentiam sollertemque impertientes operam vestram.

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxi [25 feb. 1949] p. 58).

Adhortatio Apostolica

AD UNIVERSOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE MISSA VOTIVA CELEBRANDA IN OSORUM DEI CRIMINIS EXPIATIONEM.

PIUS PP. XII

Conflictatio bonorum et malorum, quorum semper commixtis moribus factisque humani generis historia contexitur, raro, ac fortasse numquam, ita cruduit, ut nostra contingit aetate.

Si Nos, quoquoversus ex hac Vaticana arce terrarum orbem conspicimus, habemus sane, cur admiratione et gaudio cumulemur, dum bonorum phalanges virtutibus splendere intuemur, quae priscas christianae religionis aetates, praesertim fortitudinis merito et martyrum gloria in memoriam revocant; at contra moerore et angore conficimur, cum malorum nequitiam ad incredibilem et prorsus alias insuetam impietatem pervenisse cernimus. Hoc flagitium, venerabiles Fratres, horremus referre, at pro Apostolici muneris officio silere non possumus.

Superba illa divinarum rerum neglegentia et despicientia, quae primum fuit hominis, caeleste mandatum detrectantis, delictum et omnium noxiarum turbulentissimus est fons, hisce quae volvuntur temporibus veluti virulentus

morbus ubique ferme terrarum serpit saevitque; praesertim vero in aliquibus regionibus, ob excitatam « adversus Dominum et adversus Christum eius »[1] conspirationem innumera prorsus mala progignit: adempto siquidem Deo, hominem, spirituali dignitate exutum, corporearum rerum vile facit mancipium atque adeo quidquid est virtutis, amoris, spei, interioris vitae pulchritudinis radicitus interimit: loquimur de atheismo, quin etiam de odio Dei.

Summa qua sunt impudentia, Dei nominis osores adiumenta et subsidia omne genus sibi arripiunt. Libri, commentarii, ephemerides, radiophonicae undae, comitia, publici coetus et privata colloquia, disciplinae et artes, omnia iis praesto sunt, ut rerum sacrarum derisum evulgent. « Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aër de fumo putei »[2]. Reputamus vero, Venerabiles Fratres, hoc non contingere, quin inferni hostis machinentur insidiae, cui proprium est odisse Deum et hominibus nocere.

Nihil igitur vobis et sacerdotibus ac fidelibus curae vestrae commissis sit potius quam ut pro Dei nomine tuendo, quod trementes angelicae verentur potestates, excitetur certatio. Elato S. Michaëlis Archangeli signo, illa iterata conclamatione: « Quis ut Deus? » supernae maiestatis conviciatoribus opponite strenuissimam voluntatem Dei nominis asserendi, amandi, praedicandi.

Quod qui huiusmodi despicatione lacessunt, non solum horrendi flagitii rei sunt, quia « odium Dei maxime est peccatum in Spiritum Sanctum »[3] et in gravissimas poenas subeundas eos adurget, sed perquam ingratos gerere animos apertissime apparent. Quid enim magis necessarium et salutare quam adorare et colere Deum? Nostra animi et corporis compago, dotes animi et vires ex Eo nobis profluunt; lumen solis, aër, fructus terrae, alimonium, suavitates vitae

---

1 *Ps. II*, 2.

2 *Apoc.*, IX, 2.

3 S. THOMAS, *Summa Theol.*, 2-2, q. XXXIV, art. 2 ad 1.

et, quod maioris momenti est, caelestis gratia, sanctitudinis subsidia, veritas, salus ex Eo sunt: omne nostrum bonum Eius est donum.

« O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus »[4]. « Tu autem Deus noster suavis et verus es, patiens et misericordia disponens omnia »[5]. Ipse non est procul ab unoquoque nostrum: « In ipso enim vivimus et movemur et sumus »[6]. Sapientissimus et miserentissimus est, cum blandiendo consolatur, cum flagellando emendat. Quoties autem punit nos, iuste patimur, nam « digna factis recipimus »[7]; et ipse dolor, superno providente consilio, disciplina virtutum et fecunda sempiternae felicitatis fit seges. Cui vero Deus est hereditas et possessio, paulula res sunt prosperae aut adversae fortunae et, Eo non amisso, nihil est censendum amissum.

Est aliud praeterea, quod amor Dei salutare hominibus gignit, dum, contra, calamitosa eventa Eius aversatio maturat. Quis non formidet et non horreat simultates, discordias civium, bellorum conflictationes, quae in posterum, novorum telorum vi, quam maxime exitialia erunt? Haec ut arceantur, salutamus et laudamus incepta, quae eo vergunt, ut civitates maioribus semper coniunctionis vinculis foederatae coalescant.

Id autem, facile ruinosum, in labili arena fundatur, nisi fraternae omnium necessitudinis sensus ubique terrarum vigeat et, sanctam firmamque reddendo mutuo datam acceptamque fidem, fulciat pactiones, societates consolidet. Atque experientia et usu hoc verissime constat homines non sentire se invicem fratres, nisi ii sentiant se omnes eodem prognatos esse Patre. Dempta reverentia Summo legifero et iudici Numini, fas et nefas nuda sunt verba; morum lex pessumdatur; si nihil metuendum est,

---

4 *Sap.*, XII, 1.
5 Ibid., XV, 1.
6 *Acta Ap.*, XVII, 28.
7 Luc., XXIII, 41.

quidquid est insolentiae audet et patrat avida nequitia; in mutuas caedes belluarum ritu corruunt homines, quibus frui voluptatibus et saevire unum et miserrimum oblectamentum. Proficit siquidem nobis quod servit Deo. In purae igitur conscientiae aula summa contentione et cura Dei praesentis et amantis numen colatur, cum hoc sit augescentis virtutis et praeclari profectus iter, ut ab externis rebus ad interiores transeamus et inde ad supernas, non discessuri, ascendamus.

Suavissima illius praesentia repleatur memoria, collustretur intellectus, incundetur animus, roboretur ad pure, actuose, pie agendum voluntas: « nosse enim te (scilicet Deum) consummata iustitia est »[8]. Omnibus qui a iustitiae viis deerrant, prece, sermone, opere et praesertim vita, in qua paternae bonitatis imago relucescat, incitamenta adhibenda sunt, ut suas culpas expient et eluant. Recogitent peccatores ad mitissimum patrem « qui prodigum filium revocat et post inopiam poenitentem libens suscipit, immolat vitulum praeopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo »[9]. Qui pollet fide et religiosae vitae opibus ditescit, debet haec bona, quantum fieri possit, et cum ceteris communicare.

Ut hoc religionis studium vehementius excitetur et conviciatorum Dei scelestae impietati, qua nostra aetas coinquinatur, vallum et remedium parentur, adiumentum habemus validissimum. Quid non possunt preces? Quid non potest oratio, quae Christi nomine ab animo innocenti vel poenitenti funditur, quae fiduciae robore vigescat, bonorum operum pompa comitata? « Oratio murus est fidei, arma et tela nostra adversus hostem, qui nos

---

[8] *Sap.*, XV, 3.
[9] TERTULLIANUS, *De poenit.*, 8: *M. L.*, I, 1353.

undique observat »[10]. At quidquid ad religionis obsequium et observantiam spectat cedit Eucharistico Sacrificio, quod incruente perpetuat cruentam immolationem Christi in patibulo crucis eiusdemque in homines uberrimos salutares fructus derivat. Caelestis aeternusque Pater colitur, propitiatur, placatur pretioso insontis Agni sanguine, cuius vox efficacior est voce innocui sanguinis Abel et omnium iustorum, cum is sit infinita dignitate et virtute praeditus: a nobis enim assumptus pro nobis ab ipso Dei Filio offertur, pacis et reconciliationis nostrae effector, inexhaustus cuiuslibet superni muneris dator. « *Quando culpis provocamus — Ultionem Iudicis — Tunc loquentis protegamur — Sanguinis praesentia — Ingruentium malorum — Tunc recedant agmina* »[11]. Idem sacrificium « vere propitiatorium »[12] efficaciter peragitur « pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus »[13].

Quodsi igitur immanis culpa est atheismus et odium in Deum, quo praesens saeculum contaminatur et propter quod haud immerito formidandas poenas praemetuit, lavacro Sanguinis Christi, quem Calix Novi Foederis continet, diluere possumus exsecrabile crimen et huius consectaria, implorata sontibus venia, abolere ac magnificum Ecclesiae parare triumphum.

Haec Nobis cogitantibus et Nobiscum animo volventibus hoc opportunum visum est vobis et sacerdotibus cunctis permittere vosque ipsos hortari, ut die dominica de Passione huius anni alteram Missam, quae erit votiva pro remissione peccatorum, ad mentem Nostram celebretis, nisi ea ad mentem Episcopi vel pro populo sit peragenda. Qui vero quavis ex causa huiusmodi privilegio non utentur, Missam eiusdem diei dominicae celebrabunt ac

---

10 Tertullianus, *De oratione*, XXIX: *M. L.*, I, 1304.
11 Hymnus in primis Vesperis Festi Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
12 Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 2.
13 Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 3.

saltem supra explicata optata Nostra in eucharistico sacrificio enixe Deo commendent. Christifideles autem, qui pro mutua mystici Corporis Christi membrorum coniunctione tristia laetave Ecclesiae semper participare debent, a vobis arcessiti, quam plurimi eadem dominica die altaria circumsaepiant atque, causae gravitatem et momentum aeque perpendentes, flagrantiore studio Deum obsecrent orentque ac se, conferto agmine, caelesti dape reficiant.

Neque dubitamus, quin quod petimus incensissima cum religione et pietate omnes facturi sitis ac Deo simul adhibituri sitis supplicationes et vota, ut, ablatis noxiis, ad communia pacis vota feliciter implenda, caelestis caritatis aura in Christo renovet omnia. Valde demum confisi fore, ut optatis Nostris satis libenter fiat, vobis atque dilectis sacerdotibus et fidelibus, vestrae vigilantiae concreditis, qui proposito a Nobis munere fratrum amatores se exhibebunt, Apostolicam Benedictionem, superni auxilii pignus, impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XI Februarii anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

5 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXI [25 feb. 1949] p. 63).

Allocutiones

I

Die 16 mensis Februarii a. 1949, nobilissimis verbis, quibus Exc.mus Vir Carolus Arango Vélez, Columbiae Orator extra ordinem, nomine etiam Legatorum praesentium ceterarum Nationum Beatissimo Patri com-

munis moeroris sensus devote expressit, ob iniquam sententiam in E.mum P. D. Cardinalem Iosephum Mindszenty prolatam, Sanctitas Sua haec affatim respondit.

Monsieur l'Ambassadeur,

Nous apprécions à sa valeur, soyez-en assuré, l'importance symptomatique et le caractère pour ainsi dire symbolique de cette assemblée extraordinaire, en une heure où la condamnation infligée à un Prince de l'Eglise si méritant, le Cardinal Mindszenty, remplit Notre coeur de la plus profonde douleur. Aussi, Notre première parole ne peut-elle être que l'expression emue de Notre vive gratitude envers les illustres membres du Corps diplomatique accrédité près de Nous et dont Votre Excellence vient d'être l'interprète éloquent et autorisé.

Si riche qu'elle soit en évènements et en souvenirs, la longue histoire des Missions diplomatiques près le Saint-Siège n'offre guère, croyons-Nous, d'autres exemples d'un acte spontané et solennel comparable à celui-ci pour sa portée et son sens profond.

Au milieu du conflit qui oppose les défenseurs d'un régime totalitaire aux champions d'une conception de l'Etat et de la société fondée, selon le vouloir de Dieu, sur la dignité et la liberté de l'homme, cette audience historique reflète fidèlement la pensée et les aspirations de la partie de beaucoup la plus ample et la plus saine de l'humanité.

Elle manifeste la réaction de la conscience chrétienne et même simplement humaine contre toute oppression et tout arbitraire, contre tout déni de justice et toute menace aux droits et aux principes sacrés, dont l'intégrité est la condition nécessaire du respect et de la sauvegarde des imprescriptibles valeurs vitales.

Mais voutre présence, en ce moment et en ce lieu,

comme représentants des peuples amis de la justice et de la paix, n'entend nullement équivaloir à un verdict contre les Nations, dont le territoire est le théâtre de si graves atteintes aux droits élémentaires de la personne humaine. Tout au contraire, votre démarche solennelle, en corps, veut être une manifestation d'hommage, en même temps que de fraternelle solidarité vis-à-vis de ceux « qui souffrent parce qu'ils défendent leur foi religieuse et les libertés qu'elle implique ». Et Nous, appelant de toute l'ardeur de Notre désir l'heure où toutes les Nations se tendront la main amicalement, pour collaborer ensemble à la restauration d'une humanité à présent déchirée par les haines et les discordes, Nous implorons du Tous-Puissant, souverain Maître des destinées humaines, les plus abondantes et les plus exquises faveurs sur vous et sur les peuples que vous représentez si dignement.

II

Die 20 mensis Februarii a. 1949, Summus Pontifex, coram multitudine christifidelium Urbis, in foro Sancti Petri in Vaticano orante ac sensus devotionis et amoris profitente veneratissimo Patri, ob insectationes in membra Ecclesiae moerenti, haec verba fecit.

Romani! Diletti figli e figlie!

Ancora una volta, in un'ora grave e dolorosa, il popolo fedele della Città eterna è accorso verso il suo Vescovo e Padre.

Ancora una volta questo superbo colonnato sembra poter a stento stringere con le sue braccia gigantesche le folle che, come onde mosse da una forza irresistibile, sono affluite fin sulla soglia della Basilica Vaticana, per assistere alla Messa di espiazione nel punto centrale di tutto

il mondo cattolico ed effondere i sentimenti di cui le loro anime traboccano.

La condanna inflitta, fra la unanime riprovazione del mondo civile, sulle rive del Danubio, ad un eminente Cardinale di Santa Romana Chiesa, ha suscitato sulle rive del Tevere un grido d'indignazione degno dell'Urbe.

Ma il fatto che un regime avverso alla religione ha colpito questa volta un Principe della Chiesa, venerato dalla stragrande maggioranza del suo popolo, non è un caso isolato; esso è uno degli anelli della lunga catena di persecuzioni che alcuni Stati dittatoriali muovono contro la dottrina e la vita cristiana.

Una nota caratteristica comune ai persecutori di tutti i tempi è che, non contenti di abbattere fisicamente le loro vittime, vogliono anche renderle spregevoli e odiose alla patria ed alla società.

Chi non ricorda i Protomartiri romani, di cui parla Tacito [1], immolati sotto Nerone e rappresentati come incendiari, abominevoli malfattori, nemici del genere umano?

I moderni persecutori si mostrano docili discepoli di quella scuola ingloriosa.

Essi copiano, per così dire, i loro maestri e modelli, se pure non li sorpassano in crudezza, abili come sono nell'arte di adoperare i progressi più recenti della scienza e della tecnica allo scopo di una dominazione e di un asservimento del popolo, quale non sarebbe stato concepito nei tempi passati.

Romani! La Chiesa di Cristo segue il cammino tracciatole dal divin Redentore. Essa si sente eterna; sa che non potrà perire, che le più violente tempeste non varranno a sommergerla. Essa non mendica favori; le minacce e la disgrazia delle potestà terrene non la intimoriscono. Essa non s'immischia in questioni meramente politiche od ecoomiche, nè si cura di disputare sulla utilità o il danno dell'una o dell'altra forma di governo.

[1] *Annal.*, 15, 44.

Sempre bramosa, per quanto da lei dipende, di aver pace con tutti [2], essa dà a Cesare ciò che gli compete secondo il diritto, ma non può tradire nè abbandonare ciò che è di Dio.

Ora è ben noto quel che lo Stato totalitario e antireligioso esige ed attende da lei come prezzo della sua tolleranza o del suo problematico riconoscimento. Esso, cioè, vorrebbe

una Chiesa che tace, quando dovrebbe parlare;

una Chiesa che indebolisce la legge di Dio, adattandola al gusto dei voleri umani, quando dovrebbe altamente proclamarla e difenderla;

una Chiesa che si distacca dal fondamento inconcusso sul quale Cristo l'ha edificata, per adagiarsi comodamente sulla mobile sabbia delle opinioni del giorno o per abbandonarsi alla corrente che passa;

una Chiesa che non resiste alla oppressione delle coscienze e non tutela i legittimi diritti e le giuste libertà del popolo;

una Chiesa che con indecorosa servilità rimane chiusa fra le quattro mura del tempio, dimentica del divino mandato ricevuto da Cristo: Andate sui crocicchi delle strade [3]; istruite tutte le genti [4].

Diletti figli e figlie! Eredi spirituali di una innumerevole legione di confessori e di martiri.

E' questa la Chiesa che voi venerate ed amate? Riconoscereste voi in una tale Chiesa i lineamenti del volto della vostra Madre? Potete voi immaginarvi un Successore del primo Pietro, che si pieghi a simili esigenze?

Il Papa ha le promesse divine; pur nella sua umana debolezza, è invincibile e incrollabile; annunziatore della verità e della giustizia, principio della unità della Chiesa,

---

[2] Cfr. *Rom.*, 12, 18.
[3] MATTH., 22, 9.
[4] MATTH., 28, 19.

la sua voce denunzia gli errori, le idolatrie, le superstizioni, condanna le iniquità, fa amare la carità e le virtù.

Può dunque egli tacere, quando in una Nazione si strappano con la violenza o con l'astuzia dal centro della Cristianità, da Roma, le chiese che le sono unite, quando s'imprigionano tutti i vescovi greco-cattolici, perchè negano di apostatare dalla loro fede, si perseguitano e si arrestano sacerdoti e fedeli, perchè rifiutano di separarsi dalla loro vera Madre Chiesa?

Può il Papa tacere, quando il diritto di educare i propri figli è tolto ai genitori da un regime di minoranza, che vuole allontanarli da Cristo?

Può il Papa tacere, quando uno Stato, oltrepassando i limiti della sua competenza, si arroga il potere di sopprimere le diocesi, di deporre i Vescovi, di sconvolgere l'organizzazione ecclesiastica e di ridurla al di sotto delle esigenze minime per una efficace cura delle anime?

Può il Papa tacere, quando si giunge al punto di punire col carcere un sacerdote reo di non aver voluto violare il più sacro ed inviolabile dei segreti, il segreto della confessione sacramentale?

E' forse tutto ciò illegittima ingerenza nei poteri politici dello Stato? Chi potrebbe affermarlo onestamente? Le vostre esclamazioni hanno già dato la risposta a queste e a molte altre simili domande.

Il Signore Iddio, diletti figli e figlie, ricompensi la vostra fedeltà. Vi dia forza nelle lotte presenti e future. Vi renda vigili contro i colpi dei nemici suoi e vostri. Rischiari con la sua luce le menti di coloro, i cui occhi sono ancora chiusi alla verità. Conceda a tanti cuori, oggi ancora lontani da lui, la grazia del ritorno sincero a quella fede e a quei sentimenti fraterni, la cui negazione minaccia la pace dell'umanità.

Ed ora scenda larga, paterna, affettuosa su voi tutti, sull'Urbe e sull'Orbe la Nostra Benedizione Apostolica.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

6 - Sacra Congregatio Consistorialis

(*AAS.* XXXXI [25 feb. 1949] p. 31).

DECLARATIO

Cum nuper in E.mum P. D. Iosephum S. R. E. Cardinalem Mindszenty, Archiepiscopum Strigoniensem, quidam violentas manus sacrilege iniicere et Eiusdem exercitium iurisdictionis ecclesiasticae impedire ausi fuerint, Sacra Congregatio Consistorialis eos omnes qui memorata delicta patraverunt, ad normam can. 2343, § 2 et 2334 n. 2 Codicis Iuris Canonici, in excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam incurrisse atque ipso iure infames esse declarat.

Datum Romae, die 28 Decembris a. 1948.

Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA, *a Secretis*

L. ✠ S.

B. Renzoni, *Adsessor.*

7 - Sacra Congregatio Concilii

(*AAS.* XXXXI [25 feb. 1949] p. 32).

Decretum

DE ABSTINENTIA ET IEIUNII LEGE OBSERVANDA

Cum adversa rerum adiuncta, quae legem abstinentiae et ieiunii mense Decembri a. D. 1941 relaxandam suaserunt, fere ubique aliquantum remissa sint, adveniente propitio Anni Sancti tempore, pluribus postulantibus Excel-

lentissimis Ordinariis, visum est ut saltem ex parte lex ipsa restauretur.

Quapropter Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII decernere dignatus est pro omnibus fidelibus ritus latini, etiam pertinentibus ad Ordines et Congregationes Religiosas, facultatem Ordinaris concessam super praedictam legem dispensandi ita coarctari ut, a prima die proximae Sacrae Quadragesimae et donec aliter provideatur, abstinentia servetur singulis feriis sextis; lex vero abstinentiae simul et ieiunii feria quarta Cinerum, feria sexta Maioris Hebdomadae, pervigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis D. N. I. C.; benigne tamen iudulgens ut diebus abstinentiae simul et ieiunii ova et lacticinia etiam mane et vespere ubique sumere liceat.

Locorum autem Ordinarii, qui nova hac legis abstinentiae et ieiunii moderatione utuntur, fideles hortari ne omittant, praesertim clericos, religiosos et religiosas, ut gravissimis hisce temporibus voluntaria christianae perfectionis exercitia nec non caritatis opera, maxime erga inopes et aegrotos, libenter addant, itemque ad mentem Summi Pontificis preces effundant.

Datum Romae, die 28 Ianuarii 1949.

F. Card. Marmaggi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Annotationes

1. Praeter indultum super lege abstinentiae et ieiunii in favorem solius Italiae die 20 decembris anni 1940 concessum, decretum prodiit S. C. pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis diti 19 decembris 1941, quo quamdiu bellum illud perduraret, universus orbis frui poterat; quodque finito bello prorrogatum fuit per S. C. Concilii die 22 ianuarii 1946 donec aliter provideretur. Nunc autem aliter

provisum est per decretum cuius breve commentarium instituimus, sedulo attendentes ad textum praecedentium quae citavimus; nam facultates anno 1941 concessae, quae prorrogantur 1946, nunc partim arctioribus limitibus coarctantur, partim quoad qualitatem ciborum, qui licite adhiberi possunt, augentur.

2. Cum adversa rerum adiuncta tam belli quam temporis immediate illud subsequentis « fere ubique aliquantum remissa sint », visum est Summo Pontifici legem abstinentiae et ieiunii saltem ex parte restaurare; quod fit praecedentem facultatem dispensandi Ordinariis concessam coarctando. Praecedentes enim dispensationes causam habebant in ingentibus illius temporis difficultatibus; quapropter, hisce imminutis, legis dispensationem novis rerum adiunctis accommodare oportet. Hoc factum est pro fidelibus ritus latini per Decretum S. C. Concilii diei 28 ianuarii 1949, de quo agimus; pro omnibus fidelibus orientalis ritus per Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali eodem die datum; circa quod ea tantum commemorabimus, quae illi peculiaria sunt.

Ex verbis fere iisdem utriusque decreti clare patet Ecclesiam materno animo ita adversis rerum adiunctis etiam nunc subsistentibus velle prospicere, ut spiritus christianae mortificationis, etiam externae, integer permaneat; nec ex dispensatione ultra veram necessitatem protracta capiat detrimentum. Qui finis facilius obtinetur nunc, cum instante iam Anni Sancti tempore spiritus paenitentiae apud fideles magis augetur. Insuper ex ultimis verbis decreti mens Sanctae Sedis clare patet, ut omnes fideles, praesertim vero clerici, religiosi et religiosae in compensationem relaxatae legis de abstinentia et ieiunio, propriam vitam asceticam ad perfectionem acquirendam impensius foveant, et opera caritatis, maxime erga inopes et aegrotos augeant, simulque ad mentem Summi Pontificis preces effundant.

3. Duae facultates diversae distinguendae sunt in de-

creto concessae: prima circa dies quibus lex ieiunii et abstinentiae viget, altera circa ciborum qualitatem.

Relate ad primam, fidelibus ipsis nulla directe a Summo Pontifice dispensatio praebetur, sed (prout constat ex decreto anni 1941, AAS. [1941] 516) facultas datur:

a) Omnibus Ordinariis locorum;

b) pro suo prudenti arbitrio;

c) in territorio suae iurisdictionis;

d) in favorem etiam religiosorum et religiosarum exemptorum.

Dispensatio ita pendet a prudenti Ordinariorum arbitrio, ut ipsi iuxta diversa locorum adiuncta, a se rite pensanda, possint aut facultate sibi concessa non uti, aut dispensationem maiorem minoremve lergiri; ita tamen ut in quolibet casu a fidelibus ritus latini abstinentia servetur singulis feriis sextis, lex vero abstinentiae simul et ieiunii feria IV Cinerum, feria VI Maioris Hebdomadae, pervigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis D. N. I. C.

Relate ad fideles ritus orientalis agnoscitur varietas disciplinae apud ipsos; propterea decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, statuens dies a quibus Ordinarii dispensare nequeunt, iubet abstinentiae et ieiunii legem servare « *si et prout viget in singulis ritibus* » eodem fere modo atque in ritu latino. Nam loco feriae IV Cinerum sermo est de « prima die Magnae Quadragesimae », et pro fidelibus bizantini ritus obligatio habetur non pervigilio Nativitatis, sed Epiphaniae.

4. Notanda est insuper facultas circa ciborum qualitatem per hoc decretum concessa, quae sic in ipso exprimitur: « benigne tamen indulgens ut diebus abstinentiae simul et ieiunii ova et lacticinia etiam mane et vespere ubique sumere liceat ».

Canon 1251 § 1 agnoscens liceitatem frustuli matutini et collationis serotinae relinquit probatae locorum consuetudini determinationem quantitatis et qualitatis ciborum quos in ipsis adhibere licet. Aderant sane regiones ubi

ova et lacticinia in usu erant, dum in aliis omnino prohibebantur. Nunc autem, dum hoc decretum in vigore permaneat, *ubique* permittuntur *omnibus et solis diebus abstinentiae simul et ieiunii.*

Omnibus sane: nam verba generalissima sunt, nec restringenda ad illos quattuor dies in decreto commemoratos a quibus Ordinarii vi eiusdem dispensare nequeunt. Unde si aliquis Episcopus pro sua dioecesi facultate dispensandi uti nolit, ova et lacticinia in parvis refectionibus sumere licebit omnibus diebus in quibus iuxta legem Codicis abstinentia simul et ieiunium servari debent.

Solis inquam: nam expressa verba decreti non permittunt facultatem extendere ad dies in quibus ex lege Codicis ieiunium tantum servandum sit.

5. Nec praetereundum est hanc facultatem, aliter quam praecedens de numero dierum abstinentiae et ieiunii, fidelibus ritus latini *directe* concessam esse, ita ut nullus actus ex parte Ordinarii requiratur ut effectum obtineat, prout demonstrant tam contextus quam formula adhibita; dum e contra pro fidelibus ritus orientalis formula selecta clare ostendit facultatem datam esse directe Ordinariis ut ipsi ova et lacticinia in parvis refectionibus permittere valeant. Dicitur enim: « benigne tamen indulgens ut diebus abstinentiae simul et ieiunii Ex.mi Ordinarii ova et lacticinia etiam mane et vespere permittere valeant ».

Quod discrimen in modo concessionis eo forte explicatur, quia apud fideles ritus orientalis qualitas ciborum tanti momenti est in disciplina ieiunii, consuetudinesque tam variae, ut prudenti Ordinariorum iudicio relinquenda sit haec concessio, ne forte magis perturbationem apud fideles inducat quam fructus.

Praelaudata decreta vigere incoeperunt pro fidelibus ritus latini Feria IV Cinerum; pro fidelibus ritus orientalis prima die Magnae Quadragesimae praesentis anni, et in vigore erunt « donec aliter provideatur »; firmis insuper

manentibus facultatibus dispensandi quae Ordinariis competunt sive ex iure communi sive ex peculiaribus indultis et privilegiis.

PETRUS M. ABELLAN, S. I.

8 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

(*AAS.* XXXXI [25 feb. 1949] p. 94).

Decretum

DE CLERICIS EX EUROPAEIS DIOECESIBUS IN AUSTRALIAM VEL NOVAM ZELANDIAM DEMIGRANTIBUS.

Ad tuendam disciplinam ecclesiasticam in ditione Australiae et Novae Zelandiae huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ob praesentis temporis rerum adiuncta, opportunum visum est ea, quae sequuntur, statuere:

Clerici saeculares vel religiosi exclaustrati, durante exclaustrationis tempore, et religiosi saecularizati, qui ex Europae dioecesibus memoratas regiones qualibet ex causa, etiam ad breve tempus, adire cupiant, stricte tenentur ab hac eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide permissionem in scriptis datam obtinere. Quod si, hoc praescripto non servato, demigraverint, suspensi a divinis ipso facto manebunt.

Ordinarii locorum Australiae et Novae Zelandiae curent ut praescripta, de quibus supra, adamussim observentur.

Pro clericis vero Nationum, quae in Europa lingua anglica utuntur, sufficit ut Episcopus dimittens, antequam licentiam et discessoriales litteras concedat, directe, ad normam sacrorum canonum, quin ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide recurrat, cum Episcopo acceptante pertractet.

Quae, in Audientia diei 21 mensis octobris vertentis anni 1948 Ss.mo D. N. Pio Div. Prov. Papae XII ab infra-

scripto Cardinali Praefecto S. Congregationis de Propaganda Fide relata, Summus Pontifex rata habuit ac confirmavit atque praesens ad rem Decretum expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 21 mensis Octobris anno Domini 1948.

† Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secret.*

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

9 - Sacra Congregatio Consistorialis

(*AAS.* xxxxi [25 feb. 1949] p. 80).

I

Declaratio

Quum quidam nedum violentas manus sacrilege iniicere in E.mum P. D. Iosephum S. R. E. Cardinalem Mindszenty, Archiepiscopum Strigoniensem, sed et Illum ad iudicem laicum trahere, et nequissima sententia impedire ab exercitio Suae archiepiscopalis iurisdictionis ausi sint, haec Sacra Consistorialis Congregatio iterum declarat ac monet eos omnes qui huiusmodi delicta patraverunt vel patrabunt, sive mandantes cuiuscumque generis et gradus, sive complices quos praefata delicta, sua natura, postulaverunt vel postulabunt, sive illos qui ad delictorum consummationem induxerunt vel inducent vel in hanc quoquo modo concurrerunt vel in posterum concurrent, si tamen sine eorum auxilio delictum non fuerit vel foret commissum, excommunicationem latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatam — ad tramitem cann. 2343 § 2 n. 1, 2341, 2334 n. 2, 2209 § 1, 2, 3 — contraxisse vel contracturos, ipso iure infames — ad normam can. 2343 § 2 n. 2 —, esse vel fore, ceterasque poenas pro qualitate delinquen-

tium incurrisse vel incursuros ad normam sacrorum canonum Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 12 Februarii 1949.

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA, *a Secretis*

L. ✠ S.

B. Benzoni, *Adsessor.*

10 - Sacra Congregatio Rituum

(*AAS.* XXXXI [25 feb. 1949] p. 82).

Decretum

DE DUABUS MISSIS IN DOMINICA DE PASSIONE HOC ANNO CELEBRANDIS.

Quum nuperime Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII « Apostolica Sua Adhortatione » diei 11 Februarii currentis anni, ad exsecrabile atheismi crimen profligandum, ad scelestae impietati vallum et remedium parandum et ad nostrae aetatis peccata impietatemque expianda, die Dominica de Passione huius anni alteram Missam votivam « Pro remissione peccatorum » litare sacerdotibus omnibus permiserit, Sacra Rituum Congregatio, de ipsius Sanctissimi Domini Nostri mandato haec servanda declarat:

Sacerdotes omnes, qui binas illas Missas celebrare voluerint, primam litent de Passione, uti in Missali Romano, cum oratione pro Papa, ob quinquagesimum annum ab Eius inito sacerdotio; alteram votivam « Pro remissione peccatorum » quae invenitur inter Missas votivas Missalis Romani, absque ulla commemoratione etiam Dominicae, cum Credo et Praefatione de Passione: servatis de cetero Rubricis quoad calicis purificationem.

Qui vero unam tantum Missam celebrat, ea sit de Dominica Passionis, addita orationi diei commemoratione Missae votivae « Pro remissione peccatorum » sub unica conclusione, et oratione pro Papa, cum Evangelio S. Ioannis in fine.

Servatis de cetero Rubricis, nec non peculiaribus Ritibus Ordinum propriis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Februarii 1949.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

Epistulae [1] a Commissione Biblica ad Card. Suchard, « De tempore documentorum Pentateuchi et de genere litterario undecim priorum capitum Geneseos » datae.

Annotationes

In fasciculo tertio anni proxime elapsi (pp. 185-189) inter monumenta edita est « Epistula »,a Commissione Biblica data « ad Card. Suhard de tempore documentorum Pentateuchi et de genere litterario undecim priorum capitum Genereos ». In hac epistula duae quaestiones attinguntur, quae recenter Summo Pontifici submissae fuerant, quaeque Commissioni Pontificiae de Re Biblica solvendae a Pontifice traditae sunt: de tempore documentorum Pentateuchi et de genere litterario undecim priorum capitum Genesis. En diversi gressus quos Commissio Pontificia de Re Biblica ad quaestiones solvendas proponit in epistola missa die 16 januarii 1948 Cardinali Suhard, Archiepiscopo Parisiensi, a Secretario Comm. Bibl. Jacobo M. Vosté O. P.

---

[1] *Act. Apost. Sed.* 1948, pag. 45-48.

Epistola, respiciens ad Litteras Encyclicas *Divino Afflante Spiritu,* exegetae catholico *quam amplissimam libertatem* in studiis biblicis promovendis concedit, dummodo sese contineat intra limites *traditionalis* doctrinae Ecclesiae. Ad hoc vero exigitur in illo, praeeuntibus etiam Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu, amor* scientiae biblicae activus ac fervidus et *devotio* nostrae Matri S. Ecclesiae. His qualitatibus munitus, debet catholicus exegeta quaestiones difficiles adhuc insolutas aggredi, ad hoc ut et adversariorum solutiones reiiciat, et solidam tentet invenire explicationem tum *perfecte concordem* cum doctrina Ecclesiae, specialiter cum inerrantia biblica, tum simul capacem plene satisfaciendi *conclusionibus certis* scientiarum profanarum. Quod si faciat, nihil timendum habet ex parte imprudentis zeli eorum, qui putant se debere impugnare aut suspectum habere quidquid novum est.

Ex hac vero quam amplissima libertate catholico exegetae concessa, posset quis primo intuitu deducere vim amisisse ac quasi abrogata remanere illa tria responsa Comm. Bibl. data die 23 junii 1905 — circa narrationes specietenus tantum historicas —, die 27 junii 1906 — circa authenticitatem mosaicam Pentateuchi —, die 30 junii 1909 — circa characterem historicum trium primorum capitum Genesis [2]. At haec talis deductio ut reiicienda apparet, tum ex ipsa epistola sic se habente: « Consequenter Comm. Bibl. non putat locum esse promulgandi, saltem pro nunc, nova decreta circa has quaestiones », tum ex ipsis praecitatis responsionibus.

In primo enim ex supradictis decretis dicitur: « Utrum admitti possit tamquam *principium* rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid sibnificandum

---

[2] EB. 154; 174-177; 332-339.

a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum »?

Quaestio est ergo de *principio* rectae exegeseos quod, ut tale et applicatum non modo Genesi, sed libris omnibus qui pro historicis habentur, reprobatur, ita tamen ut haec reprobatio absoluta dicenda non sit. En enim responsum: « Negative, *excepto tamen casu,* non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere ».

Proinde non prohibebatur accessus ad studium talis problematis, sed prudentia et maxima providentia tunc commendabantur, cum adhuc absentia elementorum sufficientium faciliter studia biblica deviare poterat. Haec prudentia et providentia non tolluntur e medio in hodierno documento, sed commendantur etiam ex memoratis, simul cum libertate quam amplissima concessa, limitibus doctrinae traditionalis Ecclesiae, amore activo et fervido scientiae biblicae et devotione nostrae Matri Ecclesiae, solutione pro conclusionibus certis scientiarum profanarum et explicatione quaestionum difficilium perfecte concordi cum doctrina Ecclesiae. Tamen accessus facilior et amplior ostenditur, qualis ostenditur etiam ab ipsis praedictis responsionibus biblicis at sub a luce Encyclicae *Divino Afflante Spiritu,* ex eo quod fructus, durantibus his ultimis quadraginta annis habiti, ulterius examen vere scientificum horum problematum permittant.

Aliud ex his problematibus tractatum fuit in secundo supradicto decreto Comm. Bibl. in quo iam admittebatur « concedi *posse* Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones », necnon « admitti *posse* tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes advenisse, uti: addita-

menta post mortem Moysi... » Sub hoc duplici aspectu, in hac duplici directione, epistula nostra viam etiam ampliorem aperit in quantum non modo *possibilitatem*, sed etiam *realem existetiam* talium fontium recognoscit et *reale etiam augmentum progressivum* admittit, tum in legibus mosaicis ob conditiones morales et religiosas temporum posteriorum, tum in narrationibus historicis.

Datur ergo transitus *ex posse ad esse*, at cum hac animadversione: « Cum vero non sit concordia inter auctores neque in natura et munere documentorum determinandis, neque in particularibus rebus redactionis explicandis, sapientes catholicos invitamus ad studium horum problematum sine praeiudiciis, sub lumine sanae criticae fructuumque aliarum scientiarum cum his materiis connexarum; hoc vero tale studium absque dubio statuet *magnam illam partem ac profundum influxum Moysis ut auctoris et legislatoris* ».

Asseritur ergo Moyses *auctor* et quidem in quantum *magna ex parte* illi debentur narrationes historicae, eiusque manet *profundus influxus* in parte legislativa. Proinde retinetur illa Comm. Bibl. asertio, « libros nempe Pentateuchi non fuisse confectos ex fontibus *maxima ex parte* aetate mosaica posterioribus »; afirmatio enim contraria negaret Moysen auctorem Pentateuchi, nec, illa stante, salvaretur substantialiter illius Mosaica authentia et integritas.

In tertio Comm. Bibl. supradicto decreto attingitur aspectus historicus, tum generalis, tum religiosus trium priorum capitum Genesis. Quoad primum autem respondetur negative ad hanc propositam quaestionem: « Utrum... doceri possit praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant... ». Quoad secundum vero etiam negative respondetur ad hanc aliam quaestionem: « Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem

capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt... ». Quid ergo nostra epistola respectu doctrinae huius decreti?

Notandum praeprimis venit quaestionem in illa non reduci ad tria prima capita Genesis, sed extendi explicite ad illius libri undecim prima capita, implicite forte ad omnes libros, de quibus nunc praecipue inter catholicos disputatur utrum stricte et proprie historici sint necne. Hoc supposito, problema declaratur complexum et obscurum; asseruntur in illis formae literariae, quae nulli ex nostris categoriis classicis respondent, quaeque nequeunt iudicari sub lumine generum litterariorum graeco-latinorum aut modernorum; hic docetur impossibilitas proclamandi globatim historicitatem vel non historicitatem, quin prius determinetur genus litterarium proprium; affirmatur tamen hoc in praesenti non semper fieri posse, cum appareat adhuc veram naturam aliquarum narrationum primorum capitum Genesis determinari nequiri, ex eo quod ibi multiplicia problemata sint connexa, qualia sunt problema palaeontologicum, problema historicum (in quo solvenda manet *eadem ipsorum antiquorum notio de veritate historica*), problema epigraphicum et problema litterarium; his non obstantibus, vera ac propria historia in his capitibus recognoscitur, cum statim additur: « Declarare a priori historiam sensu moderno huius verbi non contineri in horum capitum narrationibus, esset facilem locum huic ideae relinquere, nempe historiam nullo sensu in illis contineri, cum illae narrent sermone simplici et figurato, intelligentiis humanitatis minus evolutae accommodato, veritates fundamentales praesuppositas in oeconomia salutis simul ac descriptionem popularem originis generis humani et populi electi ».

Amplissimus ergo campus laboris et investigationis exegetae catholico aperitur, qui tamen clausus omnino minime iacebat in responsionibus Comm. Bibl. saepe citatis. Ad hunc campum investigationis excolendum impeliltur

exegeta catholicus, cui tamen, ne praeceps nimis et incautus procedat, prae oculis ponuntur ex una parte conclusiones certae ex scientiis naturalibus, ex alia autem Ecclesia ut obiectum amoris et devotionis, eiusque doctrina traditionalis ut norma directiva investigationis biblicae. Hoc supposito, serio incumbat labor, et dum exitus attenditur, patientiam exerceat quae est prudentia et sapientia vitae.

Felix Asensio, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

11 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae Apostolicae *Parvam urbem*, 25 aprilis 1946, quibus ad dignitatem et honorem basilicae minoris evehitur ecclesia collegialis Deo in honorem B. Mariae V. in caelum assumptae dicata et in urbe Gallarate Mediolanensis dioecesis posita (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 21-22).

B — Litterae decretales, 22 iunii 1947, quibus B. Bernardino Realino, Sacerdoti professo Societatis Iesu sanctorum honores decernuntur (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 45-56).

C — Constitutio Apostolica, 20 maii 1948, qua ab archidioecesi Bombayensi territorii pars seiungitur et nova inde erigitur dioecesis nomine Karachiensis (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 62-64).

D — Litterae Apostolicae *Maxima est*, 24 maii 1948, quibus basilicae minoribus decoratur cathedrale templum Calatayeronensis dioecesis in honorem s. Iuliani episcopi Cenomanensis Deo dicatum (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 22-23).

E — Epistula *Quinquagesimo*, 11 iul. 1948, ad R. P. MATTHAEUM CRAWLEY-BOEVEY, Congregationis a Ss. Cordibus Iesu et Mariae sacerdotem quinquagesimum sacerdotii sui natalem celebraturum (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 24-26).

F — Constitutio Apostolica, 15 iul. 1948, qua a dioecesi Guayaquilensi provincia civilis Los Rios dismembratur et exinde novus erigitur vicariatus apostolicus Fluminensis (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 16-17).

G — Constitutio Apostolica, 17 iul. 1948, qua ab archidioecesis Edmontonensis territorio pars distrahitur, quae in novam dioecesim S. Pauli in Aleberta nomine erigitur (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 18-20).

H — Epistula *Quintum ac vigesimum*, 6 aug. 1948, ad moderatores, doctores et alumnos Catholicae Studiorum Universitatis Noviomagensis, quinto ac vigesimo anno ab eiusdem universitatis exordio (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 26-27).

I — Epistula *Opportunum sane*, 20 nov. 1948, ad Em.mum P. D. EMMANUELEM tit. S. Honophrii in Ianiculo S. R. E. Presbyterum Cardinalem SUHARD, archiepiscopum Parisiensem, quina lustra sacerdotii feliciter explentem (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 27-28).

L — Epistula *Quemadmodum*, 4 dec. 1948, ad Rev.mum P. CLEMENTEM A MILWAUKEE Ordinis Franciscalium Capulatorum Ministrum Generalem de apostolatu ab eodem ordine provehendo (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 64-66).

M — Epistula *Praenobile templum*, 8 dec. 1948, ad Em.mum P. D. THEODORUM tit. S. Chrysogoni S. R. E. Presbyterum Card. INNITZER, archiepiscopum Vindobonensem eumdemque administratorem apostolicum de Burgenland, ob S. Stephani Vindobonae cathedrale templum cultui restitutum (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 67-68).

N — Epistula *Agnovimus perlibenter*, 15 dec. 1948, ad Reverendissimum D. LAURENTIUM PEROSI, antistitem urbanum, quinquagesimum annum magisterii Chori Xystini a Summo Pontifice Leone XIII eidem crediti expleturum (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 68-69).

O — Epistula *In fratres caritas*, 24 dec. 1948, ad Exc.mum P. D. IOANNEM T. MCNICHOLAS, archiepiscopum Cincinnatensem ac praesidem Consilii « Catholic National Welfare Conference », ob auxilium commigrantibus aliisque miseris ab eodem Consilio provide praestitutum (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 69-71).

P — Epistula *Praeclara*, 6 ian. 1949, ad Em.mum P. D. CLEMENTEM, episcopum Veliternum, S. R. E. Presbyterum Cardinalem MICARA, Congregationis Sacrorum Rituum praefectum, quem legatum mittit ad Conventum eucharisticum Bolivarianum in urbe Cali Columbianae reipublicae celebrandum (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 71-72).

Q — Nuntius radiophonicus 30 ian. 1949 ad christifideles ob Conventum eucharisticum Bolivarianum in urbe Cali Columbianae reipublicae coadunatos (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 76-79).

12 - S. C. pro Ecclesia Orientali

Decretum 28 ian. 1949 de abstinentiae et ieiunii lege observanda (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 31).

13 - S. C. de Propaganda Fide

Decretum 8 iul. 1949 de nominis mutatione (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 33.

Decretum 13 ian. 1949 de nominis mutatione (*AAS* XLI [25 febr. 1949] p. 82).

14 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

Leopolien. — Decretum, 25 iun. 1948, reassumptionis causae pro canonizatione b. Ioannis de Dukla, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 35-36).

Cracovien. — Decretum, 25 iun. 1948, reassumptionis causae pro canonizatione b. Simonis de Lipnica, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 36-37).

Bituricen. seu Galliarum. — Decretum, 19 dec. 1948, de miraculis pro canonizatione b. Ioannae de Valois, Galliarum reginae, fundatricis Ordinis Ss.mae Annuntiationis B. M. V. (*AAS* XLI [31 ian. 1949] p. 38-40).

15 - Provisiones Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis praefecti sunt:

12 nov. 1948. Metropolitanis ecclesiis in personam unitis Gnesnensi et Varsaviensi Exc.mus P. D. STEPHANUS WYSZYNSKI, hactenus episcopus Lublinensis.

27 nov. 1948. Cathedrali ecclesiae Sancti Vincentii, noviter erectae, Exc.mum P. D. ARNALDUS APARICIO.

11 dec. 1948. Metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi in Cuba Exc.mum P. D. HENRICUS PÉREZ SERANTES, hactenus episcopus Camagueyensis.

11 dec. 1948. Cathedrali ecclesiae Camagueyensi R. D. CAROLUS RIU ANGLES.

17 dec. 1948. Cathedrali ecclesiae Campifontis in Illinois R. P. D. GULIELMUS A. O'CONNOR.

27 dec. 1948. Cathedrali ecclesiae Albae Pomeiensi Exc. P. D. CAROLUS STOPPA, hactenus episcopus Sarsinatensis.

29 dec. 1948. Cathedrali ecclesiae Tornacensi R. D. CAROLUS HIMMER, dioecesis Namurcensis.

13 ian. 1949. Archiepiscopali ecclesiae Rossanensi Exc. P. D. IOANNES RIZZO.

5 febr. 1949. Patriarchali ecclesiae Venetiarum Exc. P. D. CAROLUS AGOSTINI, hactenus episcopus Patavinus.

8 febr. 1949. Cathedrali ecclesiae Edmundstonensi R. D. ROMEUS GAGNON.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

C. BOZZOLA S. I., C. GREPPI S. I., *De verbo incarnato,* (Cursus theologicus, III), Neapoli (M. D'Auria), 1948, 16×24 cm., 305 pag.

C. DUVAL-AUMONT, *Les problèmes de la natalité au foyer. Exposé moral et biologique,* edit. 7ª, Bruxelles (Action familiale) - Tournai. Paris (Casterman), 1949, 12,5×19 cm., 136 pag.

Problèmes et solutions: Y a-t-il un devoir de procréation et quels sont les intérêts en jeu? Combien doit-on avoir d'enfants? Y a-t-il des méthodes légitimes de limitation des naissances? Nouvelles découvertes. — Pages de spiritualité.

F. M. MARCHESI, *Summula iuris publici ecclesiastici,* Neapoli (M. D'Auria), 1948, 16×24 cm., 172 pag.

R. W. O'BRIEN, O. Carm., *The Provincial religious Superior. A historical conspectus and a commentary on the rights and duties of the Provincial religious Superior in religious orders of men* (Canon Law Studies, n. 258), Washington (The Catholic University of America Press), 1947, 15×22,5 cm., 294 pag.

Introduction: The origin of the office of Provincial Superior. — Canonical commentary: Preliminary questions; the legislative and judicial powers of the Provincial Superior; the executive power of the Provincial Superior. — Conclusions. — Bibliography.

II - Ex periodicis

COLLECTANEA MECHLINIENSIA, XXXIV (1949), fasc. 2 (mart.) — J. GOEYVAERTS, *Vereisten tot vruchtbaar biechten,* p. 137-154.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS, XXVII (1948), fasc. IV-VI. — R. LOGAR C. M. F., *Conspectus historico-iuridicus iuris Religiosorum Orientalium* (cont.), p. 183-205; A. DE URRUTIA, *Familiae religiosae apud Anglicanos* (cont.), p. 206-223.

EPHEMERIDES LITURGICAE, LXII (1948), fasc. IV — A. P., *Opus Dei,* p. 363-365.

GREGORIANUM, XXIX (1948), 3-4 — H. LENNERZ S. I., *Quid theologo censendum de polygenismo?* p. 417-434; C. BOYER, *Morale et surnaturel*, p. 527-543.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, XLV (1949), fasc. 1 (ian.) — H. MANDERS C. SS. R., *Herziening van het Brevier?* p. 1-10. — Fasc. 2 (febr.) — H. MANDERS, *Herziening van het Brevier* (cont.), p. 33-43. — C. MOONEN C. SS. R., *Moraaltheologische kanttekeningen bij een psychotherapeutisch advies*, p. 43-53.

RAZON Y FE, t. 139 (1949), fasc. 2 (febr.) — F. DE P. SOLÁ S. I., *La Encíclica « Mediator Dei » sobre la Sagrada Liturgia* (y II), p. 138-156.

RECHERCHES DE SCIENCE RELIGIEUSE, XXXV (1949), num. 1 (ian.-mart.) — G. FESSARD, *Le Mystère de la Société. Recherches sur le Sens de l'Histoire*, p. 5-54. — S. GIET, *La Doctrine de l'Appropriation des Biens chez quelques-uns des Pères*, p. 55-91 — P. DONCOEUR, *Gagner ou perdre sa psychè*, p. 114-119. — Num. 2 (apr.-iun.) — G. FESSARD, *Le mystère de la Société*, etc. (cont.), p. 161-225. — Num. 3. (iul.-sept.) — J. DANIÉLOU, *La Typologie de la Semaine au IVe siècle*, p. 382-411.

REVUE DIOCÉSAINE DE NAMUR, IV (1949), num. 1 (ian.) — A. SIMONET, *Vers l'oraison*, p. 1-11.

SAL TERRAE, XXXVII (1949), num. 4 (apr.) — F. DE ARANGO S. I., *Pio XII: El Papa de la caridad*, p. 204-208.

SEMINARIO DE MEDELLIN, 1948, num. 8 (oct.-dec.) — O. AGUILAR, *El delicuente en la legislación Penal Canónica*, p. 332-334.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

ADNOTATIONES AD MOTU PROPRIO "CREBRAE ALLATAE SUNT"

Haud leve negotium hucusque in multis locis obvenit Episcopis ex magna disciplinae matrimonialis Orientalium varietate. Cum enim recentioribus temporibus fidelium orientalium diversorum rituum magnus numerus, relicta patria, novas sedes quaereret, sive in Europa, sive praesertim in America septentrionali et meridionali, in admittendis nupturientibus ad matrimonium saepe inextricabiles difficultates apparuerunt. Idcirco, ut dicitur in Motu proprio, e multis locis Apostolicae Sedi explicata sunt optata, « ut quod fieri posset, ecclesiastica disciplina ad matrimonialia impedimenta et ad formam ineundi nuptialis foederis pertinens unius tenoris redderetur ». Quodsi ob has causas iuris matrimonialis Orientalium codificatio praesertim latinis Episcopis in votis erat, non minore desiderio in Oriente promptam canonum matrimonialium promulgationem exspectabant. Notum est enim in regionibus in quibus christiani una cum mahumetanis vivunt et plerumque constituti sunt sub guberniis islamicis, certa negotiorum genera et praesertim ea quae ad « statum personalem » pertinent, subiecta esse iurisdictioni Hierarchiae christianae diversorum rituum. Inter illa negotia gravissima sunt quae ad matrimonium spectant. Constitutis post primum bellum mundiale novis Statibus independentibus in Aegypto, Syria, Libano, Iraq, Palaestina etc. Episcopi singularum communitatum christianarum mox invitati sunt ut propria

« statuta personalia » gubernio exhiberent. Id ob varias causas usque ad id tempus fieri non potuit; hodie, promulgato Motu Proprio « Crebrae allatae sunt » catholici rituum orientalium quod ad matrimonium attinet, normas bene determinatas auctoritati statali singulorum Statuum proponere valent et hac ratione vitare ne normae iuris matrimonialis islamici, spiritu tam diverso a doctrina christiana, sibi applicentur.

Ex his quae diximus liquet cur novi canones matrimoniales in plerisque *conveniunt cum iure matrimoniali latino*. Plura sane in eis statuta ipso iure divino naturali vel positivo nituntur, uti canones praeliminares, canones qui spectant consensum matrimonialem, effectus matrimonii, separationem coniugum, matrimonii convalidationem. In aliis in quibus maior uniformitas observatur, ex communi iuris ecclesiastici evolutione quaedam aequalitas saltem in essentialibus habebatur, ut in impedimentis matrimonialibus quae magna ex parte non solum apud catholicos orientales sed etiam apud dissidentes inveniuntur, licet diversarum communitatum religiosarum disciplina particularibus notis sat frequenter discrepet; ita in impedimentis aetatis, ligaminis, disparitatis cultus, ordinis sacri, voti, raptus, criminis (adulterii), consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, cognationis legalis. Aliae normae quae neque iure divino naturali aut positivo, neque communi iuris evolutione nituntur, sine magno negotio ab Orientalibus acceptari poterant, cum rationi iuridicae singulorum institutorum valde consentaneae videantur, et in iure orientali normae idoneae non habeantur.

Si Motu proprio inter ius latinum et ius orientale similitudo aucta est, id multo *magis valet de variis disciplinis matrimonialibus ipsorum Orientalium*. In paucis tantum ius particulare servatur, v. g. in can. 7 de benedictione sponsalitia, in can. 12 ss. de publicationibus quae antecedunt matrimonium, in can. 32 de potestate Patriarcharum et Episcoporum dispensandi ab impedimentis matri-

monialibus, in can. 48 de impedimento voti privati, in can. 68 § 2 de affinitate ex digeneia quae existit inter cognatos mariti et cognatos mulieris, in can. 68, § 3 de affinitate ex trigeneia, in can. 86 § 3, 3° de Patriarcha cui cura fidelium sui ritus extra patriarchatus commorantium ei commissa est, in can. 88 § 2 de licentia Episcopi necessaria ad matrimonium ineundum, in can. 97 § 2 de prohibitione celebrationis nuptiarum tempore sacro. In ceteris ius matrimoniale omnibus Orientalibus commune est. Non mirum si consideres hunc scopum ex multorum votis codificationi praefixum esse ut quantum fieri possit, promoveat unitatem disciplinae.

In Motu proprio solemniter statuitur ut vi sua destituatur, ex quo canones vigere coeperint, « quodlibet statutum sive generale sive particulare sive speciale, etiam latum a Synodis speciali forma adprobatis, quaelibet praescriptio et consuetudo adhuc vigens, sive generalis sive particularis ». Inde concludendum est *neque canones in Codice I. C. contentos excipi* si contrarii sint canonibus novae legis. Ceterum id raro tantum eventurum esse, eo praesumi potest quod canones matrimoniales promulgati sunt et vim legis habent « pro christifidelibus Ecclesiae orientalis... ubique terrarum hi sunt et tametsi Praelato diversi ritus sunt subiecti ». Ratione sui igitur latini his canonibus non subiiciuntur, sed ratione relationis quam habent ad personas vel ad res orientales ipsi quoque eis afficiuntur, v. g. ubi agitur de Hierarchia vel parocho latino, qui vi can. 86 § 2, 3° nuptiis duorum Orientalium assistit. Sine ullo dubio vero auctoritas canonum non solum ad Orientales catholicos, sed etiam ad Orientales dissidentes extenditur, nisi in aliquo canone expresse eximuntur, ut fit in can. 90 § 2 [1]. Nam eaedem rationes hic vim habent quae

---

[1] A. Coussa, *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali*, vol. I, Romae 1948, p. 25. Cf. A. van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, Mechliniae 1930, p. 201.

afferuntur ab auctoribus latinis ut probent haereticos et schismaticos latinos subiici praescriptionibus Codicis I. C.

De *terminologia* breviter notamus in canonibus matrimonialibus apparere studium substituendi certis terminis technicis latinis alios Orientalibus magis familiares; ita dicitur Eparchia loco dioecesis, Hierarchia loco Ordinarii, syndellus loco Vicarii generalis, etc. Sermo quoque est de professione minore et maiore loco professionis simplicis et solemnis. In aliis locis mutatio correctionis gratia facta esse videtur, v. g. impedimenta quibus simplex prohibitio transeundi ad nuptias adnexa est, dicuntur « impedimenta prohibentia » et ita tautologia non valde pulchra Codicis latini « impedimenta impedientia) vitatur.

Iam ad ipsos accedamus canones. In hac brevi commentatione indicabimus praesertim quae differentiae habentur inter praescripta novae legis orientalis et inter Codicem I. C.; simul vero adnotabimus graviores mutationes ea in ius hucusque vigens introductas.

1. Nemo mirabitur quod in primis canonibus praeliminaribus differentiae inter utrumque ius non habentur, praeterquam in can. 4 § 4, in quo severior *matrimonii putativi* notio recepta est: requiritur nempe ut matrimonium bona fide ab una saltem parte celebratum sit « coram Ecclesia ». Quod ante Codicem I. C. canonistae latini communiter requirebant, neque post Codicis promulgationem desunt qui idem requirere videntur [2]. Cum Orientales magis quam Occidentales urgeant celebrationem religiosam et liturgicam matrimonii, facile intelligitur cur severior haec matrimonii putativi definitio recepta sit in canones matrimoniales.

Gravior differentia inter disciplinam orientalem et disciplinam latinam habetur in canonibus quae spectant ad *sponsalitium*.

---

[2] F. Cappello, *De matrimonio*, ed. 4ª, Taurini 1939, t. I, p. 53, n. 48. Cf. quoque Matth. Conte a Coronata, *De Sacramentis*, t. III, p. 34, Taurini 1946, p. 34.

In utroque ordine statuitur certa forma quae servanda est ad validitatem sive promissionis matrimonii unilateralis sive bilateralis seu sponsalitiae. Qua non servata promissio irrita est in utroque foro. Verumtamen in Codice I. C. praescribitur ut promissio per scripturam fiat, in canonibus orientalibus ut fiat per declarationem oralem. Neque hic admittitur ut promissio fiat coram solis duobus testibus, sed requiritur semper ut habeatur testis qualificatus, sive Hierarcha loci parochus inter fines proprii territorii, sive sacerdos ab alterutro designatus ad normam can. 86-87. Sacerdos insuper qui matrimonii promissioni assistit sponsis catholicis benedictionem in libris liturgicis praescriptam impertire debet si ius particulare ita ferat. Omnibus his consideratis differentia inter utramque disciplinam maior esse videtur quam primo aspectu apparet. In Codice I. C. praevalet consideratio iuridica. Sponsalitium initur documento quod non tantum vim probativam sed constitutivam habet. Ad id subsignandum opus est praesentia Ordinarii aut parochi aut etiam duorum testium qui laici esse possunt. In Oriente sponsalitium magis indolem religiosam externe quoque manifestat. Secundum canones matrimoniales semper opus est praesentia et interventu ministri sacri; immo, ubi ita ferat ius particulare, sacerdos adstringitur ad ritum religiosum praescriptum perficiendum.

His canonibus disciplina sponsalitii orientalis non parum definita est. Usque ad id tempus usus secundum singulos ritus sat diversi erant[3]. In Ecclesiis ritus byzantini caeremonia sponsalitii ex diuturna consuetudine coniungitur cum officio nuptiarum quod immediate praecedit. (Excipiendi sunt Rutheni vel maior pars eorum ad quos extensum est Decretum « Ne temere »). Nonnulli, ut Ru-

[3] Accuratam iuris liturgici sponsalitii expositionem secundum diversos ritus orientales, quod attinet ad formam manifestandi consensum tradit A. Raes S. J., *Le consentement matrimonial dans les rites orientaux*, Ephemerides Liturgicae, 1933, pp. 34-48; 126-140; 249-259; 431-445; 1934, 80-94; 310-318.

maeni, praeter hoc sponsalitium liturgicum, utilitate sua originaria ex usu recenti destitutum, sponsalia privata certo quodam tempore ante nuptias inire coeperunt, non raro cum interventu sacerdotis qui v. g. recitat orationem dominicam et sponsis benedicit. Sed talia sponsalia non habebant effectus canonicos. Apud reliquos vero Orientales separatur officium sponsalium ab officio nuptiarum. Ex eis alii, ut Armeni effectus canonicos tribuunt solis sponsalibus forma solemni seu liturgica contractis (v. g. constituunt impedimentum prohibens matrimonium, ex eis oritur impedimentum dirimens publicae honestatis; actionem gignunt coram tribunali ecclesiastico). Alii urgent quidem celebrationem sponsalitii liturgicam seu cum benedictione, sed hanc non ad validitatem requirunt ideoque omnibus validis sponsalibus, etiam non benedictis, vim producendi effectus canonicos attribuisse videntur; ita v. g. Maronitae, Syri, Copti, etc.

Nunc nova lege varii hi celebrandi sponsalitii modi ad unum reducuntur, omnibus aequalem; simul vero gravis illa in ius orientale mutatio introducitur quae in Ecclesia latina stabilita est Codice I. C., tollitur nempe ius persequendi celebrationem matrimonii coram tribunali ecclesiastico. Haec enim generalis tendentia Ecclesiae nostris temporibus est quae libertatem contrahendi quatenus fieri potest, defendit.

2. In Cap. I quod inscribitur: « De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus », ad canones qui de his *publicationibus* agunt, breviter attendendum est. Non ubique enim obligatio peragendi publicationes imponitur, sed « iure particulari id ferente » (can. 12). Ubi secundum hanc normam publicationes fieri debent, in omnibus servanda sunt praescripta canonum 12-21. Etiam in caeteris Ecclesiis parochi diligenter investigare debent, num aliquid obstet matrimonio contrahendo. Sed id alia via praeter publica-

tiones fieri potest. Hoc facilius intelligitur, si considerantur condiciones in quibus plerique Orientales vivunt. Cum numero limitato in certis regionibus una versentur et parentelae et nationis vinculis arcte inter se ligentur, et facta et facienda aliorum facile in communem notitiam véniunt. Iure particulari obligatio peragendi publicationes hodie viget apud Maronitas, Ruthenos, Rumaenos, et alios.

Graviora notanda sunt in Capite II: « De impedimentis in genere ». Ut ex can. 31 apparet, *impedimenta gradus minoris* iuris orientalis non prorsus eadem sunt atque in iure latino. Additur « tutela » et quaedam species affinitatis iuris particularis quae in iure latino nullum impedimentum constituunt, sed etiam ubi impedimenta eadem ratione indicantur, eadem nomine non semper eadem prohibitio comprehenditur, quod melius apparebit ex eis postea dicentur de singulis impedimentis.

In primis vero attentionem movet quod in canonibus orientalibus praeter facultates dispensandi quae conceduntur in periculo mortis, aliisque casibus ubi periculum sit in mora, Patriarchis et locorum Hierarchis *ipso iure certae facultates dispensandi* conceduntur (can. 32); quae Episcopis latinis conceduntur solum in Facultatibus quinquennalibus vel apostolicis, uti nuncupantur. Quaenam est huius differentiae ratio? Nisi fallor, haec eo explicantur quod Patriarchis iam a tempore immemorabili sive explicita concessione, sive consuetudinem probata datum erat ut a non paucis impedimentis dispensarent. Ita in Synodo Montis Libani Patriarchae Maronitae « potestatem amplissimam dispensandi » esse asseritur [4]. Aliae quoque synodi Patriarchis amplam potestatem adscribunt [5]. Cum vero talis potestas ne in fontibus scriptis quidem accurate circumscripta sit et multo minus consuetudine, ideo sine dubio opportunum visum est ambitum potestatis exacte indicare.

---

[4] Pars II, cap. XI, num. 16, *Collectio Lacensis* t. II, col. 171 d.

[5] Cfr. A. Coussa, op. cit., p. 265, nota 273.

Etiam in can. 32 quidem locus datur facultatibus amplioribus ex privilegio vel ex iure particulari provenientibus, sed haec nunc ab illis qui tales facultates sibi vindicant, probari debent. Si vero Patriarcharum potestas quod ad dispensationes matrimoniales, ipso iure definienda erat, non minus quid singulis Episcopis tribuatur, statuere oportuit ut de utriusque potestatis limitibus plene constaret. Ita nunc in canonibus matrimonialibus accuratus facultatum elenchus habetur ex quo liquet a quibus impedimentis sive prohibentibus sive dirimentibus Episcopi vel Patriarchae dispensare valeant. Si facultas dispensandi a certo impedimento desit Episcopo, ad Patriarcham recurri potest, si hac facultate praeditus est. Episcopi et alii Hierarchae Patriarchis non subiecti in his casibus recurrere debent ad Sedem Apostolicam; conceditur vero his Hierarchis locorum facultas dispensandi ob iustam causam ab impedimento aetatis, non autem ultra biennium completum (§ 1, 6°).

3. Quod ad canones attinet qui Capite III: « De impedimentis prohibentibus » sostinentur, ius orientale et ius latinum hodie concordant, exceptis duobus. Orientales ad impedimenta recepta apud Latinos addunt *impedimentum tutelae*, ubi lex civilis nuptias prohibet. Ipsa prohibitio originem habet ex iure Romano [6]. In usu erat in certis Ecclesiis orientalibus in quibus secundum « statuta personalia » Ecclesiae competentia in quaestionibus tutelae agnoscebatur.

Altera differentia quae in hoc Capite invenitur, pertinet ad *impedimentum voti*. Principium quo nititur hoc impedimentum idem est in utraque Ecclesia; sed applicatio ex parte differt. Nam apud Orientales, ut obvium est, non ubique votum « suscipiendi ordines sacros » statui matrimoniali opponitur, sed tantum in illis ritibus » in quibus clerici a recepto subdiaconatus ordine obligatione ser-

[6] Dig., 23, 2, 59 et 60.

vandi sacrum caelibatum tenentur ». Hodie in multis ritibus orientalibus maior pars clericorum in sacris constitutorum caelibatum servat, sed *generalis obligatio* caelibatus ex consuetudine immemorabili existit tantum apud Malabarenses.

Hucusque apud Orientales plerumque eaedem normae receptae erant quae apud Latinos viguerant antiquo iure, i. e. ante promulgationem Codicis I. C. Ex his impedimenta voti, adoptionis legalis, mixtae religionis hodie quoque servantur. Reliqua duo, « vetitum Episcopi » et « tempus clausum » item licitae matrimonii celebrationi obstare pergunt, sed non sub specie impedimentorum proponuntur (cf. can. 29 et 97).

4. Maximae difficultates in diiudicandis matrimoniis Orientalium anteriore tempore habebantur ex diversitate disciplinae de *impedimentis dirimentibus*. Hodie ex novo iure matrimoniali in Ecclesia orientali et in Ecclesia latina eaedem prorsus species impedimentorum dirimentium habentur, praeter impedimentum tutelae quod in canonibus orientalibus additum est. Si vero species eaedem sunt, non idem affirmari potest de determinationibus particularibus et de ambitu omnium impedimentorum. Omissis impedimentis aetatis, impotentiae, ligaminis, raptus, criminis, adoptionis legalis, in quibus nulla diversitas habetur, de reliquis breviter aliquid dicendum est.

Et primo quidem de impedimento *disparitatis cultus*. In Codice I. C. hoc impedimentum limitatum est ad matrimonium contrahendum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi vel schismate conversa (can. 1070 § 1). Ante Codicem in iure latino non solum personae baptizatae in Ecclesia catholica, sed omnes baptizatae hoc impedimento ligabantur. Quod ad Orientales attinet, Codice I. C. nulla mutatio introducta est, ut alio loco demonstravimus [7]. Etiam

[7] Cf. hoc periodicum, t. XXVII (1938) pp. 17 ss.

canones orientales impedimentum, ut ante definitum erat conservant (can. 60). Pulres rationes id suadere poterant. Nam considerationes quibus motus auctor Codicis I. C. protestantes aliosque extra Ecclesiam catholicam in Occidente baptizatos ab impedimento exemit, non valent pro Orientalibus. Protestantes enim hodie matrimonia inter baptizatos et non baptizatos libere ineunt; si Codex I. C. impedimentum pro eis conservasset, pleraque matrimonia eorum invalida essent. E contrario acatholici orientales impedimentum disparitatis cultus, etiamsi non semper eisdem limitibus circumscriptum, hucusque retinent. Ne igitur multa matrimonia valida essent, quae ab eis invalida censerentur, omnino opportunum erat ut impedimentum quod ad dissidentes quoque attinet, conservaretur. Neque Ecclesiae catholicae esse videtur minuere thesaurum traditionum et usuum religiosorum quos dissidentes fideliter retinent; forte accusationibus et criminationibus Orientalium acatholicorum se exposuisset, si nulla necessitate impellente, ius antiquum mutasset.

Impedimentum ordinis tantum ad formam quod attinet, differt ab impedimento ordinis sacri Codicis I. C. In plerisque ritibus orientalibus subdiaconatus ordinibus minoribus adnumeratur, non maioribus. Hinc prima facie forte magis consentaneum videri potuit limitare impedimentum ordinis ad tres ordines maiores. Neque apud plures ritus (Maronitas, Melchitas, Coptos, Syros, Chaldaeos etc.) hucusque subdiaconi ab ineundis nuptiis arcebantur. Tamen contraria est antiqua traditio: canones SS. Apostolorum (cf. can. 26), Iustinianus in Cod. 1, 3, 44 (45), concilium Trullanum, can. 3 et 6, testes sunt antiquae consuetudinis quae matrimonium subdiaconorum non admisit. In Ecclesiis byzantini ritus idcirco hoc impedimentum usque ad id tempus servatum est, etiamsi non semper fideliter. Canones orientales ad antiquam disciplinam redierunt.

5. In canonibus qui agunt de impedimentis ad cogna-

tionem pertinentibus in primis notetur computatio orientalis, a latina diversa. In iure latino enim, in linea obliqua, tot habentur gradus quot generationes ex una parte. Si contrahentes distant a stipite communi inaequali numero graduum, numerantur gradus in tractu longiore seu indicantur generationes ex parte remotiore. In iure orientali servata est antiqua computatio Romana, secundum quam, in linea obliqua, adduntur gradus quibus ambae partes a communi stipite distant. Ita consobrini consanguinei sunt in secundo gradu lineae obliquae secundum computationem latinam, in quarto gradu secundum computationem orientalem. Impedimento tertii gradus secundum computationem latinam (C. I. C., can. 1076 § 2) respondet impedimentum sexti gradus canonum orientalium (can. 66 § 2). Hoc in linea obliqua aequali. Si vero linea inaequalis est, impedimentum orientale latius patet; nam si ex una parte quatuor, ex altera parte duo gradus numerantur, matrimonium secundum ius orientale irritum est, secundum ius latinum valet.

Ante promulgationem novae legis matrimonialis Orientales catholici impedimentum in linea obliqua alii ad sextum (Melchitae), alii ad septimum (Rumaeni), alii ad octavum (plerique alii) gradum extenderunt. Hi ultimi qui praescriptum concilii IV Lateranensis (a. 1215) receperant, impedimentum, ad modum iuris latini, non produxerunt si in linea inaequali impedimentum ex una parte quartum gradum excessit.

6. Secundum impedimentum ad cognationem pertinens est *affinitas*. Ex omnibus impedimentis in iure Orientalium catholicorum statutis nullum antea maioribus difficultatibus aditum praebebat quam hoc impedimentum. Alii enim Orientales ut Rutheni, Maronitae, Syri, Copti etc. in hoc impedimento disciplinam latinam adoptaverant; propterea affinitas non nascebatur ex matrimonio, sed ex copula sive licita, sive illicita. Alii Orientales, ut Melchitae

et communitates catholicae recentioris originis, Russi, Bulgari, Graeci traditionem fidelius servaverant et originem impedimenti collocabant in matrimonio valido. Alii, ut Rumaeni mixtum ordinem statuerant. Haec vel singularius videbantur postquam Codex I. C. anno 1917, relicta conceptione medii aevi latini, ad conceptum antiquum iuris Romani rediit. Magna insuper varietas inter ipsos catholicos habebatur quod attinet ad affinitatem exsistentem inter consanguineos unius et consanguineos alterius coniugis, et ad affinitatem ortam, uti dicunt, ex trigeneia. Haec omnia nunc Motu proprio claram et bene determinatam solutionem acceperunt.

Restauratus est pro omnibus Orientalibus antiquus conceptus affinitatis, secundum quem affinitas oritur ex matrimonio valido. Hic autem animadvertatur oportet diversus modus loquendi Codicis I. C. (can. 97 § 1) et canonum orientalium (can. 68 § 1, 1°). In hoc enim omittuntur aliqua quae habentur in C. I. C.; in eis sermo non est de matrimonio « sive rato tantum sive rato et consummato ». Notum est magnam de his verbis controversiam vigere inter canonistas latinos, ex quibus aliqui verba sensu latiore intelligunt illaque applicant etiam matrimonio legitimo, in quo nempe vel ambo coniuges non sunt baptizati vel alteruter tantum. Alii vero innixi can. 1015 § 1 sensu strictiore interpretantur affinitatem de qua in can. 97 § 1, eamque tantum ex matrimonio sacramento oriri censent. Pro Ecclesia orientali haec dubitatio non iam habetur cum clare appareat ex omni matrimonio valido affinitatem oriri[8].

In canonibus matrimonialibus duplex species affinitatis distinguitur, affinitas quae oritur ex digeneia et affinitas ex trigeneia. Illa ex iure communi viget inter alterutrum coniugem et consanguineos alterius (can. 68 § 1, 1°). Haec sola admittitur in iure latino. Eadem vero affinitas ex digeneia iure particulari oritur etiam inter consangui-

[8] Cf. MATTh. CONTE a CORONATA, *De Sacramentis*, vol. III, Taurini 1947 pp. 541 ss.

neos unius et consanguineos alterius coniugis (can. 68, § 1, 2°). Talis affinitas primum apparet in concilio Trullano (can. 54) et usque ad nostra tempora in Oriente servatur, quamquam non pauci ex catholicis, exemplum iuris latini secuti, affinitatem ad propinquitatem inter coniuges et consanguineos alterius coniugis reduxerunt. Ceterum ante Innocentium III haec affinitatis species etiam in Occidente vigebat; in concilio Lateranensi IV abrogata est. « Ita computatur ut tot sint gradus quot fert summa graduum consanguinitatis quibus uterque affinium distat a coniugibus ex quorum matrimonio affinitas oritur » (can. 68 § 2, 2°). V. g. frater mariti Petri et soror uxoris Zoes distant quarto gradu; nam frater Petri consanguineus est Petri secundo gradu, et soror est consanguinea Zoes item secundo gradu. Frater Petri vero et filia Zoes ex priore matrimonio affines sunt in tertio gradu; nam frater Petri est consanguineus Petri secundo gradu, et filia Zoes est eius consanguinea primo gradu. Hic non distinguunt inter lineam rectam et lineam obliquam.

Altera species affinitatis, trigeneia, iam in iure Justinianeo invenitur [9]. Posterioribus temporibus usque ad quartum gradum extensa, sed nostris temporibus etiam apud dissidentes valde reducta vel etiam abolita est [10]. Dicitur trigeneia quia supponit duo matrimonia seu tres familias (genos). Secundum canones orientales exsurgit *a*) si duae personae matrimonium contrahant cum una eadem tertia persona, soluto matrimonio, una post alteram, aut *b*) cum duabus personis inter se consanguineis.

---

9 D., 23, 2, 15: *Papinianus libro quarto responsorum.* Uxorem quondam privigni coniungi matrimonio vitrici non oportet nec in matrimonium convenire novercam eius qui privignae maritus fuit.

10 Cf. quae scripsimus in art. *De impedimentis matrimonis alibus secundum lodificationes iuris eccl. recentes « orthodoxorum »*, Orient. Christ. Per., t. III (1937) p. 243. Hodie in patriarchatibus et apud Graecos, Bulgaros, Serbos, etc. viget. Qua ratione catholici horum eiusdem ritus idem impedimentum conservaverint, difficulter determinatur et ab auctoritate ecclesistica deficiendum est.

Anna Petrus Zoe Michael Theophano Alexis Helena

Leo Maria Stephanus

V. g. Matrimonium iniit Petrus cum Zoe et hac mortua cum Anna. Haec ex trigeneia affinis est Leoni; nam hic, filius Zoes ex priore matrimonio cum Michaele est affinis Petri ex digeneia. Leo et Anna sunt affines ex trigeneia primo gradu. Agitur de matrimonio inter privignum et uxorem vitrici (can. 68 § 3, 3°).

b) « Affinitas ex trigeneia oritur quoque si duae personae matrimonium contrahant... cum duabus personis inter se consanguineis » (can. 68, § 3, 1°).

V. g. Theophano, altera uxor Alexis, ex trigeneia affinis est Stephani, generi Alexis propter eius matrimonium cum Maria filia quam Alexis habuit ex priore matrimonio cum Helena. Alexis est consanguineus Mariae; Theophano nupsit Alexi, Stephanus duxit Mariam: habentur igitur duo matrimonia quibus coniunguntur Stephanus et Theophano. Agitur de matrimonio ineundo cum noverca uxoris defunctae. Maria affinis erat Theophano prima gradu ex digeneia; idcirco Stephanus affinis est Theophano eodem gradu ex trigeneia (can. 68 § 3, 3°).

In § 4 eiusdem canonis consideratur etiam affinitas quae oritur ex trigeneia inter consanguineos unius et affines alterius coniugis. Cum impedimentum in canonibus matrimonialibus reductum sit ad primum gradum, prohibitio matrimonio inter has personas contrahendo non iam obstat; nam talis affinitas semper erit gradus secundi vel superioris.

Etiam in iure latino ante concilium Lateranense IV variae species affinitatis cognoscebantur et sermo erat in fontibus de affinitate secundi et tertii generis. Cavendum vero est ne aequiparetur affinitas ex trigeneia affinitati tertii generis antiqui iuris latini; potius similis est affinitati secundi generis iuris antiqui latini.

Quod ad computationem graduum attinet, eaedem observationes valent quae ante factae sunt de computatione consanguinitatis. Si affinitas quarti gradus, v. g. componitur 3 + 1, impedimentum secundum ius orientale tenet nupturientes, non vero secundum ius latinum.

7. Quemadmodum in iure latino, ita secundum novam legem apud Orientales *cognatio spiritualis* quae obstat matrimonio, oritur tantum ex baptismo. Sed in definitione huius impedimenti magna habetur differentia inter utramque disciplinam: in iure latino impedimentum in primis exsistit inter baptizantem et baptizatum, in iure orientali hodie haec species impedimenti non iam cognoscitur. Ex altera parte vero impedimentum orientale ulterius patet quod matrimonium irritat non solum inter patrinum et baptizatum (sicut in iure C. I. C.), sed etiam inter patrinum et parentes baptizati. His normis Motu proprio redit ad antiquum ius orientale et antiquam ideam quae ei suberat. Secundum hanc non baptizans, sed patrinus locum patris in ordine suprannaturali obtinet. Ad patrinum spectabat educatio religiosa et cura vitae spiritualis suscepti. Sicut parentibus cura vitae naturalis, ita patrino cura vitae religiosae speciali modo commissa erat, ideoque vinculum inter patrinum et parentes naturales oriebatur, compaternitas. Quod sacerdos baptizavit infantem vel adultum, ad eius officium spectabat sed non personale illud vinculum creabat quo patrinus tenebatur, peculiari modo a parentibus electus et munus suum eisque obligationes libere acceptans. Acessit quod per multa saecula baptismus a laico administratus dubius habebatur ideoque hoc sacramentum semper fere conferebatur a sacerdote qui matrimonium inire non poterat. Ultimis sane temporibus in multis ritibus catholicis orientalibus praescriptiones iuris latini inveniebantur; sed haec nunc a Motu proprio abrogata sunt.

De *cognatione legali* canones orientales receperunt quae iam in Codice I. C. statuta erant; sed eandem legem

applicant quoque *tutelae*. Vide quae supra in Capite de impedimentis prohibentibus diximus.

8. His absolvimus quae dicenda erant de impedimentis. In Capite V: « De consensu matrimoniali », attentio facile convertitur ad ea quae statuuntur can. 78 § 1. Hic enim Motu proprio recessit a textu stabilito in can. 1087 § 1 Codicis I. C. qui ita habet: « Invalidum quoque est matrimonium initum *ob vim vel metum gravem* ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium ». Loco huius legitur in canonibus: « ... vel metum gravem extrinsecum et iniuste incussum ad extorquendum consensum ». Canones matrimoniales hac ratione redeunt ad ius ante Codicem I. C. vigens in quo tantum « metus consultus » seu ad extorquendum consensum directe incussus impedimentum constituit; ex Codice vero, secundum sententiam praevalentem etiam metus non directe incussus ad consensum extorquendum matrimonium dirimit, dummodo persona metum patiens matrimonium eligat propter hunc metum. Auctores notaverunt magis attendendum esse statum animi metum patientis quam intentionem metum inferentis[11]. Cur in Motu proprio arctior impedimenti metus conceptus receptus sit, non adeo facile dicitur. Attendendum sane est neque nostris temporibus omnes doctos innovationi Codicis I. C. favisse: etiam inter canonistas latinos quaestio valde discussa est. Porro in conciliis orientalibus in quibus de hoc impedimento statuitur, requiritur semper, secundum disciplinam latinam anteriorem, « metus consultus ».

Si in iure latino omnibus libertas datur contrahendi vel per se ipsum matrimonium vel per procuratorem aut interpretem, in iure orientali interpres hodie excluditur,

---

[11] De hac quaestione cf. P. Matthaeus Conte a Coronata, *De Sacramenti* vol. III, p. 642; F. Capello, *De matrimonio*, ed. 4ª, t. II, p. 59, n. 607; A. C. Jemolo, *Il matrimonio nel diritto canonico*, Milano 1941, pp. 226 ss.

ad contrahendum vero per procuratorem requiritur ut Hierarcha loci in casu singulari hanc facultatem scripto dederit. Immo in can. 80 § 2 statuitur ut Hierarcha loci hanc facultatem dare possit « tantum in casu necessitatis, id est si contrahentes, ob gravem causam, sacerdoti se una simul sistere nequeunt ». Quaeritur qua ratione explicetur haec canonum orientalium contra interpretem procuratoremque oppositio. In primis fatendum est usum interpretis vel procuratoris alienum esse a traditione orientali. Praeterea difficulter conciliatur cum celebratione liturgica matrimonii quam Orientales maxime faciunt. Ubi agitur tantum de declaratione iuridica consensus matrimonialis, alius facile personam sponsi vel sponsae gerere poterit; sed si peraguntur variae caeremoniae quibus significatur sponsorum coniunctio et unio affectiva, si coronae capitibus imponuntur et coniuges in processione per totam ecclesiam circumferuntur, si per osculum et arrham nuptiae concluduntur, haec ab interprete vel procuratore fieri nequeunt. Tamen in Oriente quoque praesertim tempore ultimi belli, opportunitas apparuit coniungendi sponsas iuvenibus militibus absentibus; propterea etiam in canonibus orientalibus aditus ad matrimonium per procuratorem celebrandum apertus manet, sub debitis tamen cautelis. In hoc casu liturgica celebratio matrimonii ad tempus remittitur quo coniuges simul fuerint (can. 82 § 2).

Proprium novi iuris quoque est quod « *matrimonium sub condicione* celebrari nequit » (can. 83). Dubium de sensu huius praescripti haberi non potest. In foro externo non admittitur in iure orientali celebratio matrimonii sub condicione. Haec non sunt nova, sed genuinam traditionem Orientis conservant. Nec mirum quod in Oriente matrimonium semper magis tamquam actus religiosus quam contractus consideratum est. Ceterum neque Romani matrimonio regulas de contractibus statutas applicuerunt et a conceptu Romano matrimonii quam maxime aliena fuisset matrimonii celebratio sub condicionibus. Tantum medio

aevo postquam canonistae et glossatores normas de contractibus statutis magis magisque matrimonio applicuerunt, paulatim admittere coeperunt ut sub condicione iniretur[12]. Quatenus condiciones contra hoc praescriptum in foro conscientiae factae considerandae sint, in iure processuali et in theologia morali statuitur.

9. Inter gravissimas normas novae legis habendae sunt eae quae Capite VI: « De forma celebrationis matrimonii » continentur. Quod ad substantiam attinet, hic recepta sunt quae de *forma celebrationis matrimonii* in Codice I. C. statuta sunt; sed accedunt alia elementa quae seriam attentionem merentur.

Et primo quidem in can. 85 et 86 illa tantum matrimonia valida declarantur quae contrahuntur coram Hierarcha loci vel parocho territorii in quo nuptiae fiunt vel sacerdote cui ab alterutro facultas facta sit matrimonio assistendi et duobus saltem testibus, dummodo qui matrimonio assistit, neque vi neque metu gravi constrictus requirat excipiatque contrahentium consensum. Sed haec iuridica declaratio consensus non satis est ad validitatem. Requiritur insuper ut fiat ritus sacer et quid hac voce significetur, in can. 85 § 2 explicatur: « sacer censetur ritus ad effectum de quo in § 1, ipso interventu sacerdotis assistentis ac benedicentis ».

Nulla forma peculiaris benedictionis praescripta est. Non sufficit quidem quaelibet benedictio, v. g. S. Blasii, sed ex verbis vel ex sacramentis baptismi, ordinis etc. - ubi tamen de forma sacramenti agitur -, verba ad validitaem necessaria non in individuo determinata sunt. Cum autem can. 91 iniungatur ut in matrimonii celebratione, extra casum necessitatis serventur ritus et caeremoniae in libris liturgicis praescriptae aut legitimis consuetudinibus receptae, benedictio de qua in can. 85 § 2 agitur, plerumque

[12] FREISEN, *Geschichte des kanonischen Eherechts*, Tübingen 1888, pp. 232 ss.

et ordinarie erit ipsa benedictio liturgica. Haec benedictio, ut manifestum est et ex can. 1 (= can 1012 C. I. C.) liquet, non est sacramentum neque forma sacramenti, sed condicio validitatis contractus matrimonialis ideo sacramenti quoque matrimonii, eadem ratione atque assistentia sacerdotis in iure latino et orientali praescripta.

Cur autem benedictio ad validitatem matrimonii orientalis praescripta sit, haud difficulter intelligitur. Iam ante separationem enim Orientis in Ecclesia byzantina usu paulatim necessitas benedictionis introducta erat, confirmata a lege quidem civili, de se non competente, sed in hac re mentem Ecclesiae sequente [13]. Aliae Ecclesiae orientales iam antea talem consuetudinem receperant [14]. Hanc traditionem Orientales omnes fere usque ad nostra tempora tenaciter retinuerunt, quamquam in SS. Congregationibus pluries iudicaverunt, consuetudinem iuridice non satis probatam esse. Accessit quod recentioribus temporibus necessitas benedictionis falsis quoque rationibus defendebatur quasi ipsa sit forma sacramenti matrimonii. Neque cathalici semper immunes ab hoc errore manserunt; at, ut dictum est, persuasio necessitatis benedictionis multo antiquior est et non nititur hoc errore. Ita factum est ut nonnunquam sententiae a tribunalibus primae instantiae in Oriente pro nullitate matrimonii propter defectum benedictionis editae, postea in tribunali appellationis reformatae sunt, quod gravibus incommodis non caruit. Idcirco, cum nostris temporibus errores anteriores apud catholicos saltem non iam timendi sint, ex altera parte vero Ecclesiae est non infirmare, sed potius confirmare altam rituum sacrorum aestimationem et amorem, in canonibus orientalibus haec benedictio Orientalibus propter tradi-

---

13 Cf. quae scripsimus in art. *De benedictione nuptiali quid statuerit ius byzantinum sive ecclesiasticum sive civile,* Orientalia Christiana Periodica, t. IV (1938), pp. 189-234, praesertim pp. 210 ss.

14 Cf. J. Dauvillier - C. de Clercq, *Le mariage en droit canonique oriental,* Paris 1936, pp. 53, 63, 65, 70, 72 etc.

tionem et significationem religiosam cara, tamquam condicio ad validitatem matrimonii necessaria praescripta est. Respectus forte etiam habitus est Orientalium dissidentium qui omnes talem benedictionem ad validitatem matrimonii requirunt. Ecclesiae enim interest ne nimis differant praescripta iuris et dissidentium disciplina, cum haec differentia facile gravissimum obstaculum conversionis multis separatis fratribus evadat.

10. *Quisnam valide matrimonio benedicat eique assistat,* determinatur can. 86. Attendendum est ad § 1, n. 2 ubi repetuntur quae statuta erant in can. 1095 § 1, 2° Codicis I. C. Post verba autem: « Hierarcha loci et parochus valide assistunt intra fines dumtaxat sui territorii, sive contrahentes sunt subditi sive non subditi », additur in canonibus orientalibus « modo sint sui ritus ». Ante promulgationem Motu proprio res non clare definita erat. Canonistae vix hanc quaestionem tetigerunt. In periodico « Ius Pontificium », clar. Sipos ad quaestionem » Possintne Latini coram parocho orientali matrimonium celebrare » respondit: affirmative[15]. Argumenta allata ne illo quidem tempore rem evicerunt, sed forte dubium saltem stabiliverunt. Hodie ex textu novae legis certum est, tale matrimonium coram parocho diversi ritus contractum esse per se nullum. Ratio in plano est. Ubi enim plures ritus una vivunt, ad bonum ordinem omnino necessarium est ut fideles actum tam gravem quod est matrimonium, coram parocho proprii ritus perficiant. Quaeritur tantum num verba supra relata ita intelligenda sint ut ambo sint ritus parochi aut alteruter saltem. Sed hoc alterum sine dubio verum est. Nam si parochus valide non assisteret nisi matrimoniis in quibus ambo nupturientes sunt sui ritus, quis valide assisteret matrimonii mixti ritus? Haec solutio con-

---

[15] t. XIX (1939), pp. 97-99. Cf. J. F. Marbrach, *Marriage Legislation for the Cath. of the orient. Rites in the Un. St. and Canada,* Washington 1946, p. 213 ss.

firmatur quoque can. 88 § 3. Ibi enim statuitur parochum matrimoniis determinatis mixti ritus licite assistere, quod supponit eum a fortiori posse valide assistere.

Regulariter loci Hierarcha vel parochus valide assistunt tantum modo fidelibus sui ritus. Tamen admittuntur casus in quibus matrimonio benedicere et assistere possunt, etiamsi ambo contrahentes sint ritus diversi a ritu assistentis, sive inter se ad eundem, sive ad diversum ritum pertinent. Id obtinet quoties Hierarcha vel parochus ad normam iuris dicendus est Hierarcha aut parochus proprius horum fidelium (can. 86 § 2). Duplex habetur casus: si fideles nacti sunt Hierarcham, sed non parochum proprii ritus, Hierarcha parochum alius ritus designare debet qui eorum curam suscipiat, postquam idem Hierarcha habaerit consensum Hierarchae parochi designandi (ibidem, § 3, 20); v. g. Exarcha Ruthenorum in Statibus Foederatis Americae septentrionalis per totum territorium Statuum Foederatorum est Hierarcha proprius eorum; sed non in omnibus urbibus Statuum Foederatorum Rutheni parochum proprii ritus habent. Qui parochus eorum nuptiis valide assistet? Is qui designatus est ab Hierarcha Rutheno. Certe non requiritur ut Hierarcha Ruthenus ad singulos parochos latinos scribat iisque curam fidelium Ruthenorum committat, sed satis est ut conventione generali facta cum Episcopis latinis parochis latinis haec cura Ruthenorum committatur. De hac re statutum est v. g. in decreto « Cum data fuerit », dato 1 Martii 1929 ad spiritualem administrationem Graeco-Ruthenorum in Statibus Foederatis Americae septentrionalis ordinandam: « Ordinarii graeco-rutheni nonnisi in clerum et populum graeco-ruthenum iurisdictionem suam exerceant. Si tamen aliquo in loco existant fideles graeco-rutheni ritus, in eoque non sit missio constituta, aut nullus adsit presbyter eiusdem ritus, Ordinarii tunc debent iurisdictionem suam in fideles graeco-ruthenos presbytero latino loci communicare, certiorato Ordinario, quoad usque sacerdos graeco-ruthenus ibi ha-

beatur ». (art. 19) In hoc decreto de « certiorato Ordinario latino » sermo est. In canonibus requiritur ut eius consensus habeatur. Manifestum est enim onus imponi sacerdotibus diversi ritus quod invito Ordinario imponi nequit, nisi Sancta Sedes propter necessitatem in certis adiunctis aliter constituerit. Integrum autem eidem Hierarchae est in locis, ubi paroecia ruthena deest, sed paroecia alius ritus byzantini habetur, cum consensu Hierarchae huius paroeciae curam suorum fidelium huic parocho committere.

Alter casus, in eodem can. 86 § 3,2° consideratus, tangit fideles orientales extra territorium proprii ritus commorantes, deficiente huius ritus Hierarcha. Quid sit territorium proprii ritus in canonibus non definitur, sed ex ipso canone erui posse videtur: territorium proprii ritus est quodlibet territorium in quo constituta est Hierarchia ritus fidelium; verba « deficiente huius ritus Hierarcha » non novum elementum afferrunt, sed verba antecedentia magis explicant. Id apparet quoque ex comparatione cum num. 2 eiusdem paragraphi.

Si terminum hoc sensu intelligimus, Rutheni Statuum Foederatorum vel Canadiensis regionis non sunt extra territorium proprii ritus; sed sunt extra territorium proprii ritus Rutheni Americae meridionalis, cum proprio Hierarcha careant. Similiter Maronitae sunt extra territorium proprii ritus in Graecia, in Turchia europea, in Republica Brasiliensi, licet hic in dioecesi Fluminis Januarii magnam paroeciam habeant. In his locis igitur « tamquam proprius habendus est Hierarcha loci », qui matrimoniis eorum valide assistit. Quid vero de parochis latinis tali Hierachae subiecti? Suntne ipsi quoque considerandi tamquam parochi proprii Orientalium qui in eorum territorio commorantur, an indigent facultate speciali Ordinarii loci latini? In Constitutione « Orientalium dignitas » stabilitum erat: « Quicumque Orientalis, extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini,

ritui tamen suo permanebit adscriptus » (num. IX). Secundum hanc legem igitur delegatione vel designatione peculiari opus non erat. Quid de can. 86, § 3, 3°? Textus loquitur tantum de Hierarcha, de parochis verbum non facit. Nihilominus nobis canon ita interpretandus videtur ut quae de Hierarcha dicuntur intelligantur etiam de sacerdotibus ab eo dependentibus. Ita ut parochus latinus v. g. in regione Mexicana, ubi sola Hierarchia latina existit, eo ipso curam habet Orientalium Syrorum qui in eius paroecia commorantur, nisi Hierarcha aliter disposuerit; idque etiam antequam Hierarcha latinus expresso decreto eorum curam ei commiserit. Si enim semper peculiare decretum exspectandum esset, saepe non provisum esset necessitatibus fidelium orientalium qui variis vicissitudinibus in regiones latinas conducti sunt. Haec quoque magis conveniunt cum illis quae in Constit. « Orientalium dignitas » statuta erant.

Si plures Hierarchae in eodem loco sunt, « ille habendus est tamquam proprius quem designaverit Sedes Apostolica »... Anterioribus temporibus, cura fidelium orientalium proprio ritus Hierarcha carentium spectabat semper ad Hierarcham latinum. Sed non raro sacerdos orientalis melius fidelibus alius ritus orientalis providebit quam sacerdos latinus. Ritus orientales enim sibi invicem magis vicini sunt, v. g. fideles syri, eadem lingua syriaca utentes multo facilius sequentur sacras functiones ritus maronitici quam ritus latini. In genere Orientales liturgiam aliorum rituum orientalium facilius intelligent et magis gustabunt. Praeterquam ad Sedem Apostolicam, designatio Hierarchae diversi ritus spectare potest etiam ad Patriarcham « si iure particulari cura fidelium sui ritus extra patriarchatus commorantium ei commissa est ». Patriarchae sane iurisdictionem super fideles proprii ritus extra patriarchatus commorantes habere non solent. Interdum vero committitur eis aliqua fidelium horum cura et vigilantia. In hoc casu, obtento consensu Sedis Apostolicae, de-

signare valent Hierarcham diversi ritus qui tamquam proprius fidelium habendus est.

11. Postquam in can. 86 determinatus est quis ipso iure matrimoniis fidelium orientalium assistit, can. 87 indicantur illi qui *vi facultatis ab alio receptae his matrimoniis assistunt.* Facultas dari potest vel generaliter vel ad determinatum casum, soli sacerdoti designato vel cum facultate subdelegandi alium determinatum sacerdotem. In textum canonum matrimonialium recepta sunt varia responsa Pontificiae Commissionis pro interpretatione authentica Codicis I. C.

Quae in § 3 statuuntur magis directe ad solos Orientales pertinent. In eo providetur necessitatibus fidelium orientalium qui parochum proprii ritus non habentes, commissi sunt *curae rectoris ecclesiae vel sacerdotis diversi ritus orientalis.* Secundum § 1 huius canonis Hierarcha tali sacerdoti vel rectori ecclesiae facultatem assistendi tantum ad casum determinatum dare potest. Cum vero hi sacerdotes in ceteris curam horum fidelium parocho proprii ritus orborum habeant, quamquam titulo parochi non gaudent, opportunum visum est statuere ut Hierarcha eis generalem facultatem tribuere valeat assistendi matrimoniis horum fidelium sive eiusdem ritus sit atque ipsi, sive diversi; v. g. Hierarcha latinus qui ad normam can. 86, § 3, 3° habendus est tamquam proprius Hierarcha fidelium chaldaeorum qui in eius dioecesi inveniuntur, tribuere potest facultatem generalem eorum matrimoniis assistendi sacerdoti syro cuius curae eos iam commiserat.

12. Quae canone 1097 de *licita assistentia parochi vel loci Ordinarii* statuuntur, in canones orientales transsumpta sunt, paucis mutatis vel additis. Ad tales additiones pertinet § 2, in quo decernitur parochum si ita ferat ius particulare, ad licite assistendam matrimoniis fidelium indigere licentia Hierarchae loci. Haec norma ad antiquissi-

mam traditionem orientalem pertinet. Iam S. Ignatius Martyr in *Epistula ad Polycarpum* scribit convenire matrimonium inter christianos non iniri sine consensu Episcopi [16]. Alia vestigia huius usus ex tempore byzantino conservantur. Nostris temporibus quoque viget apud Melchitas et in plerisque Ecclesiis dissidentium ritus byzantini.

Si in Occidente sec. can. 1097 § 2 pro regula habetur ut matrimonium coram sponsae parocho ineatur, in Oriente e contrario nuptias *coram parocho sponsi contrahere* solent; quod nunc in canonibus orientalibus praescribitur § 3, « nisi vel legitima consuetudo aliud ferat » - ut apud Ruthenos - « vel iusta causa excuset ». Matrimonia autem catholicorum mixti ritus, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda » ut iam in Codice I. C. praescriptum est, sed additur exceptio « nisi vir, domicilium vel quasi-domicilium habens in regione orientali, consentiat ut matrimonium ritu sponsae et coram huius parocho celebretur ». Ratione habita magnae varietatis rituum in Oriente non raro opportunius videri potest quod vir, alienus in loco et qui potius familiam uxoris ingreditur, in hac re cedat uxori eiusque familiae.

13. Postquam prioribus canonibus determinatum est quae forma ad validitatem, quae ad liceitatem in celebratione matrimonii praescripta sit, in can. 90 statuitur *qui ad superius statutam formam servandam teneatur*. Verba § 1,1° sonant generalia: « Omnes in Ecclesia licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt ». In num. 2 eiusdem § decernitur deinde eosdem ad eandem formam servandam teneri si « cum acatholicis sive baptizatis, sive non baptizatis, etiam post dispensationem obtentam ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, matrimonium contrahant ». Acatholici baptizati, contra, firmo praescripto § 1 n. 1, si inter se vel cum acatholicis non baptizatis contrahant, nullibi

[16] V, 2.

tenetur ad catholicam matrimonii formam servandam ». Verba haec generalia sunt neque explicite de Orietalibus loquuntur. Sed ex textu novae legis quo canones promulgantur habetur limitatio: eisdem canonibus vis legis tribuitur « pro christifidelibus Ecclesiae Orientalis, ubique terrarum hi sunt et tametsi Praelato diversi ritus sunt subiecti ».

Normae hae omnino clarae sunt quoties agatur de matrimonio duorum Orientalium qui nuptias ineunt coram parocho ritus orientalis. Variae autem quaestiones oriuntur, si vel alter ex nupturientibus latinus alter orientalis sit, vel parochus ad ritum latinum, sponsi ad orientalem pertineant aut vice versa. Hic primo de *matrimonio mixti ritus inter latinum et orientalem* agamus. Quatuor sententiae, ni fallor, proponi possunt: 1) in his matrimoniis servanda est forma latina praescripta can. 1094-1095 C. I. C. Nam can. 90, § 1, n. 1 adstringuntur ad formam nova lege statutam tantum Orientales inter se matrimonium ineuntes cum Latinis. Id apparet ex can. 1099 § 1, n. 1 Codicis I. C. ubi tantum de Latinis inter se sermo est; de matrimoniis autem celebrandis inter Latinum et Orientalem occupatur n. 3 eiusdem canonis. Cum igitur nulla in canonibus orientalibus matrimonii de quo loquimur mentio fiat, vigere pergit n. 3 can. 1099, § 1 C. I. C., seu aliis verbis etiam hodie ad formam Codicis latini servandam adstringuntur: « Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis ». - 2) Servanda est forma orientalis in can. 85 statuta; nam pars orientalis in matrimoniis mixti ritus tenetur ad hunc canonem servandum ex praescripto can. 90 § 1, n. 1. Quo tollitur, utpote lege posteriore, praescriptum can. 1099 § 1, n. 3. - 3) Servandae sunt ambae formae, cum utraque pars teneatur lege proprii ritus. - 4) servanda est mox forma latina, mox forma orientalis, prout determinatur sive lege positiva, sive principiis iuris generalibus.

Ex his sententiis 3) nullam probabilitatem habet. Nam

matrimonium cum sit unum negotium iuridicum, una sola lege in concreto regatur oportet, dum est quae lex in casu singulari sit applicanda. Quam sit incongrua haec sententia apparet praesertim si applicetur ad sponsalitium. Secundum eam sponsalitium inter personam ritus orientalis et personam ritus latini,ut valeat, tum scripto ad normam can. 1017 C. I. C., tum orali declaratione ad normam can. 6 canonum matrimonialium celebretur oportet.

Firmius fundamentum primo aspectu sententia 1) habere videtur. Tamen neque hanc admitti posse censeo. Primo praescriptum can. 22 in quo dicitur: « Lex posterior a competenti auctoritate lata, obrogat priori si ... totam de integro ordinet legis prioris materiam »... Obrogatione legem anteriorem ex toto abrogari et novam eius loco institui, omnes commentatores C. I. C. docent [17]. Totam autem materiam quae matrimonium spectat de integro in canonibus matrimonialibus ordinari, nemo certo negabit. Consequitur non solum ea quae novae legi sunt contraria, sed etiam quae tacite in ea omittuntur, abrogata esse [18]. Sicut alii igitur canones C. I. C. in nova lege omissi, ita can. 1099 § 1, n. 3 omnem vim amisit. Secundo: neque iure affirmari posse videtur can. 90, § 1, n. 1 loqui de solis matrimoniis quae Orientales inter se contrahunt. Notum enim est iisdem fere verbis subiectum obligationis formae non solum in Codice I. C., sed etiam in Decreto «)Ne temere » indicatum esse. [19]. Iamvero cum dubium propositum esset « Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non ser-

---

[17] Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, t. I, pp. 123 s.; A. van HOVE, *De legibus*, p. 355 etc.

[18] Cf. H. CICOGNANI - D. STAFFA, *Comment. ad librum I C. I. C.*, t. I, p. 357: « Nova ordinatio de integro totius materiae legis prioris est altera revocatio tacita legis praecedentis ... Non requiritur ut omnia in lege posteriore sint *nova*, nec ut priori sint *contraria* (quo in casu applicatur principium antecedens): ex eo enim quod legislator totam materiam reordinat, iam constat integram suam mentem esse in sola lege posteriore contentam, ideoque in hac sola, non in praecedenti inquirendam »...

[19] Art. XI, § 1., *A. S. S.*, t. 40, p. 530.

vata formae a decreto « Ne temere » statuta? responsum est die 28 Martii 1908: « Negative ». Non vi praescripti expressi, quod demum in Codicem I. C. introductum est, matrimonia mixti ritus obligationi formae subiecta sunt, sed vi num. XI § 1, citati Decreti qui in his quorum nobis interest, ad verbum in canonibus orientalibus repetitur[20]. Tertio addi potest, hac sententia admissa praevalentiam iuris canonici latini in novis canonibus non solum non minui sed augeri. Cur in matrimoniis mixti ritus inter latinam et orientalem partem servanda praescripta sit Codice I. C. forma in iure latina stabilita, intelligitur, cum eo tempore disciplina orientalis normas uniformas et certas vix haberet. Haec ratio vero hodie non iam valet. Tamen nunc, admissa haec praevalentia iuris latini ad matrimonium quod attinet, ex analogia etiam ad sponsalia applicanda videtur, ita ut etiam sponsalia inter orientalem et latinum sempre forma can. 1017 servata, ad validitatem ineunda sint. Haec certo minus respondent doctrinae, nostris temporibus receptae, de aequalitate rituum. - Eaedem vero considerationes pugnant quoque contra 2) sententia, quae tenet in matrimoniis mixti ritus de quibus loquimur, semper servandam ese formam celebrationis statutam in canonibus orientalibus. Nam si semper anteponendum sit praescriptum canonum orientalium canonibus Codicis I. C., ubi de utriusque legis applicatione disputatur, propterea quod lex posterior obrogat priori, secundum can. 6 § 2, n. 1 sponsalitium mixti ritus, ut validum sit, semper coram parocho ad normam can. 86-87 celebrandum erit. Immo, si admittitur vi canonis 90 Orientales semper ad formam orientalem servandam ineunt coram parocho latino, qui ex praescripto can. 86, § 3, un 2-4 tamquam proprius eorum parochus habendus est. Item si parochus orientalis assistit matrimonio duorum latinorum. Nam parochus vel Hierarcha loci orientalis, ut valide assistant, servare de-

---

[20] *A. S. S.*, t. 41, p. 287 s. Cf. ibidem p. 288, nota 2.

bent canonem 85-86. Idcirco, quotiescumque vel ambo, vel alteruter ex illis qui sponsalitium vel matrimonium ineunt vel parochus assistens ad ritum orientalem pertinent, semper forma orientalis ad validitatem necessaria habetur. Haec sententia tamen dura videtur et quamquam in favorem suum adduci potest quod canones orientales praesertim lati sunt pro Oriente et pro regionibus in quibus Latini inter Orientales vivunt, ideoque in primis usuum et consuetudinum Orientalium ratio habenda est, tamen aequalitati rituum contradicere videtur neque considerat magnum numerum Orientalium qui hodie in regionibus latinis vivunt.

Propterea mihi sententia praeferenda videtur quae supra sub num. 4) exposita est. Secundum hanc, sublato can. 1099, § 1, n. 3 et inaequalitae in eo statuta, canones orientales eadem ratione pro Orientalibus legem ferunt atque Codex I. C. pro Latinis. Secundum mentem legislatoris non « legem posteriorem » sed sit venia verbo, « legem parallelam » constituunt. In confirmatur eo quod relationes inter Orientales et Latinos in eis expresse non ordinantur; nullibi explicite sermo est de sponsalitio vel de matrimonio quod contrahitur inter partem orientalem et partem latinam.

Quid igitur in hoc casu servandum est? Ex can. 88 § 3 liquet tale matrimonium pro adiunctis valide contrahi sive ritu latino sive ritu orientali. Hoc evidenter supponitur; ad liceitatem matrimonii autem ulterius determinatur uter parochus assistere debeat, parochus sponsi aut parochus sponsae. Quae forma autem ad validitatem matrimonii mixti ritus servanda sit, statuitur in can. 85-86: hic enim praescribitur ut parochus ritus orientalis ad validitatem matrimonii servet formam canonibus orientalibus statutam, quoties assistit matrimonio, etiam non subditorum, modo alteruter sit sui ritus. E contrario ex praescripo can. 1094-1095 satis est ut valeat matrimonium, si parochus latinus assistit forma Codicis I. C. servata, igitur

etiam matrimoniis mixti ritus, si semel admissum est eum legitime assistere pose his matrimoniis. Ideo concluditur matrmonium mixti ritus inter partem orientalem et partem latinam valide contrahi in alterutro ritu, dummodo parochus assistens servet formam in suo ritu ad validitatem praescriptam.

Quid vero si duo orientales nuptias ineant coram paroco latino quem, secundum can. 86 §§ 2 et 3 tamquam proprium habent? Aut e converso si duo latini matrimonium ineant coram parocho orientali qui in eadem condicione est? Hic casus difficilius deciditur; rationes enim in utrumque sensum afferri possunt. Alii tenent in hoc casu praevalere ritum fidelium, non parochi. Nam benedictio matrimonialis in iure orientali praescribitur non propter parochum qui etiam sine ea testem qualificatum agere valet, sed propter fideles qui suam unionem benedictione divina roborari cupiunt. Neque urgeri potest quod in Sacramentis administrandis potius ritus administrantis, non fidelium recipientium servandus sit. Hic enim non de simplici ritu liturgico, sed de forma iuridica sermo est. Ex altera parte vero urgeri potest, si in his matrimoniis semper ritus parochi ad validitatem servandus sit, facilius et melius provideri validitati matrimoniorum. Nam si mox secundum praescripta Codicis I. C., mox secundum canones matrimoniales officio testis qualificati fungi debeat, exercitium huius muneris minus simplex redditur et, praesertim in regionibus in quibus talia matrimonia orientalium rariora sunt, omissiones et errores facilius admittentur. Porro non constat qua benedictione parochus latinus uti debeat. Ex his sententiis, donec prodeat responsum S. Sedis, prior mihi praeferenda videtur cum melius servet praescriptum can. 90 § 1, n. 1.

Superest ut de sponsalitio mixti ritus loquamur. Similia principia huic applicari possunt. In primis vero liberum est sponsalia contrahentibus, si alter ad ritum latinum, alter ad ritum orientalem pertinet, eligere ritum

sive latinum sive orientalem quo se obligent. Nam nulla praescriptione haec libertas limitatur. Electo vero ritu servare debent quae ad validitatem in ritu a se electo praescribuntur. Duo vero Orientales qui parochum latinum tamquam proprium habent, servare debent formam sponsalitii proprii ritus; similiter duo latini qui subiiciuntur parocho orientali. Hic vel clarius quam in matrimonio apparet ritum non parochi sed ritum contrahentium sponsalia esse attendendum.

Haec dicta sint de variis gravibus quaestionibus quae ad formam celebrationis matrimonii spectant. Exposuimus quae nobis dicenda visa sunt; sed omnia doctiorum iudicio libenter submittimus. Levius dubium remanet de eodem canone 90. In can. 60 impedimentum disparitatis quoque quod initur inter acatholicum orientalem baptizatum et personam non baptizatam. In can. 90 § 2 vero supponitur acatholicum orientalem baptizatum posse validum matrimonium contrahere cum persona non baptizata; nam dicitur in hoc casu eos forma a canonibus praescripta non teneri. Haec invicem contradicere videntur. At respondetur in utroque casu regulam statui neque investigari in quibus adiunctis ea applicanda sit, in quibus non. Non certum est acatholicum orientalem baptizatam nunquam liberari ab impedimento disparitatis cultus. Porro notum est certos auctores dispensationes ab Episcopis dissidentibus datas validas habere; quae opinio nobis non probatur, sed authentica responsio in hac re non habetur. Proinde non affirmari potest can. 90 § 2 privari omni utilitate.

14. Quae restant, breviter absolvi possunt. Plerique canones concordant cum canonibus Codicis I. C. Animadvertendum tamen est *omissos esse canones* 1101 *et* 1102 *Codicis I. C.* Ille quia spectat normam iuri latino propriam (i. e. benedictionem nuptialem secundum praescripta ritus latini); hic quia prohibitio omnis ritus sacri in matrimoniis mixtis in Oriente sustineri non potest sine gravioribus malis certo obventuris. Nam cum Orientales

matrimonium sine benedictione fieri posse non facile admittant, si in Ecclesia catholica eam obtinere non possent pleraque matrimonia mixta in ecclesiis dissidentium celebrarentur, cum gravi damno religionis catholicae.

In can. 97 *duplex forma temporis sacri* pro diverso usu Orientalium statuitur: apud alios vetatur ipsa celebratio matrimonii hoc tempore, ita apud Rumaenos, Melchitas, Bulgaros, Russos; apud alios antiqua disciplina mitigata est et hodie, sicut in Ecclesia latina, prohibetur tantum solemnitas celebrationis, seu, ut dicitur in can. 97 § 3, « pompae apparatus ».

Minoris momenti est quod in can. 104 § 2 accuratius definitur *tempus quo praesumitur legitimitas prolis*: « legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post centum octo intra dies a die celebrati matrimonii, vel intra tercentos dies a die dissolutae vitae coniugalis ». In Codice I. C. can. 1115 § 2 sermo erat de sex et de decem mensibus. Pro tempore anni igitur tempus praesumptionis brevior vel longior erat. In can. 130 datur *Patriarchis facultas concedendi sanationem in radice* » si validitati matrimonii obstat tantum defectus formae celebrationis vel impedimentum a quo ipse dispensare potest ». In fine *omittitur can.* 1143 *Codicis I. C.*, cum in plerisque Ecclesiis Orientalibus impertiri possit benedictio, minus sollemnis saltem, illis qui secundas vel ulteriores nuptias ineunt.

Ex brevi hoc canonum orientalium conspectu id confirmatur quod iam initio diximus. Alii forte optassent ut propter maiorem disciplinae facilitatem canones vel fidelius secuti essent canones Codicis I. C. Alii e contrario forte in votis habuissent conservationem accuratiorem normarum quae iuris orientalis propriae erant. Legislator in canonibus orientalibus mediam viam elegit. In primis apparet studium assimilandi praescripta iuris orientalis canonibus Codicis I. C. quatenus id fieri potuit sine essentiali eius mutatione. Ita non pauca capita ad verbum fere transsumpta sunt, ubi agitur de normis quae in iure orien-

tali vix definitae, vel de materiis quae iure divino naturali vel positivo vel ipsa natura rei determinatae erant. In impedimentis matrimonialibus quoque, secundum desiderium Hierarchiae saepius expressum, canones orientales sat fideliter sequuntur canones Codicis I. C. Tamen Ecclesia noluit abrogare legitimas traditiones orientales et disciplina propria Orientis quatenus viva est, conservata fuit, ut in impedimentis disparitatis cultus, consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, tutelae. Immo non raro hi canones, ubi inter varias formas disciplinae orientalis deligendum erat, sequuntur traditionem magis antiquam et genuinam, ut in computatione consanguinitatis et affinitatis, in limitatione ad patrinum impedimenti cognationis spiritualis etc.

Haec valent quoque de momento quod habet in canonibus matrimonialibus benedictio matrimonialis. Magnae huius aestimationis ratio habita est non solum in canonibus quae respiciunt formam celebrationis matrimonii sed etiam in illis quae ordinantur de matrimoniis mixtis et de secundis et ulterioribus nuptiis. Qui novit infinitam varietatem et saepe magnam obscuritatem iuris matrimonialis anterioris facere non potest quin ex nova hac lege maximam utilitatem Ecclesiis orientalibus proventuram speret.

Aemilius Herman S. I.

NOMEN DANTES COMMUNISMO

Constat Communismum inter societates ab Ecclesia canonicis poenis interdictas haud certo recenseri.

Is enim cum se systema oeconomicum profiteatur quod tenuiorum (proletariatus) redemptionem quaerere dictitet nec canone C. I. C. 2314 nec excomunicatione latae sententiae can. 2335 plecti videtur.

Hoc tradit maior canonistarum et moralistarum pars, quos inter Gasparri, Blat, Eichman, Regatillo, Chelodi, Vermeersch-Creusen, Noldin-Schmitt etc. enumerantur, idque P. H. M. Ganzi S. I. perspicue demonstravit in sua dissertatione « Nomen dantes Communismo » quae in nostris « Periodica » mensis Iunii anni proxime elapsi, publici uris est facta.

Comunistae de se, si stricte nobis loquendum est, neque apostatae formaliter dici possunt neque sectae proprio sensu atheisticae adhaerent. Imo, nec Communismus genus societatum clandestinarm prae se ferre videtur.

Quo non infitiamur eos qui post receptum baptismum in Communismo doctrinam Ecclesiae Religionique contrariam persequuntur - multoque magis qui eam defendunt aut propugnant, ut sunt ii qui ad societates « absque Deo vel adversus Deum » apellatas pertinent - in excomunicatione speciali modo reservata can. 2314 omnino haerere.

Neque dici potest deesse rationes vel desiderari quibus de lege *ferenda* Communistarum coetus societatibus can. 2235 excomunicatione damnatis declarentur aequiparandi; quod interpretatio esset huius canonis extensiva.

Res est minime obscura: Communismus, non minus, sed magis Religionis et Societatis communi bono opponitur eique est infestus quam societates illo in canone nominatae.

Age nunc: Communismi flagitium nefas est certoque vitandum.

Cum - omni canonica sanctione missa - communistici coetus, et doctrina et factis, verae Dei religioni Eiusque Ecclesiae adeo se inimicos invidosque probent ut eas ubicumque vigent dilacerare atque percellere, re ipsa conantur stultus esset qui putaret homines posse absque gravi peccato se cum illis sponte coniungere.

In articulo « Elected Silence » (The Month, April, 1449, p. 225) ait auctor: « Sunt quae de se lethalia dici nequeunt quam ob rem, plures arguent, non sunt illicita. Ergo, addent, licent. Si quis, vel prudenter, eos admoneat ut se ab eis abstineant haereticus vocabitur.

Exinde plurimi, nisi prudentia feliciter obstiterit ea mente sunt ut quodlibet v. g. kinema adire, vino se obruere aliaque eiusmodi sancta honestaque putent ».

Ne contingat ut nonnulli, etiam forte eorum quibus res plene comperta esse deberet, simili modo argumentantes Communismum licitum cogitent quae paginae consequentur illum pravum penitusque vetitum convincent.

Eas exclusive deprompsi ex Communistarum doctrina et praeceptis uti a Pio XI in litteris encyclicis « Divini Redemptoris » (19 Martii, 1937 A.A.S. v. 29. pp. 65-106), exponuntur collatis cum sectarum Massonicarum placitis quae Leonem XIII moverunt ad has in celeberrimis litteris encyclicis « Humanum genus » (A.S.S. v. 16 pp. 417-433) etiam canonica censura, quam Codex Iuris Canonici retinet, solemniter proscribendas.

Immortali huius pontificatu decurrente, qui « deterioribus favebant partibus quae assidue pro iis quae virtuti sunt veritatique contraria propugnant, adversus Deum eiusque Ecclesiam conspirare » videbantur « simulque vehementissime contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appelant *societate* »[1]. « In tam praesenti discrimine

---

[1] « Hum. genus ». *A.S.S.* V. 16 p. 417.

in tam immani pertinacique Christiani nominis oppugnatione »[2] comque secta ad incrementum properasset opinione maius[3], Leo XIII, suum esse duxit « indicare periculum »[4], atque « in ipsam Massonicam societatem, in doctrinam eius unviersam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere quo vis illius malefica magis magisque » illustraretur, « idque » valeret « ad funestae pestis prohibenda contagia »[5].

Pius XI. qui « non semel per potificatus decursum increscentes *Comunistarum* fluctus minaciterque aestuantes instanti sollicitudine denuntiarat »[6] cum oculis videret eiusmodi flagitium magis magisque ingravescere suam iterum extulit vocem ut praefatis encyclicis Comunistarum inventa denuo explanaret iisdemque Ecclesiae doctrinam opponeret et iterum omnes instanter adhortaretur ad illa suscipienda praesidia quibus Christum et christianae vitae culturam contra perniciosum illum hostem defenderent »[7].

Sectarum Massonicarum et Communismi scopus atque principia.

« Consiliorum *Massonum* ultimum » est « evertere funditus omnem eam quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio Naturalismo fundamentis et legibus »[8].

Communistae « novum rerum ordinem inducere contendunt ac novam cultioremque aetatem, quae quidem ex occulto solummodo naturae cursu profluant: hominum nempe consortionem quae e terris exegerit Deum »[9]. « Quae Communistae impertiunt praecepta, captiosa interdum al-

---

2 *A.S.S.* v. 16 p. 418.
3 *A.S.S.* v. 16. p. 419.
4 *A.S.S.* v. 16 p. 418.
5 *A.S.S.* v. 16 p. 420.
6 *A.S.S.* v. 29 p. 67.
7 *A.S.S.* v. 29 p. 68.
8 *A.S.S.* v. 16. p. 421.
9 *A.A.S.* v. 22 p. 72.

licientique specie proposita, iis reapse innituntur principiis quae de materialismo, ut aiunt, dialectico atque historico C. Marxius prodidit; cuius quidem disciplinae ii qui de bolscevismo philosophantur, nativam gloriantur se habere unos interpretationem »[10].

Deus, Religio, Ecclesia in sectis Massonum et in Communismo.

« Quamvis *Massones* Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque certo et fixo » autumnant » Re autem vera, initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse perfracte contendant, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent » [11].

Communistarum « praescripta docent unam tantummodo esse universamque rem; materiam » [12]. Patet igitur ex istiusmodi commentis ipsam aeterni Numinis notionem aboleri » [13].

« Officia erga Deum », *Massones*, « vel minus curant vel opinionibus errantibus et vagis pervertunt. Negant esse quidquam Deo auctore traditum, nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum cui propter auctoritatem officii sit iure credendum » [14].

« *Communismi* doctrina suapte natura cuilibet religioni adversatur, eamque quasi saporiferum proletariae plebis opium idcirco reputat, quod eius institutiones atque pracepta cum vitam sempiternam post mortalis vitae obitum edoceant, a futurae illius beatitatis ordine homines abstrahunt quem in terris assequi teneantur [15].

---

10 *A.A.S.* v. 22 p. 69.
11 *A.S.S.* v. 16 p. 423.
12 *A.A.S.* v. 29 p. 69
13 *A.A.S.* v. 11 p. 70.
14 *A.S.S.* v. 16 p. 421-422.
15 *A.A.S.* v. 29 p. 76.

Massones « Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur »[16]; « in ipsam, maxima est corum iracundia impetusque conversus »[17].

« Religionem et Ecclesiam quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, volunt demoliri »[18].

« Per eos « fundamenta ipsa religionis catholicae fando, scribendo, docendo, adoriri impune licet; non iuribus eius parcitur non munera quibus divinitus est aucta salva sunt »[19]. Agendarum rerum facultas quam minima ei relinquitur et personis suisque rebus, instigante secta, leges singulares, graves, iniquae passim imponuntur[20].

Longo sane pertinacique labore in id datur opera ut Ecclesiae magisterium et auctoritas in civitate nihil possit; « ob eamque causam Massones vulgo praedicant et pugnant rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus ab administratione rei publicae excludunt; illudque est consequens, ut *praeter* instituta et praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates »[21].

« At vero in Sedem Apostolicam Romanumque Pontificem longe est eorum incitata contentio », donec perventum est ut aperte denuntent ipsum divino iure institutum funditus delendum pontificatum[22].

Communismi doctrina sacra omnia humanae vitae munia detrectat atque repudiat[23]. « Eo simulationis Communistae procedunt ut gentibus non numquam suadeant in regionibus ubi aut christiana fides aut humananitatis cultus altius insederit Communismum esse procul dubio lenius se gesturum facta singulis libertate sive summi Dei

---

16 *A.S.S.* v. 16 p. 417.
17 *A.S.S.* v. 16 p. 422.
18 *A.S.S.* v. 16 p. 426.
19 *A.S.S.* v. 16 p. 422.
20 *A.S.S.* v. 16 p. 422.
21 *A.S.S.* v. 16 p. 422.
22 *A.S.S.* v. 16 p. 422.
23 *A.A.S.* v. 29 p. 71.

colendi, sive quae quisque maluerit de religione iudicandi [24]. « Interea vero luctuosi, mentis oculis, observantur studiosae huius propagationis fructus.

Ubicumque enim Communistae invalescere suumque exercere dominium potuere-atque hic. Russiarum ac Mexicanae Reipublicae populos cogitamus - inibi, quemadmodum iidem aperte praedicant, quoquo modo enisi sunt christianae religionis humanitatisque fundamenta radicitus diruere atque in hominum animis praesertim iuvenum eus prorsus memoriam restinguere ». « In regionibus etiam in quibus - quemadmodum in dilectissima Nobis Hispania contingit - Communismi pestis atque flagitium nondum omnes potuit suorum errorum calamitates parare, vesanum tamen concitavit furorem, inque scelera erupit funestissima ». Quam plurimae sacrae aedes dirutae, haud pauca labefactata coenobia; ubicumque facultas fuit templa omnia, religiosa claustra ac vel quaelibet christianae religionis vestigia eversa; quindecim Episcopi, sacerdotes et religiosi sex bene millia, trucidati; innumeri laici, ex insidiis, interfecti [25].

Atque id genus atrocitates non immoderati exarcerbatorum animorum motus [5] sunt « quos quaelibet perduelliones pariant; sed naturaliter potius ex huius disciplinae rationibus oriuntur cuius compagem nulla omnino frena continent... Quando ipsa divini Numinis notio e civium mentibus evellitur necessario iidem ad agrestem immanitatem ferosque mores compelluntur » [26].

Lex naturalis, mores, ad Massonum Communistarumque placita.

Silemus de virtutibus divinioribus « quarum profecto necesse est nullum reperiri vestigium in iis qui redemptionem generis humani, qui gratiam coelestem qui sacramenta adipiscendamque in coelis felicitatem pro ignotis asper-

---

[24] *A.A.S.* v. 29. p. 25.
[25] *A.A.S.* v. 29. p. 75.
[26] *A.A.S.* v. 29 p. 76.

nantur. De officiis loquimur quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator, Deus; lex aeterna, naturalem ordinam conservari iubens perturbari vetans; ultimus hominis finis... hi fontes, haec principia sunt totius honestatis et iustitiae. Ea si tollantur quod *Massones* solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat et quo se tueatur omnino non habebit »[27]. « Et sane disciplina morum quae Massonum familiae probatur unice, et qua adolescentem aetatem informari intendunt oportere ea est quam et civicam et solutam ac liberam appellant, in qua opinio nulla sit religionis inclusa »[28]. Mores et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare » gestiunt[29]. Nam « parentem generis humani negant deliquisse proptereaque liberum arbitrium, nihil viribus attenuatum et inclinatum putant. Quin imo, exagerantes naturae virtutem et excellentiam in eaque principium et normam iustitiae unice collacantes, ne cogitare quidem possunt ad sedandos illius impetus regendosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus suppeditari ab illis illecebras multas cupiditatum... omniaque denique conquisita voluptatum blandimenta quibus sopita virtus conniveat »[30].

Communismus naturalem legem eiusque auctorem aspernatur[31]. « Cum morum disciplinam tum iuris temperationem, nullo ex alio profitetur scatere fonte, quam ex oeconomicis temporum rationibus ideoque ex sua natura terrenas, fluxas, mutabiles »[32]. « Veritatem, iustitiam, omniaque immortalia bona spernit atque impugnat »[33] et « hominem libertae sua spoliat in qua spiritualis ducendae

---

27 *A.S.S.* v. 16 p. 423.
28 *A.S.S.* v. 16 p. 424.
29 *A.A.S.* v. 16 p. 426.
30 *A.A.S.* v. 16 p. 424.
31 *A.A.S.* v. 29. p. 76.
32 *A.A.S.* v. 29 p. 76.
33 *A.A.S.* v. 29 p. 66.

vitae norma consistit » [34]. « Ex istiusmodi commentis patet neque animam esse post mortalem obitum superstitem neque ullam esse alterius vitae expectationem [35].

Humana persona, matrimonium et familia in Massonum et Communistarum praeceptis.

Massones statuunt homines eodem esse iure omnes et aequae ac pari in omnes partes conditione; unumquemque esse natura liberum; imperandi alterius habere neminem; velle autem ut homines cuiusquam auctoritati pareant aliunde quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre [36].

Libertatem, fraternitatem, aequabilitatem pleno ore personant sed nec libertas est servorum Dei propria per quam nec Satanae nec cupiditatibus servimus, nec fraternitas ea est cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consitit origo, nec aequalitas illa quae iustitiae caritatisque constituta fundamentis,... ex vitae officiorum studoriumque varietate mirum illum consensusm efficit et quasi concentum qui natura ad ultilitatem pertinet dignitatemque civilem » [37].

Communismus « hominem libertate sua spoliat; itemque humanam personam dignitate sua exuit omnique in ordine rerum moderatione » [38].

« Homo nihil aliud est quam quaedam, ut ita dicamus, rotula universae insertata machinationi: idcirco a communistis naturalia iura singulis denegantur, communitatique attribuuntur. Ad necessitudinem inter cives quod attinet, absolutam profitentur aequalitatem; proindeque omnem quae a Deo proficiscatur, vel parentum, auctoritatem et hierarchiam renuunt. Neque singulis hominibus ullum ius datur possidendi vel bona vel rerum efficiendarum opes; qua profecto de causa affirmant privatum quodlibet ius

---

34 *A.A.S.* v. 29 p. 70.
35 *A.A.S.* v. 29 p. 70.
36 *A.A.S.* v. 16 p. 425.
37 A. S. A. v. 16, p. 431.
38 A. A. S. v. 27, p. 70.

mancipii, quippe praecipuum servitutis caput, esse omnino delendum »[39].

Naturalistae docent « matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus; rescindi ad voluntatem eorum qui contraxerint iure posse; penes gubernatorem rei civilis esse in maritale vinculum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiatur ex certa destinataque sententia; integrum singulis esse cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. Atqui haec omnia assentiuntur *Massones*, neque assentiuntur solum sed iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in nationibus... constitutum est ut praeter coniunctas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae; alibi, divortia fieri, lege licet. Ita ad illud festinant cursus ut matrimonia in aliam naturam convertant: hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas quas libido conglutinet et eadem mutata dissolvat... Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum ut institutionem ad se rapiat adolescenium quocirca in educatione doctrinaque puerili, nullas, Ecclesiae ministris, nec magisterii nec vigilantiae, sinunt esse partes »[40].

Brevi: *Massones* « vehementer conantur recti atque honesti praecipue fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent »; ex iis « consequatur in familia necesse est, turba et confusio, excidentibus de sua dignitate feminis incerta, rerum suarum incolumitatisque, sobole »[41].

Communistarum doctrina « matrimonium ac domesticum convictum ita habet ut civile solummodo ac ficticium institutum, quod e certis oritur oeconomicis rationibus: quapropter quemadmodum illa maritalia connubia recusat iuridicis moralibusque nexibus composita, quae vel e singulorum vel e communitatis nutu non pendeant, ita indis-

[39] A. A. S. v. 27, p. 70.
[40] A. S. S. 16. 425.
[41] A. S. S. 16. 421.

solubilem eorum perpetuitatem explodit. Iidem cum feminam a viri tutela prorsus liberam praedicent eam, et a domestica vita et a liberorum cura ita abstrahunt, ut in publicae agitationem vitae communisque industriae, aeque ac virum, trudant; atque adeo eius focum ac prolem, civili societati curanda committunt... Parentibus, patria educandae sobolis potestas eripiunt utpote quae unice sit communitati propria »[42].

Societas sectarum Massonum et Communistarum.

Alii fingunt « omnium iurium officiorumque civilium fontem vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante societatem; eaque novissimis informata disciplinis... Omnia in libero populo esse; imperium, iussu vel concessu populi, teneri, ita quidem ut mutata voluntate populari, principes de gradu deici vel invitos liceat »[43]. In populi, esse voluntate, obedientiam cum libitum fuerit abiecere »[44]. Curam de religione publice adhiberi nullam, et in rebus civicis gerendis atque ordinandis Deum nihili magis respiciendum quam si omnino non esset »[45]. « Solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt »[46]. « Atheam esse rempublicam oportere » affirmant[47].

Alteri effutiunt « humanam societatem nihil aliud esse nisi materiae speciem vel formam quae caecis occultisque viribus conflata evolvitur quaeque ineluctabili quadam necessitate perpetuoque virium conflictu ad supremum exitum contendit: ad societatem nempe, civium ordinibus vacuam »[48]. Dialecticam materialismi viam insistentes hunc conflictum, qui rerum naturam ad supremum exitum adducet, ab hominibus mutari posse, arbitrantur. Quare id enituntur ut discrimina quae inter varias civi-

---

42 A. A. S. v. 29. p. 71.
43 A. S. S. 16, p. 426.
44 A. S. S. v. 16, p. 427.
45 A. S. S. v. 16, p. 427.
46 A. S. S. v. 16, p. 427.
47 A. S. S. v. 16, p. 426.
48 A. A. S. v. 28. p. 70.

tatis classes intercedunt acriores reddant, atque ordinum inter se conflictio, invidiarum ruinarumque plena progredientis aetatis, sacra veluti contentio videatur. Ideo repagula omnia quae vehementibus his ex proposito susceptis conatibus obsistunt utpote humano generi infensa penistus perfirgere decreverint [49].

Ad Communistarum commenta, « hominum consortio, consociatio evaderet nulla alia auctoritate coalescens nisi ea quae ex oeconomicis rationibus derivatur. Cui hoc unum munus esset, communi nempe opera res gignere; unumque esset propositum: terrae, nimirum frui bonis in amoenissima voluptatis sede in qua quisque « pro suis viribus laborem impertiret suum, pro suisque necessitatibus opes reciperet ». Societati, etiam ius tribuunt, vel potius arbitrium paene infinitum, communi labori singulos cives addicendi, nullo habito respectu ad proprium cuiusque bonum; quin imo vi adhibita vel invitos cogendi » [50].

Ad summam; novum rerum ordinem induceret quo homo civitati tantum exsisteret [51].

Agendi Masonum et Communistarum ratio.

Massones quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium ... nihilominus ... genus societatum clendestinarum moremque retinent. Plura sunt in eis arcanis similia quae non externos solum sed gregales bene multos exquisita diligentia celari, lex est ... Initiales spondere, imo, praecipuo sacramento iurare, ut plurimum iubentur nemini, se ullo umquam tempore ullove modo, socios, notas doctrinas indicaturos. Sic ementita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime laborant Massones abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes [52].

Res est, cum hoste fallaci et doloso qui serviens au-

---

[49] A. A. S. v. 28. p. 70.
[50] A. A. S. v. 28. p. 71.
[51] A. A. S. v. 29. p. 79.
[52] A. S.S. v. 16. p. 420.

ribus populorum et principum, utrosque, mollibus sententiis et assentatione cepit. Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc sectarunt Massones, illos ipsos habere, ad opprimendum catholicum nomen, socios et adiutores potentes. Pravis artibus, quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum, parati imperiorum fundamenta quatere et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere, quoties facere secus, in gubernando viderentur, quam illi maluissent. Haud absimili modo populos ludificati sunt[53].

Quae nostris hisce diebus *Communistarum* doctrina praedicatur, fucata, redemptionis tenuiorum specie, profertur. Falsa quaedam forma iustitiae, aequabilitatis, ac fraternae omnium in labore necessitudinis eorum praescripta eorumque molimina, simulato mystico sensu, ita pervadit, ut illectas pollicitatioum fallacia, multitudines, quasi acerrima contagione incitatas, vehementer inflammet »[54]. Haec doctrina tam celeriter per universum terrarum orbem propagari potuisse intelligitur, si animo reputetur, nimium sane paucos, quid velint et quo reapse tendant Communistae, inspicere potuisse; cum contra bene multi callidis eorum sollicitationibus, quas miris pollicitationibus confirmant, facile concedant. Ii enim qui eiusmodi causam provehunt, fucata hac veritatis specie utuntur: se nimirum velle solummodo operariae plebis sortem ad meliorem fortunam reducere; itemque velle et quidquid non rectum in rem administrandam Liberales, quos vocant, invexerunt, opportune sanare et ad aequalibiliorem bonorum partitionem devenire[55]. Comunismus initio, ut re erat vera, scelestiorem quam quod scelestissimum se praebuit; at cum subinde sensisset ab se populos passim abalienari, ratione belli gerendi mutata, multitudines per eiusmodi varii generis fallaciis captare nisus est quae quid ipsae intendant doctrinis occultant in se rec-

53 A. S. S. v. 16. p. 428.
54 A. A. S. v. 29. p. 69.
55 A. A. S. v. 29. p. 72.

tis atque illecebrosis »[56]. Ita ut exemplis utamur, Communismi capita se fautores communium nissum pro pace inter gentes universas constabilienda unos omnium studiosissiomos assimulant. Item nominibus quae Communismum ne significant quidem confictis, vel consociationes condunt... vel catholicis hominibus auctores sunt mutuae sibi metipsis operae nunc in humanitatis, nunc in caritatis provincia ultro ferendae[57].

EPILOGUS

Secta *Massonum* contra ius fasque constituta non minus est christianae rei quam civitati perniciosa[58]. « Nomen dare sectae Massonicae nemo sibi quapiam de causa licere putet si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit quanti esse debet. ». Ne quem honestas assimulata decipiat. Potest enim quibusdam videri nihil postulare Massones quod aperte sit religionis morumve contrarium, verumtamen quia sectae ipsius, tota in vitio flagitioque est et ratio et causa, congregare se cum eis eosve quoquo modo iuvare, rectum est non licere »[59].

Doctrina autem quam *Comunistae* bolscevici et athei propugnant « inventum est errorum ac praestigiorum plenum quod veritatibus divinitus patefactis aeque ac humanae rationi adversatur; quod cum civilis consortii fundamenta destruat socialem ordinem subvertit; quod veram civitatis originem ac naturam verumque finem non agnoscit; quod denique humanae personae iura, dignitatem, libertatem, detrectat ac denegat »[60]. Cum *intrinsecus* sit pravus, eidem nulla in re est adiutrix opera ab eo commodanda cui

---

[56] A. A. S. v. 29. p. 95.
[57] A. A. S. v. 29 p. 95.
[58] A. S. S. v. 16. p. 418.
[59] A. S. S. v. 16. p. 430.
[60] A. A. S. v. 29. p. 72.

sit propositum ab excidio christianum civilemque cultum vindicare »[61].

Nefaria igitur secta *Massonum, nefarior* vero *Communismus* bolscevicus atheus qui, - ita praefacti immortales Pontifices asseverant, - eam aut parentem aut nutricem agnoscit[62].

Si *Massonum* societas cum iustitia et naturali honestate pugnat *Communistae* ipsam naturam rationemque opprimunt.

Principia sectae *Massonicae* adversus Deum et ad Ecclesiae sanctae perniciem excogitata videntur. *Communismi* effata et gesta rebellionem constituunt adversus omne quod est Deus, nominisque christiani insectationem quae forse omnes quas Ecclesia perpessa est vi magnitudineque excedit[63]. Sectam *Massonum* etiam poena C. 2235. interdictam esse patet.

Poteritne aliquis arbitrari, quem dictorum non ceperit oblivio, nomen dantes *Communismo* etiamsi censuras ipso facto non incurrant licite, impune agere?

MICHAEL FÁBREGAS S. I.

---

61 A. A. S. v. 29. p. 96.
62 A. S. S. v. 16. p. 426, A. A. S. v. 29. p. 74,
63 A. A. S. v. 29. p. 66 et 76.

DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM
AD NORMAM DECL. AUTH. D. 27 IULII 1942 *

Acturi sumus de iure accusandi matrimonium.

Gravissima res est quippe quae bonum publicum ordinemque in Ecclesia semper, sed nostris potissimum diebus intime tangit, consectaria habens ut patet circa aeternam animarum salutem.

I - *De nullitatis sacramenti fontibus*

Iam age: Sacrilege nulliterque contrahunt, qui vota solemnia professi sunt (can. 1073); vel qui mulierem intuitu matrimonii raptam ducere audent (can. 1074); vel qui proprietatem aliquam matrimonii essentialem positivo voluntatis actu pactove excluserint (can. 1086 § 2); qui scienter impedierit dispensationem impedimenti dirimentis, puta consanguinitatis, disparitatis cultus vel publicae honestatis, aut qui onere supra se sumpto obtinendi delegationem pro sacerdote benedicente, dolo vel gravi culpa hoc facere omiserit (can. 1094); qui libere et nulla sufficienti seu proportionata causa excusatus, matrimonium contrahit cum personam quam scit proprietatem aliquam essentialem matrimonii excludere, ita ut quamvis ipse consensum integrum per se praestet, tamen matrimonium scienter nullum celebret; generatim qui aliquod impedimentum dirimens dolo

* Utrum secundum c. 1971 § 1 n. 1 et responsum diei 17 iulii 1933 ad II, inhabilis ad accusandum matrimonium habendus sit coniux, qui sive impedimenti sive nullitatis matrimonii causa fuit et directa et dolosa, an etiam coniux qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa exstitit vel indirecta vel doli expers.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

reticuerit. Hi omnes, diximus, sacrilege, praeterquam nulliter, contrahunt: « Ab omnibus (est) receptissimum culpam esse lethalem contrahere matrimonium cum aliquo impedimento dirimenti » (Sanchez, *De matrimonio*, lib. VII, disp. V, 1) quod auctores vocant « *Sacrilegium irritationis sacramenti* » (*ibid.*, etc.; cfr. Laymann, *Theol. Mor.*, 1 V, tr. X, pars 4, c. 1). Cfr. Pihring, *Ius canonicum*, lib. IV, tit. I, n. 97 tenens etiam in casu fictionis totalis locum habere sacrilegium veri nominis: « Ficte contrahens ... grave peccatum committit non solum *sacrilegii contra reverentiam Sacramenti*, sed etiam iniustitiae etc. »; item Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum*, lib. IV, pars I, tit. I, *de sponsalibus etc.* n. 268, fere iisdem verbis. Alii quidem dubitant de proprietate verbi « sacrilegii » in casu fictionis ob defectum materiae et formae. At praeterquam saepe non agatur de veri nominis fictione, ulterius discordes sint theologi in assignanda materia et forma huius sacramenti, certum est *irrogari iniuriam sacramento* hoc contrahendo in mala fide cum scientia nempe nullitatis (cfr. Cappello: *De matr.*, ed. 1927 n. 171 n. 2: « ex matrimonio invalide aut illicite inito oritur proximi damnum et *sacramenti irreverentia* ... si uterque in mala fide est, *sacramento iniuria irrogatur* »).

Tandem recolenda propositio I doctrinae *laxismi* damnata ab Innocentio XI (cfr. Denzinger, *Enchiridion Symbolorum*, n. 1151) ex qua, licet non prohibeatur contrahi cum dubio iuris (dummodo iuris ecclesiastici, non autem divini, can. 15), tamen aperte sequitur prohiberi contrahere cum dubio *facti*, intellige cum probabilitate existentiae impedimenti dirimentis etiam ecclesiastici, hoc enim nullimode licet quia « exponeretur periculo frustrationis sacramentum matrimonii » (Dominicus Viva, S. I., *Damnatarum thesium theologica trutina*, prop. I, n. 29).

Unde praetermissa seu transmissa subtilitate de casu fictionis seu simulationis totalis tenendum est generatim sacrilegium esse dolosam matrimonii irritationem propter iniuriam sacramento illatam.

« Contrahere *scienter* matrimonium quod iure naturali vel ecclesiastico irritum, consequenter etiam prohibitum est, non potest a mortali peccato excusari. *Ita omnes,* quia est *violatio legis* iustae in re magni momenti » (Laymann, *loc. cit.*).

II - *Irritatio matrimonii non est poena*

Certum est nullitatis sanctionem non esse, saltem principaliter, poenam, tum quia irritatio (ubi de lege humana positiva agitur) ad bonum commune statuitur et hoc veluti in signo priore et ante omnia prosequitur (a fortiori excludenda notio poenae cum de lege divina naturali), tum quia nemo est qui non videat nullitatem coniugii faciliores reddentem novas nuptias, iam anteacto tempore, sed hodie multo saepius praemium gaudiumque potius quam poenam et cruciatum afferre delinquentibus.

In pluribus insuper casibus, praecisione facta a voluntaria irritatione sacramenti, peccatum abesse potest, exgr. in nesciente se benedici a sacerdote carente delegatione. Etenim « ob bonum reipublicae expedit illum actum absque sollemnitatibus non subsistere, irritatur et ita nihil mirum si prorsus irritum sit, sive commodum, sive damnum contrahentibus attendat » (Sanchez, *De matrim.*, 1. III, disp. 28; Gommarus Michiels, *Normae Generales C. I. C.*, edit. 1949, pag. 459). Quot extarent nostris temporibus qui pravum gerentes animum uno damno irritationis sacramenti deterrentur a nullitate scienter causanda, aut saltem non impedienda?

III - *De diversis specificis poenis in profanantes matrimonium*

Diversissimi sunt fontes irritationis matrimonii: alii proprium et specificum delictum (adulterium, raptus, con-

cubinatus publicus et notorius...), alii personales circumstantiae quae delicta non sunt (votum solemne castitatis, ordo sacer, ligamen...) alii deordinationes ordinis moralis citra verum delictum (ex. gr. exclusio prolis) et ita porro...

Sed Legislator, independenter a natura seu ab origine impedimenti (utrum ex delicto oriatur, vel non) graviora attentata matrimonii peculiaribus punivit poenis. Iure Codicis quae servatae sunt, locum obtinuerunt in specifica sede id est in libro V *de delictis et poenis*: Bigami, seu qui impedimento ligaminis spreto (can. 1069) alterum matrimonium attentaverint plectuntur canone 2356; raptor intuitu matrimonii punitur canone 2353, immo ad praecavendum etiam periculum huiusmodi profanationis sacramenti ad poenam incurrendam sufficit propositum ducendi raptam nec requiritur ut revera matrimonium cum eadem attentaverit de facto; regulares, post votum solemne castitatis matrimonium celebrantes excommunicantur *ipso focto* (can. 2388); item clerici in sacris constituti (cod. can. 2388); attentans matrimonium cum impedimento disparitatis cultus punitur canone 2375. In omnibus casibus, quicumque sit fons nullitatis, unicum commune delictum est irrita sacramenti susceptio, seu vetitus accessus ad nuptias, profanatio et irritatio matrimonii.

Sicut in homicidio diversimode animadvertitur in procurantes abortum, in vim inferentes in suam personam, in duellantes etc., ita in eiusmodi sacrilegium, christianam rempublicam perturbans, vario modo et diversis poenis, iuxta diversam malitiam maiusve scandalum, lex nostra edicit.

Quodsi Ecclesiasticus Legislator nusquam praeterquam in canone 1971 necessarium aut opportunum duxit dolosam irritationem sacramenti « delictum » apertis verbis declarare et in ipsum *qua tale* generali lege animadvertere, per peculiarem canonem poenalem, id evenit quia, gravitate maxima perspecta *aliquarum specierum eiusdem generis* criminis, has *singillatim punivit* (recole attentata

clericorum vel voventium, bigamiam, raptum, matrimonium mixtum ob disparitatem cultus) remissa, in praesenti stadio iuris canonici, ad librum IV de processibus generali sanctione (minime de cetero levi) adversus delinquentes. Hi enim privantur exercitio naturalis iuris reclamandi adversus matrimonium nullum, iuxta illud Hostiensis « bonum est ut puniatur in quo deliquit » (*Summa aurea*, in *IV Decretal.*, tit VII, *de eo qui duxit*), ideo ait Barbosa « maritus autem *in poenam* non potest (consensum revocare in matrimonium quod scienter nullum celebraverat) » (*Collectanea doct.*, in lib. IV Decretal., tit. VII, *de eo qui duxit*).

Haec autem, inhibitio « dandi de nullitate », a novis nuptiis in perpetuum arcens, quoad effectum idem est ac *publica et sollemnis poenitentia* antiqui iuris, quae inter alia perpetuum vetitum contrahendi matrimonium comprehendebat. Inter delicta pro quibus iniungebatur publica poenitentia cum huiusmodi consectariis, notabilem, nisi principem locum tenuit dolosa celebratio irriti coniugii. Re quidem vera iuxta Decretalistas nemo magis merebatur affici ab *impedimento impedienti publicae* vel *solemnis poenitentiae* quam ille, vel illa, qui ita deliquisset. Ad c. 12, C. XXXIII, q. 11 rubricatum: « poenitentes matrimonia contrahere prohibentur » adnotat Glossa: « Potest etiam hoc *caput* intelligi de his qui *votum emiserunt et postea contraxerunt nec tenuit matrimonium* ». Ait ad rem Wernz-Vidal (*De matrim.*, ed. 1925, n. 151): « Sublata poenitentia publica in Ecclesia, nihilominus *certis delictis* adnexa mansit *prohibitio perpetua licitae celebrationis* matrimonii etiam cum qualicumque persona. Inter ista crimina recensenda sunt: incestus, matrimonium attentatum cum moniali, raptus personae alienae, uxoricidium... malitiosa propriae prolis susceptio ex baptismo » (cfr. quoque Schmalzgrueber, *Ius Ecclesiast.*, in l. V Decretal. tit. 17, n. 52).

Profecto impediendum est, ne spe novarum nuptiarum, contrahentes alliciantur ad abutendum sacramento cum

ludibrio Ecclesiae benedicentis seu copulantis et dein iudicantis, seu solventis.

Hinc legislator noster, praeter alias superius recensitas poenas in graviores matrimonii profanationes, communem cuivis nuptiarum irritationis dolosae, sanctionem ferre debuit: privationem seu prohibitionem exercitii naturalis iuris accusandi matrimonium in eos omnes, quibus imputanda revera esset praedicta nullitas.

IV - *De vetito dandi de nullitate matrimonii in iure antiquo*

Licet in C. I. C. nullus fons afferatur canonis 1971, valde notabile et praeclarum exemplum sanctionis eiusmodi habemus in Corpore Iuris. Alexander III (a. 1186) Abbati Sancti Albani rescripsit: « Propositum est nobis quod in quidam uxorem habens sibi aliam huiusmodi rei insciam copulavit (materialiter, concubitu; vel de facto[1]: sed prima mortua nititur discedere a secunda [pars decisa: asserens quod uxore vivente eam non licuit sibi copulare]. Licet autem in Canonibus habeatur ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio et illam maxime, cui fidem dederat uxore sua vivente, nec dignum est, ut praedictus vir, *qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet*: consultationi tuae taliter respondemus, quod nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi » (1, X, l. IV, tit VII *De eo qui duxit*). *Glossa*: nisi mulier « et ita compellitur vir remanere cum ea si voluerit, propter *culpam* et *dolum* ipsius viri ». Culpa intelligimus quia peccaverat, dolum quia cum advertentia ad vetitum « sacrorum canonum » contraxerat (*scienter*).

Qui olim Magister fuerat in Studio Boniensi, Rolandus

---

[1] Cfr. Barbosa, *Collectanea doctorum* in lib. IV Decretal. lib. VII, cap. 1.

Bandinellus, qui, Gratiani discipulus, huius Decretum sua *Summa* seu *Stroma* circa annum 1141 inlustraverat, Pontifex factus ad Sacros Canones iuridicis mediis tuendos roborandosque paratissimus ac peritissimus inveniebatur. Re quidem vera in causa XXXI Decreti q. 1, c. 1 e Leone Papa colligit Gratianus: « Nullus ducat in matrimonio, quam prius polluit adulterio ». Item in cap. III et IV ad idem esecrandum coniugium « aditus clauditur illicitus » « prohibetur » « anathematizatur ».

Hinc Alexander: Audet quis matrimonium nefarium eiusmodi accusare postquam scienter contra Sacros Canones iverat, cum illud contrahere seu attentare non erubuit? Minime est tolerandum, iuxta Alexandrum Papam, ut quis e tali dolo commodum reportet.

Dicendum revera est in celeberrimo capite « *Propositum est nobis* » notabile et multoties citatum in veteri iure exemplum perhiberi sanctionis consistentis in negando reo ius accusandi (exercitium iuris accusandi) seu reclamandi ad libertatem obtinendum ab oneribus illius coniugii, quod actor nunc nullum asserit, et quod olim scienter tale contraxit sacros canones noscens (« scienter contra canones venerat ») statuente, illud nullitatis vitio affectum iri. Si *vir* fuit, seu praesumitur, sacros canones *noscens* prohibentes nullumque edicentes tale connubium unde ignorantia iuris non excusatur, *ne mulier quidem* auxilium emendicare valet *ex ignorantia iuris*, in casu quod sciret virum adhuc alligatum fuisse primae uxori cum de facto contraxit cum ipsa (id est cum hac altera). Etenim: « licet mulieribus liceat ius ignorare... non tamen licet ignorare evangelicam veritatem clamantem « quod Deus coniunxit homo non separet » *non enim est probabilis ignorantia iuris naturalis* » (Ioannes Andreae, *In quinque lib. Decretalium novella commentaria* l. IV, tit. VII, de eo duxit, etc.). Scientia igitur nullitatis ponit mulierem alteram in dolum, ita ut mortua prima non possit contra matrimonium reclamare.

Aliquantum immorandum in examine culpabilitatis utriusque coniugis quorum alteri negatur ius « proclamandi » adversum matrimonium nullum, alteri vero conceditur: Delictum adulterii patraverat vir, delictum fornicationis mulier, at adulterium ipsa nonnisi materialiter, deficiente vero dolo huius delicti ob ignorantiam ligaminis, prout ad hoc caput notat Pihring (*Ius canon.* lib. IV, tit. VII, n. 3) quia « ubi lex requirit dolum, etiam culpa lata non aequiparatur dolo » (cf. etiam l. 7, D. 48, 8: « nec in hac lege (Cornelia) culpa lata pro dolo accipitur »).

Ex alia parte « matrimonium non potest claudicare » ideo « matrimonium contractum cum secunda non est validum nisi novus consensus interveniat » (Pihring, *ibid.*). Hoc utrinde non supposito, atque viro expetente separationem « decernit Pontifex ut nisi mulier divortium petat non sunt ab invicem separandi, scilicet *de facto* nam *de iure* separari poterant *cum matrimonium numquam tenuerit* » (Abbas, in lib. IV, tit. VII, in fine).

Unde sequitur: 1° *culpa moralis gravis* adest tum in viro adultero, tum in muliere fornicatrice: 2° *dolus adulterii* adest (seu praesumitur) in viro, sicut adest (seu praesumitur) in muliere *dolus fornicationis*, quae delictum etiam est (Pihring, *Ius canon.* lib. V, tit. XIV, n. 74); 3° dolus « irritationis matrimonii » adest *tantum in viro* qui ideo unus (aliter ac simplex fornicatrix (subiective) iure prohibetur « contra matrimonium proclamare » (Sanchez, *De matrim.* lib. VII, disp. 114). Hinc Ioannes Andreae: « Doloso petente non datur divortii sententia » (*In quinque Decretalium libros novella Commentaria,* lib. IV tit. *de eo qui duxit*). Notandum est non raro ius vetus prohibuisse, ne ii qui scienter matrimonium nullum contraxerant, possent deinde a tali coniugio resilire et ad novas nuptias convolare. Verba « scienter », « bona fides », « dolus », « mala fide », « inscius », « inscia » quae in corpore iuris, in glossa, in Decretalistis et Doctoribus passim adhibentur, aperte ostendunt canonici iuris in hac re mentem

et voluntatem, compescendi scilicet hac sanctione dolosam sacramenti susceptionem seu irritationem, dolo licet generico seu indeterminato patratam. Ita Henricus de Segusia Cardinalis Hostiensis: « Sed quid si ab initio fuit ignoratus *postea prima vivente fuit conscia*? Non debet pati quod cognoscatur a viro, alias matrimonium in perpetuum tolerabitur » (Hostien. *Summa aurea*, lib. IV *de eo qui duxit*). Misericordiae tantummodo Ecclesiae tribuendum est si, aliquibus in circumstantiis, in bonum animarum, conceditur delinquentibus periclitantibus convolare ad nova vota « Illud in summa tenendum est quod ubi matrimonium illegitimum est... nec susceptio prolis excusat nec diuturnitas temporis, sed excusat quia si processerunt in diebus suis divortium celebratur et poenitentia iniungitur et *propter scandalum perpetua continentia indicitur*... Secus si esset *iuvenis* vel *nullum scandalum* immineret quia *tunc datur licentia cum alia contrahendi* » (Hostien. loc. cit.). De vetito in virum reclamandi adversus coniugium sciente a se nulliter contractum Synibaldus Fliscus: « *sed si vir qui sciebat impedimentum* nunc cum potest nollet matrimonialiter consentire in eam, cogi debet de novo contrahere » (Innocentius IV, *Apparatus super quinque Decret. libros*, lib. IV, *de eo qui duxit*). Generatim adducitur principium quod non auditur propriam turpitudinem allegans, et quod dolus puniendus est.

Minime tamen obliviscitur pia Mater infantium suorum, quorum animarum sollicita semper est, unde in toto iure aliquid altius clementiusque spirat, cuius spiritu pellitur animus. Sic Gulielmus Durandus *ex una parte* rigore legis cogitur libelli formam in casu doli fraudisve suggerere, quae bonam fidem, in ignorantia nullitatis fundatam, exhibeant, ne incidatur in vetitum capitis « *Propositum* » et constantis iuris prohibitivae normae. Ita se gerit in casu nullitatis ob ordinem vel sollemne votum: « ... (ego Berta) cum matrimonium cum eo (P.) suae condicionis ignara contraxissem, nunc primum notitiam etc. » (Gul. Duran-

dus, *Speculum iuris,* lib. IV, part. III, *quia clerici vel viventes*). Ita in ceteris impedimentis (ex g. de coniugio servorum « suae condicionis ignarus » (ibid.); item ubi *de eo qui duxit* « si forte Lucretia ignoraret ipsum aliam habere » tunc non solum quisque de populo, sed ipsa innocens quoque coniux accusare valeret. Haec, diximus, de rigore legis.

Ex altera autem parte misericordem Matrem adire humiliter suggerit etiam delinquentibus propriam turpitudinem culpamque fassuris: Ita in tit. « de cognatione spirituali » « licet filiam eius Titiam de sacro fonte susceperim... tamen *instigante diabolo* ad nefarios amplexus vertimus nos ipsos de facto matrimonialiter vivendo in nostrarum periculo animarum quare peto matrimonium sic de facto contractum per vos dissolvi et dissolvendum esse sententialiter declarari etc. ». Ulterius alio specimine « licet olim eam de sacro fonte levaverim, *diabolo tamen instigante* me de facto sibi duxi matrimonialiter copulandum in nostrarum periculo animarum ».

Item in tit. *de eo qui cognovit consanguineam*: « licet olim Titiam eiusdem Bertae consanguineam casualiter cognovissem, *instigante tamen diabolo,* eidem Bertae de facto etc. ».

Sed ob doli nullitatis absentiam Ioannes Andreae hic relevat posse divortium (plenum) petere *etiam coniux qui fornicaverat cum consanguinea ante matrimonium*: « Ubi autem loquimur de affinitate quae praecessit contractum, tunc *ipse qui deliquit potest divortium petere* » (Ioan. Andreae *Additiones in Spec. Durand.*) (ibid.).

Putandum quidem hanc fuisse mentem Speculatoris, semitas sequentis « *domini sui* » Card. Hostiensis, qui misericordiam talem ostenderat in criminos (in tit. *de eo qui duxit,* in fine). Ipse Ioannes Andreae ad hunc titulum increpat severitatem Roffredi Epiphani repellentis ab agendum *utrumque coniugem conscium impedimenti ligaminis*

alterutrius: « quod puto falsum *propter periculum animae* » (additio in hunc tit. *ad Speculum Durantis*).

Incidenter veniam petimus de varietate fragmentorum legis et auctorum allatorum et afferendorum, nam non immerito hac in salebrosa et quam maxima disputata re « *erubescimus sine textu loqui* » (Sanchez, *De matrim.*, lib. II, disp. 39, 6). Iuvat autem hic referre ad subtilitates pellendas quae scite scribit cl. Fransen « La notion de dol au moyen âge reste une notion unique dans laquelle toutefois on commence à déceler un clivage qui aboutira après plusieurs siècles, aux *trois* notions... : *le dol délictuel, le dol commis* en n'éxecutant pas fidèlement ses obligations et *le dol donnant cause... à un acte juridique*. Dans tout *délit* selon les conceptions médiévales comme selon les nôtres, un dol est contenu. Il suffit de rappeler ici la distinction entre les dolus *in contractibus* et le dolus *in maleficiis*.

Dans cette acception le dol impliquera *surtout l'intention de violer la loi* (et citat: *Glossa ord. in Sextum decretalium* in Regul. Iuris *quod quis mandato*, 24 glosse 4; Ioannes Monachus, *Glosa aurea... super sexto Decretalium*, etc.).

« On en rapprochera plusieurs cas où *l'intention de tourner la loi* est manifeste: aussi celui de la femme qui, en espérant voir son mariage déclaré nul, provoque entre elle et son mari un empêchement de parenté spirituelle (et citat c. Dictum, 4, c. XXX, q. L; C. *Si vir*, 2 X, *de cognat. spir.* IV, 11); celui de l'adultère qui, à la mort de la femme légitime, refuse d'épouser sa complice lequelle, ignorant de la véritable situation, ne pouvait supçonner etc. (et citat supra relatum caput *Propositum*, 1. X, *de eo qui duxit*, IV, 7) ». (Gerardus Fransen, *Le dol dans la conclusion des actes juridiques*, Gembloux Edit. 1946, pag. 103). Ulterius autem concludit « Ils (les canonistes) soulignent *que le dol doit être puni et que personne ne peut profiter de son dol* ».

Eodem principio nisi, quod dolus nemini patrocinari

debet, quodque poena mulctandum est qui « sacrilegium irritationis sacramenti » scienter patravit, auctores denegatum esse a SS. Canonibus censuerunt ius reclamandi adversus matrimonium contractum *cum scientia impedimenti dirimentis* quamvis actor *causa non fuisset ipsius impedimenti.* Etenim « licet viro proclamare suam impotentiam allegando, quando illius *ignarus fuit tempore matrimonii* » (Sanchez, *De matrim.* lib. VII, disp. 114) minime autem si sciverat: « Cum enim dolus nemini patrocinari debeat, minime audietur si illam (suam impotentiam) tunc (tempore matrimonii) *norit* » (Sanchez, loc. cit.). Et hoc deducit e celebri cap. *Propositum est nobis* (Alex. III, c. 1., X, l. IV, tit. 7, *de eo qui duxit*) cum *Glossa* etc.

Disserendum esset, nisi tempus vetaret, de doctoribus et de legum particularium praescriptis ante Codicem. Doctores pauca de re habent; circa ius particulare consulatur pro omnibus *Instructio Card. Iosephi Raucher,* digesta in conventu Episcoporum Austriae a. 1856 (*Collectio Lacensis,* t. V col. 128) in § 116; 117, 120; 121 ubi praecipuus fons iuris canonici affertur cap. *Propositum,* X, 1. IX, tit. VII *de eo qui duxit,* seu classica sanctio non audiendi eum qui *scienter contraxerat matrimonium nullum.*

V - *De iure codicis et de primis responsis p. comm. interp.*

In Codice nostro edicitur matrimonium accusare posse coniuges « nisi ipsi fuerint impedimenti causa » (can. 1971 § I, 1).

Anno 1928 Pater Petrus Vidal, celeber lector textus canonici in P. Univ. Gregoriana, alteram post codicem impressionem operis P. Wernz curans, scribebat: « Si unus ex coniugibus causa fuit erroris, metus, vel non impletae conditionis ab accusatione repellitur, ne ex sua fraude commodum reportet (can. 1971, 2) ». Ergo iam ante declarationem authenticam P. Commiss. diei 12 martii 1929

inter optimos commentatores laudatus P. Vidal, nisus praesertim super Instruct. Cardinalis Raucher (cfr. supra), vocem impedimenti lato accipiebat sensu. Notum vero est quot fuerint, ipsa iuris prudentia haud exclusa qui potius in cortice verbi sistentes, inhabilitatem, utpote odiosam exclusive afficientem tenuerunt impedimentorum *proprie dictorum* reos.

Responsum Pont. Comm. *diei* 12 *maritii* 1929 ut par erat edixit canonem intelligendum esse « etiam de impedimentis improprie dictis » et hanc interpretationem, vim legis habentem (can. 17) dixerunt nonnulli valde *extensivam* iuris antea vigentis (cf. *Il Monitore Eccles.* 41, 1929, pag. 140 et seqq.; Brems, *De interpretatione authent. codicis* in Ius Pontificium, XVI, pag. 96 et seqq.).

« Interpretatio authentica, scripsit Roberti in *Apollinare* (1940), n. 1 pag. 53) extendit prohibitionem... etiam ad vitia consensus et ad defectum formae, quae iure codicis tantum improprie sensu haberi possunt impedimenta ».

Imo animadvertit clar. auctor: « nedum processus initi ad exitum perducti sunt, sed per tres menses a promulgatione potuerunt etiam novi... introduci (cfr. c. 17 § 2) » (ibid. p. 57). Item Decisio S. R. Rotae c. *Grazioli* diei 19 dec. 1930 n. 2, *obtento oraculo vivae vocis S. Pontificis* sub die 26 aprilis 1929, prout in sent. *coram Morano* diei 7 martii 1933 (*Dec. S. R. R.* vol. XXV, pag. 109).

VI - *De natura canonis* 1971

Circa naturam canonis 1971, qui omnino aperte tunc primum ad provinciam universam maleficiorum in matrimonii sacramentum extendebatur, disputatio exarsit. Tenuit Roberti ut omnibus notum est, agi de sanctione civili intuitu boni publici potius quam de vera poena, etsi ipse admitteret necessitatem *illiciti directi,* ad incurrendam sanctionem, immo *dolum civilem* (qui non minus ac poe-

nalis, scientiam effectus antiiuridici exigit) requisivit clarus Doctor, si verba eius intelligimus: « Hodie coniuges, qui *scienter et dolose* praestiterint consensum vitiatum vel deficientem formam nequeunt matrimonium accusare » (Fr. Roberti, in *Apollinare*, 1930, n. 1, pag. 53). Consequentias ex assignata natura legis considerans, ita disserebat: « Si agitur de mera iurium coarctatione (*civilis sanctio*) ignorantia non excusat (can. 16 § 3, n. 1), sin alterum « ignorantia potest excusare (can. 2229 § 3, n. 1) sicut aliae causae quae imputabilitatem minuunt (can. 2218 § 1, 2) ».

Iamvero optimus in re processuali Magister et poenalis iuris cultor, sive loquatur de ignorantia solius poenae, sive de tota lege poenali, servare quantum potuit conatus est vim legis ac roborem. Ideo pro mera iurium coarctatione stetit et adhuc in praesenti stare existimamus praesupposita fraude civili (« L'auteur du dol a surtout en vue... d'obtenir fraudoleusement un avantage personnel malgré les dispositions de la loi » (cfr. Lefebvre in *Ephemerides Iuris can.* a. III p. 509 in Commentario ad opus M. G. Fransen, *Le dol* etc. nuper citatum).

Eundem in finem opinionem interpretationemque eiusmodi (de sanctione civili) tenacius nisus est afferre post alterum gressum interpretationis authenticae vexatissimi canonis, seu diei 17 iulii 1933, edicentis habilitatem servare coniugem qui non fuerit causa *culpabilis sive impedimenti, sive nullitatis* (*Apollinaris* 1933, n. 4, pag. 441 et seqq. « dum recensetur culpa (causa culpabilis) silentio praeteritur dolus (causa dolosa) » (Roberti, ibid.), unde deduxit non agi probabiliter de vera poena. *At observandum statim*: in recentiore decisione authentica, seu anni 1942 (de qua statim), verbum « dolus » expresse profertur (« causa dolosa ») ideo nullum dubium remanere amplius posset, ne pro Exc.mo F. Roberti quidem, circa poenalem naturam can.

1 9 7 1 (cfr. Gasparri, *De matrim.* ed. 1932, n. 1260; cfr. quoque fere unanimis iurisprudentia S. R. Rotae. Ita in Sent. *coram Wynen* diei 11 augusti 1929 (vol. XX, dec. XLVI) « agitur enim de poena statuta in reos criminis »; ulterius « agitur de *poena vindicativa duplicis inhabilitatis* » (duplicis, quia in themate agebatur de imped. dirimenti criminis ob adulterium cum promissione: Unde: 1° vindicativa poena (etsi non principaliter), *nullitatis actus;* 2° vindicativa poena, *inhabilitatis ad accusandum,* quae recte dicitur contrahi etiam ab ignorantibus, ex can. 2229, § 3, n. 1, quod quidem verissimum est, dummodo *delictum,* in quod poena vindicativa secunda, inhabilitatis) sit *formale,* ut infra dicemus.

Recolatur adhuc praeter iam citatas vel citandas S. R. Rotae decisiones: In una *coram Wynen,* diei 30 ian. 1936: « Coniuges... qui prava sua actione, sive ante sive inter nuptias posita, *matrimonium* irritaverunt... ipsi quidem *in poenam* delicti commissi privati sunt iure accusandi... ». Ulterius: « Inhabilitas qua illi coniuges *in poenam delicti commissi* plectuntur, restringenda est ad ipsum actum accusationis, non autem extendi potest ad alios actus processuales, quamdiu... Commissio non dederit novam eamque iterum extensivam interpretationem »; magis determinate: « rationem *poenae vindicativae habet* ». Tandem: « coniux qui *delictum in sacrum foedus* commisit » (Dec. S. R. Rotae vol. XXVIII, p. 76 et seqq.).

Pari firmitate principium de poenali natura canonis enunciat R. P. D. Ianarik in una incidentali *Romana* diei 18 ian. 1940 (coniudicibus Alb. Canestri et Ioanne Teodori): « ...canon 1971 § 1, n. 1 qui coniugem culpabilem sive impedimenti sive nullitatis iure accusandi nullitatem matrimonii privat, *reapse et proprie* est *lex poenalis.* Contra nonnullos qui aliter censuerunt (cfr. Franc. Roberti, *De matrimonii accusatione,* Apollinaris, ann. 1933 (pag. 442), E.mus Card. Gasparri, celeberrimus Codicis auctor, *legem hanc uti poenalem redegit* et textum canonis in suo

Tractatu canonico de Matrimonio, Romae, 1932, vol. II, pag. 292, n. 1260, ita explicat etc... « Canon 1971... in vim canonis 19 strictae proinde interpretationi subest, quia poenam statuit aut liberum iurium exercitium coarctat ». Hucusque laudatum decretum quod prosequitur aptando principia iuris poenalis delicto de quo agitur duplici admisso imputabilitatis fonte (dolo et culpa, eo quod nondum lata esset decisio P. Comm. Int. anni 1942, ut statim dicemus).

Dum ex una parte plene consentimus in natura stricte poenali canonis eo quod agatur *pratice* de damnatione *ad perpetuam continentiam,* ex altera parte non potest facile admitti benignum temperamentum legis poenalis (hoc quoque rationibus politicis e contrario sensu inductum) quo *coauctores* delicti irritationis sacramenti indulgentia ut ita dicamus donantur a nostris auditoribus, quam Ius reservat cooperatoribus tantum. Etenim « co-auctores, tam si agatur de concursu necessario (§ 2 cann. 2209), quam si agatur de concursu voluntario (§ 1) *per se* « omnes eodem modo rei habenur » (§ 1) seu « *eodem modo sunt culpabiles* » (§ 2), ita ut unicuique co-auctori *totum et totaliter* imputatur delictum, *ac si unusquisque* illud commisisset solus ». Ita Michiels, *De delictis* etc. pag. 321. De concreta mensura responsabilitatis est alia quaestio quae per se communis est omnibus delictis, principium autem prout supra stat et incivile est totam culpam vel dolum communis et indivisibilis delicti unice imputare ei qui posuit (saepe faciendum *proposuit*) *factum* reddens illicitam et sacrilegam *sibi* et *comparti* confectionem sacramenti talibus in condicionibus seu circumstantiis. Clarius de cetero res patebit ex dicendis et afferendis in cap. VIII.

In hypothesi vero quod adhuc sustineri possit conceptus civilis sanctionis, latae ob delictum civile, haec sunt consideranda: « Il delitto civile... non solo comprende il delitto penale ed ogni genere di reati punibili con sanzioni penali ma si estende benanche ad altro fatto illecito commesso *dolosamente,* od omesso, contro il disposto

della legge, quantunque tal fatto non sia punibile in via penale ». Ita Ioannes Vignali, *Commentario del Codice Civile Italiano,* vol. IV, lib. III, § 396. Unde sequitur etiam in delicto civili requiri *dolum.* Absente dolo, exulat notio delicti et datur locus quasi-delicto in culpa fondato. « Il dolo in materia civile si può considerare come una particolare qualificazione dell'illecito. L'atto illecito è doloso quando l'autore lo ha compiuto con diretta e cosciente intenzione, particolari conseguenze sono previste al dolo in relazione all'illecito extra contrattuale, o riguardo all'inadempimento delle obbligazioni ». Ita Alaph. Tabrucchi, ex Universitate Ferrarien., (in voce *Dolo* (diritto civile) *Nuovo Digesto,* vol. V p. 149 et seqq.).

Aliquando legislator hunc dolum vocat culpam, « colpa »[1] quin de culpa in sensu stricto agatur, prout contraponitur dolo ut in can. 2199 C. I. C., alteri fonti imputabilitalis *delicti poenalis.* Ita in art. 1151 veteris *codicis civilis italici*: « qualunque fatto dell'uomo che arreca danno... obbliga quello *per colpa del quale* è avvenuto, a risarcire il danno ». Explicat autem cit. Vignali: « Se nell'art. 1151 si fosse scritto *dolo* in luogo di *colpa,* si sarebbe facilmente confuso dai poco avveduti il delitto civile col delitto penale, i quali sono tanto tra sè diversi quanto ecc. » (loc. cit.).

Quo sensu Pontificia Com. Int. edixerit anno 1933 (17 iulii) inhabilem esse qui fuerit causa « culpabilis » haec fuit ardua quaestio.

---

[1] Ita C. I. C. ipsam vocem « culpabilitas » d o l u m praeprimis comprehendentem (et quidem *poenalem!*) adhibet ex gr. in can. 2209 § 1: « ...delicti... rei habentur nisi adiuncta alicuius *culpabilitatem* augeant vel minuant ». Item in § 2 « In delicto... unaquaeque pars est eodem modo c u l p a b i l i s, nisi ect. ».

Ulterius, *et quidem* in ipso libro IV *de processibus,* in quodam canone poenali ubi de *delictis iudicum* (can. 1625, p. 1) in primis *culpabili negligentiae* contraponitur *dolus* (cfr. can. 2199), sed paulo post in eodem canone sub uno verbo « *sulpa* » (« pro gravitate *culpae puniri* possunt, non exclusa officii privatione ») comprehenditur et *dolus delicti.*

Hodie tamen post decisionem eiusdem P. Com. Int. a. 1942 (d. 27 iulii) concludere possumus: Sive agatur de sanctione civili, sive agatur de poena, *dolus* semper exigitur (civilis aut poenalis), qui *nunquam sine advertentia ad effectum antiuridicum* legis violatae concipitur, id est « con diretta e cosciente intenzione » obventurae mortis, vulneris, destructionis domus (uti in re nostra: *irritationis sacramenti!*). Quamvis ob rationes supra expositas existimemus in lege agi de dolo poenali, eo vel magis quod Gasparri iam a. 1933 « sapientem poenam » dixerat legem et *S. Rota fere unanimiter hoc firmaverat,* tamen insistere placet etiam in hypothesi quod agatur de sanctione civili, ita ut nullo in casu nulloque sub respectu impugnari possit argumentatio nostra.

Fere unus (si Gratiani Hermannum praeclarum S. R. Rotae advocatum excipias) qui iuris scientiam bene noscens, in vexatissimum omnium C. I. C. canonem mature scripsit, Exc.mus Roberti rectissime tenuit, iam ante decisionem P. Comm. Interp. anni 1942, imputabilitatem intelligendam esse dolosam « in ordine ad nullitatem » (*Apollinaris* 1933, n. 4 pag. 443). Et hoc quamvis, ut notavimus, civilis sanctionis figuram in lege viderit, seu videre optaverit ob rationes potius iuridico-politicas, ut sincere fatetur. Haec quidem nullitas seu irritatio sacramenti est effectus antiiuridicus seu obiectum violationis culpabilis ipsius ordinis iuridico-socialis in Ecclesia. Ad hunc ordinem tuendum restaurandumve fertur poena, aut si vis tantum « civilis sanctio pravi operis » (Roberti, *l. cit.* pag. 442). « Pravum autem opus » certissime est irritatio sacramenti, aut intenta, aut praevisa. Verba quaedam clarissimi Doctoris perplexitatem prima fronte efficiunt: « *Impedimenti et nullitatis* causa dolosa quis esse debet. Grammaticalis enim adhibita *copulativa* constructio (...sive... sive) hoc exigit » (*loc. cit.* pag. 443). Iamvero quis dicere posset: dictio « sive... sive » non est copulativa, sed distinctiva. Ergo potest concipi causa dolosa impedimenti quin

adsit dolus nullitatis. *Respondetur*: Sensus videtur esse quod culpabilitas (imputabilitas dolosa) afficit tum *impedimentum* seu exigitur pro facto constitutivo impedimenti tum *nullitatem ubi* nullitas non autem impedimentum est *effectus antiuridicus specifice genericeve volitus*, ergo copulative, id est in utroque respective requiritur dolus eiusdem effectus antiiuridici: *finem provum obtinendi seu permittendi irritationem sacramenti*.

Quidquid est seu fuit de mente Doctoris, et de hac ferrea conclusione, unum nos deducimus rectissime delictum (etiamsi civile tantum) a canone perculsum indigitatur in irritatione sacramenti, intenta aut *praevisa et ideo libere* volita, aut per impedimentum positum (quod nos cum distinctione accipimus), aut per impedimentum *existens* quin positum voluntarie sit. Hoc aperte affirmat Fr. Roberti subiungens: « Namque et metum passus et praesertim qui causam licitam et honestam posuit impedimenti possunt nihilominus esse causa dolosa nullitatis, *si matrimonium nullum, scienter celebraverint* » (ibid.). Et ulterius: « non sufficit ut quis actionem illicitam fecerit, sed necesse est ut fecerit in ordine ad matrimonium » (ibid.).

VII - *De frequenti errore circa verum obiectum huius legis*

Re quidem vera errarunt et errant non pauci male intelligentes latino-classicam dictionem « causam esse », hanc accipientes pro « causam ponere », quasi *factum efficere ex quo*. Hoc autem minime est verum. Minus classice verteretur canon: « qui impedimentum causaverint, qui nullitatem effecerint ». Acute enim animadvertit ipse Roberti, neque in canone, neque in interpretatione authentica sermonem fieri « *de facto ex quo oritur* impedimentum », aut *de facto ex quo oritur nullitas*. Ideo hodie dicemus, post decisionem a. 1942: « Inhabiles sunt qui directe et dolose causaverint impedimentum, aut qui etiam alia ratione cau-

saverint nullitatem ». Nonne rectissime hanc legem transtulerunt in codificationem orientalem Eminentissimi Patres ad hoc congregati: « *nisi ipsi* (coniuges) *fuerint impedimenti vel etiam alia ratione nullitatis matrimonii* causa *directa et dolosa* »?

Ita edicentes in novo iure renovant magistri Rolandi Alexandri Papae III praeclarum praescriptum: « qui scienter contra canones venerat » (c. *Propositum*, X, IV, 17 *de eo qui duxit*) contra sacros *canones* inquam, quos dixerat *irritantes* tale coniugium!

Non omnes tamen inde ab anno 1933 consentiendum cum praefata sententia Fr. Roberti censuerunt, tum quia vias non probabant quibus logice processualis criminalisque iurisperitus ad illam pervenerat, tum quia perterriti erant (ius dicentes praeprimis) ab invalescente numero accusationum super indirectam causalitatem, ideoque super imputabilitatem in causa, fundatarum. Cogita de iis omnibus qui gravi improbandaque levitate matrimonium scienter contraxerant cum excludente prole, cum reservante iure divertendi ubi res bene non processissent, cogita etiam de gravi culpa in apponenda condicione per se honesta sine debita indagine praemissa et similibus, in quibus excluso directo etiamsi generico nullitatis dolo, tamen de imputabilitate ex culpa vix est dubitandum. Hinc labor minime despiciendus — etsi hodierno iure supervacaneus — aptandi doctrinam de duplici imputabilitatis fonte ex can. 2199: *dolus* nempe et *culpa iuridica*, praesupposita tamen ut par est, natura poenali canonis 1971.

VIII - *De S. R. Rotae interpretatione ac mente*

Egregium opus nonnullorum S. R. Rotae Auditorum inter quos eminet Stanislaus Janasik, fel. record. et post ipsum vel una cum ipso Guillelmus Heard, Albertus Canestri, Arct. Wynen, etc. Cfr. citata decisio c. Janasik in

una *Romana* diei 18 ian. 1940; c. Heard, *Romana* diei 30 iulii 1942, etc.

Substantia doctrinae ita enunciatur: Ad coniuges puniendos privatione exercitii naturalis iuris nullitatem sui matrimonii accusandi, requiritur ut ipsis vere imputandum sit aliquod delictum hac poena perculsum.

Atqui ex can. 2199 tunc tantum imputatur delictum cum adest in delinquenti: aut 1° dolus proprie dictus (seu deliberata voluntas violandi legem; *aut* saltem 2° culpa moraliter gravis, can. 2218 § 2), culpa inquam in ignorantia violatae legis posita, vel in omissione diligentiae in vitando illicito ex quo nullitas. Ergo non tantum delinquens ex dolo proprie dicto (*voluntarium directum*), sed etiam delinquens ex culpa iuridico criminali (*voluntarium indirectum*, seu *in causa*) tenetur sanctione canonis 1971 (cfr. cit. decr. c. Janasik diei 18 ian. 1940 in *Diritto Eccles.* 1942, n. 5).

Sed gressum facientes ad cribrandos casus de imputabilitate concursus, quidam negarunt dici posse coauctores, idoeque conreos, illos qui eodem tempore non effecissent convergentiam tum (1°) *actionum*, tum (2°) *voluntatum* ad finem criminosum. Ita ipse R. P. S. Janasik cum Auditoribus de turno negarunt imputabilitatem eius qui cognoverat mulierem prolem excludere ipse autem passive tantummodo se habuerat, censentes deficere 1° concurrentiam actionis (passive se habuit), 2° concurrentiam voluntatum seu intentionum (sua ex parte vir prolem optasset).

Maxime relevans elementum et *quodammodo cardo quaestionis* in hoc est, quod Auditores praefati aperte supposuerant delictum poenali sanctione munitum, non susceptionem matrimonii nulli, id est eiusdem nullitas *libere volita seu acceptata, utcumque praevisa*, contra Dei Ecclesiaeve leges (dolo generico), *sed illicitum illud quod nullitatem matrimonii secum trahit* (ex gr. concubinatus cum matre futurae uxoris; propositum vitandae prolis; reticentia graviter culpabilis consanguinitatis, etc.). « De-

fuit in Caio et voluntas deliberata provocandi illum effectum antiiuridicum a lege poenali vetitum, scilicet exclusionem boni prolis » (dec. cit.). Supponamus: Quid autem de violatione seu frustratione sacramenti, cuius nullitas, sin per directum et verum dolum, *saltem propter iuridicam culpam* evidentissime imputanda erat in delictum (cfr. can. 2199)? Quomodo considerabatur ad effectum canonis? Rectumne est illam ponere seu intueri *tantummodo in obliquo*?

Hoc est *punctum minoris resistentiae* doctrinae eiusmodi quod minime acceptatum a multis, viam aperuit coarctationi legis.

Non defuerunt tamen qui recte obiectum legis aliquando intueri videntur paulo ante novam legem dolum proprie dicto statuentem, atque expolite de duplici imputabilitatis fonte disseruerunt. Iidem sunt qui in aliis decisionibus, primis tamen temporibus, nutantes aut minus accurate (uti fere nos omnes) de re scripserant.

Cum illis quidem praecedentis temporis interpretationibus consentiendum non videtur. Sit exemplum e celebri decreto incidentali in una *Romana* coram R. P. D. Guillelmo Heard die 19 maii 1938 lato, coniudicibus clariss. Stanislao Ianasik et Alberto Canestri), cuius docti decreti momentum fuit viam sternere meliori iurisprudentiae interpretationis et novae legis praescripto. In hac autem evolutionis phase iidem Auditores, qui meliorem iurisprudentiam (de qua statim) extructuri erant, *adhuc incerti haerebant circa verum obiectum maleficii lege perculsi,* praeterquam circa naturam canonis, minime deviantes incongrua huiusmodi imperfectae interpretationis.

Censuerunt in primis vim facere posse in verbis quibusdam *P. Comm. Int.* diei 17 iulii 1933 et *Instruct. S. C. de Sacram.* a. 1936, art. 37. « Coniux qui *fuit* causa culpabilis », « causa impedimenti honesta et licita a coniuge *apposita* », ut concluderent leges eos tantum tangere seu coërcere voluisse, qui positive actione sua factum posue-

rint ex quo nullitas (sive cognita, sive non). Improprie autem, iuxta cit. Auditores, dicerentur causam fuisse impedimenti vel nullitatis, non tantum metum aut raptum passi, sed etiam illi qui dolo reticuissent impedimentum dirimens, vel qui condicionem apposuissent. Talis coniux non esset (semper iuxta cit. decretum) « nisi causa passiva nullitatis matrimonii, nihil actione sua fecit quo matrimonium nullum evasit nec influit *actu suo in nullitatem eius* ». Ita iustificare censent opinionem Gasparri (*op. cit.*, n. 1260 de reticente impedimentum et appositionem condicionum matrimonio honeste facto alligatarum). Iam patet incongrua eiusmodi *unam radicem* habere semper in eo quod Auditores nondum considerare audebant uti obiectum delicti perculsi a lege *irritationem culpabilem* ipsius matrimonii, dum minus recte e contra sistebant in cortice verbi « causa » et quidem *causae illiciti ex quo nullitas.*

Ad vitandas autem logicas consequentias conceptus delicti et poenae cogebantur (ratione quidem politica adducti) denegare naturam verae poenae vexatissimo canoni: « porro ut coniux culpabilis dicatur non est necesse ut sciat se suo modo agendi matrimonium nullum reddere, *nam hic non agitur de poena proprie dicta,* ut ex fine Legislatoris patet » (en ratio politica Iudicum quae commodatur Legislatori, etsi finis legis non intret sub legem... Recte tamen fatentur necessitatem, ad incurrendas *poenas,* cognoscendi effectum antiuridicum) « sed sufficit — pergit decretum — ut sciat se *legem moralem* violare, quod in canone 2200 vocatur *dolus* »

Nemo est qui non videat minus rectas consequentias de quibus adhuc scribemus in cap. X consultationis nostrae. Unde conclusio Auditorum pro inhabilitate eius qui « *praesumitur* scivisse se peccatum grave contra sanctitatem matrimonii patrare » dummodo positiva sua actione factum posuerit ex quo nullitas, absolutione donatis aliis forte gravius delinquentibus...

Ad extremas consequentias principia eiusmodi haud

admissibilia duxit clarus Defensor Vinculi Iosephus Trezzi aliquot post annos in una *Romana* coram Guillelmo Heard diei 30 iulii 1942, cuius amplum studium typis impressum sub die 29 iunii 1942 (Prot. Rotae 3227-32) sat fidelis commentarius, sed et illustratio et ampliatio dici potest memorati decreti diei 19 manii 1938. Clarus Defensor Vinculi explosam dicit a Rota « privatam instructionem Archiepiscopo Mediolanensi die 30 maii 1938 a S. Congregatione de Sacramentis rescriptam, necnon privatas litteras Supremae Congregationis (Santi Officii) ad Episcopum Papien. in quadam Mediolanensi causa datas, in quibus requirebatur quod actor penitus pravas compartis intentiones ignoraverit » (Votum cit. n. 9). Logice quidem ex illis principiis etsi errore manifesto nec mirum, nam *non irritatio sacramenti* culpabiliter (hodie *dolose*) admissa, *sed illicitum illud ex quo nullitas* considerabatur! Item cognitio ipsa nullitatis, irritationis et radicalis profanatonis sacramenti nondum ponit nupturientem sub lege canonis (iuxta ipsum Def. Vinculi) quotiescumque peculiare illud factum illicitum *ex quo nullitas* non ipse peregisset, etsi sciret et forte interius gauderet... Non recte ut patet, sed logice concludit:

« Iuridice ergo non concurrit in prava alterius voluntate bonis matrimonialibus contraria, qui eam ignoret etiamque qui eam novit, attamen in ea non consentit suo voluntatis manifestatae (in foro externo causa agitatur) actu, *licet ipse aperte non obstiterit, etiamsi potuerit;* licet quoque, si obstitisset, matrimonii celebrato evanuisset, quia ipse non est vera concausa nullitatis matrimonii, quae unice pendet ab altero contrahente, eoque magis si dissentiat et nuptias impedire non audeat neque procuret. A peccato interdum non excusatur quidem sive ex caritate sive ex castitate, *praecipue si cognoscat sequuturam nullitatem,* sed *ius ei non aufert habilitatem ad accusandum,* praecise quia, deficiente reali ac vero concursu, ipse non fuit causa culpabilis nullitatis.

Inhabilitas a lege statuta est non pro coniuge, qui quomodocumque letaliter peccat in contrahendo matrimonio, sed pro coniuge, qui revera fuit causa equidem culpabilis impedimenti vel nullitatis. Haec inhabilitas, cum poenam tantum sapiat, uti perbelle tradit Em.mus Gasparri, proprie ac stricte dici nequit lex poenalis, quae ius naturale coniugi culpabili negat vel adimit, sed effectum habet, quod coniux ipse matrimonii nullitatem, directe accusare non potest, at illam denunciare valet etc. ». Hucusque Defensor Vinculi.

Disceptationem conclusit decretum praelaudatorum Auditorum (Heard, Ponentis, Ianasik et Canestri, coniudicum) qui, ut diximus, verum obiectum legis intueri videntur in tota parte iuris (exceptis forte quibusdam verbis ad modum confirmationis superadditis *in facto* minus accurate expressis « (actrix) certe nullum actum positivum posuit ex quo directe sequebatur matrimonii nullitas »). Egregie equidem scripserant in parte iuris:

« Canon 1971, cum responsionibus Comm. pro interpretatione Codicis, a iure accusandi matrimonium repellit eum qui causa culpabilis fuit impedimenti vel nullitatis; et quidem ne ex propria fraude quis sibi commodum trahat. Iamvero fraus in matrimonium habetur 1° *ex dolo* si quis scienter matrimonium nullum contrahere vult, et 2° ex actu positivo a parte posito, quem scit graviter esse peccaminosum contra sanctitatem matrimonii, sed nescit eiusdem nullitatem secumferre; utputa qui omnem prolem excludit vel, quod idem est, pravo proposito alterius adhaesit (nam sic habetur cooperatio formalis et directa), quin sciat exinde matrimonium nullum esse. Ad hoc autem ut pars sub lege cadat, necesse est ut ex ipsius actu peccaminoso nullitas matrimonii directe sequatur: agitur enim de causa culpabili et vox « causa » stricte intelligi debet, cum lex *quasi poenam* parti infligat eamque iure naturali accusandi matrimonium privet » (delictum nul-

litatis imputatur *ex culpa*) (Dec. diei 30 iulii 1942 in una *Romana* c. R. P. D. Heard, Ponete, Janasik et Canestri, Aud. de T.).

Rotales Iudices aperte et egregie distinxerunt: 1° *dolum* proprii nominis (voluntas directa et dolosa nullitatis); 2° *culpa juridico criminalis* (voluntas culposa nullitatis), retenta pro obiecto formali delicti dolosi aut culposi *ipsa nullitate* seu *sacrilega irritatione sacramenti* quae *volita* vel *praevisa* est, *aut saltem praevideri debuit*, iuxta illud « Scire et scire debere paria sunt » (Rob. Maranta, *Tractatus de ordine iudiciorum*, p. III, n. 103).

Item Exc.mus Jullien, rectius ac magis consequenter quam in supra relata coram Janasik diei 18 ian. 1940, in una *Neoeboracen.* diei 5 martii 1941 non peccatum seu graviter illicitum (exclusionem prolis ex qua nullitas seu profanatio sacramenti) sed profanationem ipsam seu *nullitatem*, confectionem sacramenti nulli, uti obiectum delicti a can. 1971 perculsi intellexisse videtur.

Ait enim: « Ergo confitetur ipse (actor) se scivisse sponsam concepisse propositum contra bonum prolis, seque in hac rerum condicione, matrimonium acceptasse. Et ipse, igitur factus est culpabilis *eiusmodi celebrationis* (bene notentur verba « matrimonium acceptasse » et « celebrationis » et « una cum coniuge causa nullitatis »).

I. PENDOLA
S. R. R. Promotor Iustitiae

(*Continuabitur*).

MONUMENTA

16 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*A.A.S.*, XXXXI [12 Mart. 1949] p. 89).

PIUS PP. XII

Crebrae allatae sunt Nobis, praesertim postremis hisce annis, tum a Legatis Nostris tum a sacrorum Antistitibus Orientalis Ecclesiae supplicationes, per quas rogabamur, ut, instantibus votis annuentes, dum codificatio legum Ecclesiae Orientalis haud multum abest, ut absolvatur, earundem legum singularia quaedam capita, magni quidem momenti, nulla interposita mora promulgaremus, ut gravibus et perniciosis rerum adiunctis, in quibus nonnullae Christi ovilis partes orientali ritu utentes versarentur, efficaci praesidio obviam iremus.

Nos igitur, attente et cogitate omnibus in Domino perpensis, motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae plenitudine potestatis statuimus ac decrevimus eos canones iam nunc publicare, qui ad sacramenti matrimonii disciplinam spectant.

Iam initio, cum ad Codicem conficiendum prima conferrentur studia, Petrus S. R. E. Presbyter Cardinalis Gasparri, Consilii Praeses Codici canonico Orientalis Ecclesiae praeparando, ob oculos habitis facilitate et frequentia necessitudinum, quas orbis terrarum populi et nationes ob nostrae aetatis expeditissimum commeatum inter se nectunt, litteris die XV mensis Septembris anno MCMXXX datis, sacros Orientalis Ecclesiae Pastores consulebat, ab iisdem petens an in expletionem optatorum multis e locis Apostolicae Sedi explicatorum expedire videretur, ut, quoad

fieri posset, ecclesiastica disciplina ad matrimonialia impedimenta et ad formam ineundi nuptialis foederis pertinens unius tenoris redderetur; idque poscebatur, quia ob memoratam eundi et remeandi facilitatem crebriores habebantur inter homines mixti ritus nuptiae necnon eo proposito, ut incertitudines de matrimoniorum validitate, eorum sanctitati nocentes, penitus auferrentur.

Consilium igitur Orientalis Ecclesiae Codici canonico conficiendo, debita attentione libratis responsis, ferme cunctis asseverantibus, eorumdem sacrorum Pastorum, postquam haec fel. mem. Summo Pontifici proximo Decessori Nostro retulit, adprobationi Nostrae hos canones proposuit, quos Nos Apostolica auctoritate Nostra comprobamus:

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Can. 4.

§ 1. Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum,* si nondum consummatione completum est, *ratum et consummatum,* si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro.

§ 2. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.

§ 3. Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum, dicitur *legitimum.*

§ 4. Matrimonium invalidum dicitur *putativum,* si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit coram Ecclesia, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

Can. 6

§ 1. Matrimonii promissio, etsi bilateralis seu sponsalitia, irrita est in utroque foro, nisi facta fuerit coram

---

* Ii tantum de Motu Proprio Canones eduntur qui aut a paribus L. III P. I. Tit. VII C. I. C. vel minime discrepant aut in Codice non refferuntur.

parocho aut loci Hierarcha aut sacerdote cui ab alterutro facta sit facultas assistendi.

§ 2. 1° Matrimonii promissioni valide assistit idem parochus vel loci Hierarcha aut sacerdos ab alterutro designatus qui ex praescripto can. 86, 87 matrimonio valide assistit;

2° Ille qui matrimonii promissioni assistit obligatione tenetur curandi ut eius celebratio in libro sponsalium adnotetur.

§ 3. At ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur.

Can. 7

Sacerdos promissioni matrimonii assistens, sponsis catholicis benedictionem in libris liturgics praescriptam impertire, si ius particulare id ferat, ne omittat.

CAPUT I

De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus

Can. 12

Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum, iure particulari id ferente.

Can. 13

§ 1. Matrimoniorum publicationes fieri debent a proprio sponsorum parocho.

§ 2. Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Hierarchae, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu indicia super status libertate colligendas praescribat.

§ 3. Si qua sit suspicio de contracto impedimento, parochus, etiamsi brevior fuerit commoratio, consulat Hierarcham, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur.

Can. 14

Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia, inter divina officia ad quae populus frequens accedat.

Can. 16

Publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Hierarcha pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo Apostolica dispensatio, salvo praescripto can. 32, praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae.

CAPUT II

De impedimentis in genere.

Can. 26

§ 1. Impedimentum *prohibens* secumfert grave vetitum contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

§ 3. Impedimentum, quamvis ex alterutra tantum parte se habeat, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

Can. 27

Publicum censetur impedimentum quod publico ex facto oritur vel quod alio modo probari in foro externo potest; secus est occultum.

Can. 31

§ 1. Impedimenta gradus minoris sunt:

1° Consanguinitas in sexto gradu lineae obliquae;

2° Affinitas de qua in can 67, § 1, n. 1, in quarto gradu lineae obliquae: et illa de qua in eodem canone § 1, nn. 2, 3, in quovis gradu;

3° Publica honestas in secundo gradu;

4° Cognatio spiritualis;

5° Tutela et cognatio legalis de quibus in can. 71;

6° Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.

§ 2. Cetera impedimenta dirimentia sunt maioris gradus.

Can. 32

§ 1. Salva ampliore facultate quae ex privilegio vel iure particulari iis competat, canonica suffragante, locorum Hierarchae, non autem Syncellus sine mandato speciali, dispensare possunt proprios subditos ab impedimentis prohibentibus, exceptis impedimentis provenientibus ex mixta religione vel ex voto in professione minore seu simplici emisso in religione iuris pontificii vel patriarchalis, et a dirimentibus quae sequuntur:

1° Ab impedimento consanguinitatis in quinto et sexto gradu lineae obliquae;

2° Ab impedimento affinitatis de quo in can. 67, § 1, n. 1, in quarto gradu lineae obliquae et ab impedimentis de quibus in eodem canone § 1, nn. 2, 3, in quovis gradu;

3° Ab impedimento honestatis publicae in secundo gradu;

4° Ab impedimento cognationis spiritualis;

5° Ab impedimento cognationis legalis et tutelae;

6° Extra patriarchatus, ab impedimento aetatis, non autem ultra biennium completum.

§ 2. Patriarcha, salva ampliore facultate quae ex privilegio vel iure particulari ei competat, praeter facultatem de qua in § 1, dispensare potest:

1° Ab impedimento aetatis, non tamen ultra biennium completum;

2° Ab impedimento criminis de quo in can. 65, n. 1;

3° A quarto gradu consanguinitatis in linea obliqua;

4° Ab affinitatis impedimento de quo in can. 67, § 1, n. 1, in secundo et ulteriori gradu lineae obliquae;

5° A forma celebrationis matrimonii in casu de quo in can. 90, § 1, n. 2, gravissima tamen ex causa.

§ 3. Patriarcha potestatem quae ei tribuitur vel agnoscitur in §§ 1, 2, exercere potest in proprios subditos ubique, et in omnes sui ritus fideles in patriarchatu actu degentes, etsi domicilium vel quasi-domicilium in aliqua eparchia patriarchatus non habeant.

§ 4. Ceterorum impedimentorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur.

§ 5. Si contrahentes ad diversas eiusdem ritus eparchias pertineant vel ad diversos ritus, dispensatio petatur ab Hierarcha viri, et si vir sit acatholicus, ab Hierarcha mulieris.

§ 6. Delegato ad universitatem causarum non competit facultas subdelegandi, nisi expresse ei ed singulos actus concedatur.

Can. 33

Urgente mortis periculo, locorum Hierarchae, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum a forma in matrimonii celebratione servanda, tum ab omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate de qua in can. 68, § 1, in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio conce-

datur ab impedimento disparitatis cultus aux mixtae religionis, praestitis consuetis cautionibus.

Can. 34

§ 1. In iisdem rerum adiunctis de quibus in can. 33 et solum in casibus in quibus ne loci quidem Hierarcha adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum vicarius cooperator, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can. 89, n. 2, assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum.

§ 2. In casu de quo in § 1, loci Hierarcha censetur adiri non posse, si tantum per telegraphum vel telephonum ad eum possit recurri.

Can. 35

§ 1. Possunt Hierarchae locorum, sub clausulis in fine can. 33 statutis, dispensationem concedere ab omnibus impedimentis de quibus in can. 33, quoties impedimentum detegatur vel, quamvis antea cognitum, tunc solum ad notitiam Hierarchae aut parochi deferatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sede Apostolica vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, a Patriarcha dispensatio obtineatur.

§ 2. Haec facultas valet etiam ad convalidationem matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sedem Apostolicam vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, ad Patriarcham.

§ 3. In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudent omnes de quibus in can. 34, § 1, sub eiusdem canonis clausulis, sed solum si casus natura sua vel tantum facto sit occultus et ne loci quidem Hierarcha adiri ad normam can. 34 possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.

§ 4. Facultate de qua in § 1 non aufertur Hierarchis potestas dispensandi a forma in matrimonii celebratione

servanda, et ab impedimentis iuris ecclesiastici in quibus Sedes Apostolica solet dispensare, quoties difficilis sit recursus ad Sedem Apostolicam itemque ad Legatum Romani Pontificis necessaria facultate praeditum, et simul in mora sit periculum gravis damni.

Can. 37

Nisi aliud ferat rescriptum S. Poenitentiariae aut, intra limites cuiusque competentiae, Patriarchae vel loci Hierarchae, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa ab impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto curiae archivo asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali.

Can. 38

§ 1. Si petitio dispensationis ad Sedem Apostolicam missa sit, Hierarchae locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur, nisi ex gravi urgentique causa, quo in casu statim Apostolicam Sedem de re moneant.

§ 2. Idem servetur ab Hierarchis locorum Patriarchae subiectis, si dispensationis petitio missa sit ad Patriarcham.

Can. 40

Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis a quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum a quo dispensare nequeat, pro omnibus adiri debet Superior qui ab omnibus dispensare possit; si tamen impedimentum seu impedimenta a quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam ab eo Superiore dispensationem, suis facultatibus uti poterit.

Can. 43

Data a Sede Apostolica dispensatio a matrimonio rato et non consummato vel facta, etiam ab iis qui potestatem habent infra Sedem Apostolicam, licentia transitus ad alias

nuptias ob praesumpta coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento de quo in can. 65, n. 1, si qua opus sit.

Can. 45

Dispensationes a publicis impedimentis Hierarchae oratorum commissas exsequatur Hierarcha qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, vel ad Patriarcham, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius eparchiae domicilio aut quasi-domicilio in aliam eparchiam discesserint non amplius reversuri, monito tamen Hierarcha loci in quo matrimonium contrahere cupiunt.

Can. 46

Excepta modica aliqua praestatione ratione expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Hierarchae eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi ad id faciendum expressam obtinuerint Sedis Apostolicae licentiam aut id sit in probatis Synodis constitutum vel recognitum; et si illegitime exegerint, obligatione restituendi tenentur.

Can. 47

Qui ex potestate delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam mentionem indulti Superioris delegantis faciant.

CAPUT III

De impedimentis prohibentibus

Can. 48

§ 1. Matrimonium prohibet:

1° Votum publicum castitatis perfectae in professione simplici seu minore emissum;

2° Votum privatum virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, amplectendi statum religiosum, et, in ritibus in quibus clerici a recepto subdiaconatus ordine obligatione servandi sacrum caelibatum tenentur, suscipiendi subdiaconatum vel ordinem maiorem.

§ 2. Nullum votum, uno sollemni seu quod in professione maiore emittitur excepto, dirimit matrimonium, nisi id speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statutum fuerit.

Can. 49

In iis regionibus ubi lege civili tutela, vel legalis cognatio ex adoptione orta, nuptias prohibet, iure canonico matrimonium illicitum est.

CAPUT IV

De impedimentis dirimentibus

Can. 60

§ 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 3, pro validitate matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

Can. 62

§ 1. Invalide matrimonium attentant clerici maiore ordine aucti.

§ 2. Subdiaconatui, aeque ac maioribus ordinibus, vis dirimendi matrimonium tribuitur.

Can. 63

Invalide matrimonium attentant religiosi professione solemni seu maiore adstricti, itemque qui votum castitatis

extra professionem maiorem emiserunt, cui tamen, ex speciali Sedis Apostolicae praescripto, vis addita sit nuptias dirimendi.

Can. 65

Valide contrahere nequeunt matrimonium:

1° Qui, perdurante eodem valido matrimonio, adulterium inter se consummarunt, et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;

2° Qui, perdurante pariter eodem valido matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugem occidit;

3° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.

Can. 66

§ 1. In linea recta consaguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea obliqua irritum est usque ad sextum gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.

§ 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in secundo gradu lineae obliquae.

§ 1. 1° Consanguinitas computatur per lineas et gradus;

2° In linea recta, tot sunt gradus quot personae, stipite dempto;

3° In lineo obliqua, tot sunt gradus quot personae in utroque tractu, stipite dempto.

Can. 67

§ 1. 1° Affinitas de qua in can. 68, § 1, dirimit matrimonium in linea recta, in quolibet gradu; in linea obliqua, usque ad quartum gradum inclusive;

2° Affinitas de qua in can. 68, § 2, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive;

3° Affinitas de qua can. 68, § 3, dirimit matrimonium in primo gradu.

§ 2. Affinitatis de qua in can. 68, § 1, n. 1, impedimentum multiplicatur:

1° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit;

2° Secundo vel ulteriore matrimonio inito cum consanguineo coniugis defuncti.

Can. 68

§ 1. 1° Affinitas ex digeneia oritur ex matrimonio valido etsi non consummato;

2° Viget inter alterutrum coniugem et alterius consanguineos;

3° Qua quis linea et quo gradu, alterutrius coniugis est consanguineus, alterius est affinis.

§ 2. 1° Iure particulari, affinitas ex digeneia de qua in § 1, n. 1, oritur etiam inter consanguineos viri et consanguineos mulieris;

2° Ita computatur ut tot sint gradus quot fert summa graduum consanguinitatis quibus uterque affinium distat a coniugibus ex quorum matrimonio affinitas oritur.

§ 3. 1° Iure particulari, affinitas praeterea oritur ex trigeneia seu ex duobus matrimoniis validis, etiam non consummatis, si duae personae matrimonium contrahant: *a*) cum una eademque tertia persona, soluto matrimonio, unam post alteram, aut *b*) cum duabus personis inter se consanguineis;

2° Affinitatem ex trigeneia contrahunt alteruter coniux cum iis qui sunt, ex alio matrimonio, alterius coniugis affines ex digeneia;

3° Haec affinitas, inter alterutrum coniugem et alterius affines, ita computatur ut qui sunt ex alio matrimo-

nio affines viri ex digeneia, in eodem gradu sint uxoris affines ex trigeneia, et vice versa;

4° Quoties haec affinitas viget inter consanguineos quoque unius et affines alterius coniugis, ita computatur ut tot sint gradus quot fert summa graduum cum consanguinitatis tum affinitatis ex digeneia quibus uterque affinium distat a coniugibus ex quorum matrimonio affinitas oritur.

Can. 70

§ 1. Ea spiritualis cognatio matrimonium dirimit de qua in § 2.

§ 2. 1° Ex baptismo spiritualem cognationem contrahit patrinus cum baptizato eiusque parentibus;

2° Si iteretur baptismus sub condicione, cognationem spiritualem patrinus non contrahit, nisi iterum idem adhibitus sit.

Can. 71

Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob tutelam vel ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere.

CAPUT V

De consensu matrimoniali

Can. 74

§ 1. Error in persona invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium dirimit tantum:

1° Si error qualitatis redundet in errorem in persona;

2° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.

Can. 78

§ 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem extrinsecus et iniuste incussum ad extorquendum consensum.

§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert.

Can. 80

§ 1. Matrimonium contrahi nequit per procuratorem, nisi Hierarcha loci in casu singulari hanc facultatem scripto dederit.

§ 2. Hierarcha loci hanc facultatem dare potest tantum in casu necessitatis, id est si contrahentes, ob gravem causam, sacerdoti se una simul sistere nequeunt.

Can. 82

§ 1. Ut matrimonium per procuratorem valide celebretur, servandae sunt normae can. 85 et 86.

§ 2. Coniuges, cum simul fuerint, benedictionem de qua in can. 91 a secerdote ad normam horum canonum designato recipere ne negligant.

Can. 83

Matrimonium sub condicione contrahi nequit.

CAPUT VI

De forma celebrationis matrimonii

Can. 85

§ 1. Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur ritu sacro, coram parocho, vel loci Hierarcha, vel sacerdote cui ab alterutro facta sit facultas matrimonio assistendi et duobus saltem testibus, secundum tamen praescripta canonum qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 89, 90.

§ 2. Sacer censetur ritus, ad effectum de quo in § 1, ipso interventu sacerdotis adsistentis ac benedicentis.

Can. 86

§ 1. Parochus et loci Hierarcha valide matrimonio assistunt:

1° A die tantummodo initae legitime administrationis beneficii, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati;

2° Intra fines dumtaxat sui territorii sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi, modo sint sui ritus;

3° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

§ 2. Matrimonio fidelium diversi ritus valide assistit Hierarcha loci et parochus qui ad normam § 3, nn. 2-4 est eorum proprius Hierarcha vel parochus.

§ 3. 1° Nisi aliud statuatur, sive per domicilium sive per quasidomicilium suum quisquis parochum et Hierarcham proprii ritus sortitur;

2° Deficiente parocho pro fidelibus alicuius ritus, horum Hierarcha designet alius ritus parochum, qui eorundem curam suscipiat, postquam idem Hierarcha habuerit consensum Hierarchae parochi designandi;

3° Extra territorium proprii ritus, deficiente huius ritus Hierarcha, habendus est tamquam proprius, Hierarcha loci. Quodsi plues sint, ille habendus est tamquam proprius, quem designaverit Sedes Apostolica vel, obtento eiusdem consensu, Patriarcha, si iure particulari cura fidelium sui ritus extra patriarchatus commorantium ei commissa est.

4° Proprius vagi parochus vel Hierarcha est sui ritus parochus vel Hierarcha loci ubi vagus actu commoratur; deficiente parocho vel Hierarcha sui ritus, serventur normae in nn. 2, 3 statutae;

5° Illorum quoque qui non habent nisi eparchiale do-

micilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.

Can. 87

§ 1. 1° Parochus et loci Hierarcha, qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti facultatem dare ut intra fines sui territorii determinato matrimonio assistat, dummodo id expresse faciant, et sacerdos sit determinatus; possunt quoque eidem sacerdoti concedere facultatem subdelegandi alium determinatum sacerdotem, qui illi matrimonio assistat;

2° Vicario cooperatori concedi potest a parocho vel a loci Hierarcha etiam facultas generalis assistendi matrimoniis; qua obtenta, ipse facultate subdelegandi gaudet, ut in n. 1;

3° Facultas concessa contra praescriptum nn. 1, 2 irrita est.

§ 2. Facultas de qua in § 1, n. 1, ne concedatur, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

§ 3. Locorum Hierarchae administrationem fidelium diversi ritus ad normam iuris gerentes dare possunt cuiusvis orientalis ritus rectoribus ecclesiarum vel aliis sacerdotibus, curam fidelium, parocho proprii ritus orborum, habentibus, generalem facultatem assistendi matrimoniis fidelium ritus orientalis, etsi a ritu rectoris vel presbyteri diversi.

Can. 88

§ 1. Parochus autem vel loci Hierarcha matrimonio licite assistunt:

1° Postquam sibi legitime constiterit de libero statu contrahentium ad normam iuris;

2° Postquam, insuper, sibi constiterit de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

3° Habita, si condiciones deficiant de quibus in n. 2, licentia parochi vel Hierarchae domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.

§ 2. Parochus, si ita ferat ius particulare, ut matrimonio licite assistat, indiget insuper licentia Hierarchae loci.

§ 3. Matrimonium coram sponsi parocho celebretur, nisi vel legitima consuetudo aliud ferat vel iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda, nisi vir, domicilium vel quasi-domicilium habens in regione orientali, consentiat ut matrimonium ritu sponsae et coram huius parocho celebretur.

§ 4. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittendi obligatione tenetur.

Can. 89

Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Hierarcha vel sacerdos cui facultas assistendi matrimonio facta sit ad normam canonum 86, 87:

1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eum rerum statum esse per mensem duraturum;

2° In utroque casu, si praesto sit quivis alius catholicus sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

Can. 90

§ 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur:

1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi

ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt;

2° Iidem, de quibus in n. 1, si cum acatholicis, sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, matrimonium contrahant.

§ 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici baptizati, si inter se vel cum acatholicis non baptizatis contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam.

Can. 91

Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus et caeremoniae in libris liturgicis ab Ecclesia probatis praescriptae aut legitimis consuetudinibus receptae.

Can. 92

§ 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, dispensationem, si dispensatio locum habuit, eiusque auctorem una cum impedimento eiusque gradu, atque alia secundum modum in libris liturgicis et a proprio Hierarcha praescriptum; idque licet alius sacerdos facultate vel a se vel ab Hierarcha obtenta matrimonio adstiterit.

§ 2. Praeterea, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, parochus notitiam initi matrimonii ad parochum, apud quem coniugis baptismus ad normam canonum adnotandus est, per se vel per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam can. 89 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus tum testes tum contrahentes curare debent ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

CAPUT VIII

De tempore et loco celebrationis matrimonii

Can. 97

§ 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest, firmo praescripto § 2.

§ 2. Tempore sacro ante Nativitatem Domini et Magnae Quadragesimae, necnon aliis temporibus iure particulari statutis, vetatur ipsa nuptiarum celebratio vel tantum sollemnitas in ea, ad normam iuris particularis.

§ 3. Hierarchae tamen locorum possunt, ex iusta causa, vetito tempore permittere sive ipsam nuptiarum celebrationem sive sollemnem earundem benedictionem, monitis sponsis ut a pompae apparatu abstineant.

Can. 98

§ 1. Matrimonium celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico celebrari non poterit, nisi cum licentia Hierarchae loci vel parochi.

§ 2. Hierarchae locorum iusta tantum ac rationabili de causa permittere possunt matrimonii celebrationem in aedibus privatis, non autem in ecclesiis vel oratoriis sive seminarii sive religiosarum, nisi urgente necessitate, et opportunis adhibitis cautelis.

CAPUT IX

De matrimonii effectibus

Can. 103

Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo.

Can. 104

§ 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post centum octoginta dies a die celebrati matrimonii, vel intra tercentos dies a die dissolutae vitae coniugalis.

CAPUT X

De separatione coniugum

Articulus I

De dissolutione vinculi

Can. 108

Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per maiorem seu sollemnem professionem religiosam, tum per dispensatione a Romano Pontifice ex iuxta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

Articulus II

De separatione tori, mensae et habitationis

Can. 120

§ 1. 1° Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt alteri coniugi totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Hierarchae loci, et etiam propria auctoritate, si de iis certo constet et periculum sit in mora.

2° In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Hierarcha pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Hierarchae vel exacto tempore.

§ 2. Etiam coniux ab altero malitiose desertus obtinere potest decretum separationis ab Hierarcha loci ad certum incertumve tempus ad normam § 1, n. 2.

CAPUT XI

De matrimonii convalidatione

Articulus II

De sanatione in radice

Can. 128

§ 1. Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu natura sua sufficiente, sed, ad ius quod attinet, inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret.

§ 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti.

Can. 130

§ 1. Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede, firmo praescripto § 2.

§ 2. Patriarcha potitur facultate concedendi sanationem in radice si validitati matrimonii obstat tantum defectus formae celebrationis vel impedimentum a quo ipse dispensare potest.

Nos autem per Apostolicas has Litteras motu proprio datas supra recensitos canones promulgamus eisdemque vim legis christifidelibus Ecclesiae Orientalis tribuimus, ubique terrarum hi sunt et tametsi Praelato diversi ritus sunt subiecti. Simulac per Apostolicas has Litteras huiusmodi canones vigere coeperint, sua destituentur vi quodlibet statutum, sive generale sive particulare vel speciale, etiam latum a Synodis speciali forma adprobatis, quaelibet praescriptio et consuetudo adhuc vigens, sive generalis, sive particularis ita ut disciplina sacramenti matrimonii unice iisdem canonibus regatur, neque amplius ius particulare iis contrarium vigorem habeat nisi quando et quantum in iis admittatur.

Ut autem huius Nostrae voluntatis notitia tempestive ad omnes, quorum res interest, perveniat, volumus et constituimus, ut Apostolicae hae Litterae motu proprio date a die secundo mensis Maii an. MCMXXXXIX, festo S. Athaenasii, Pontificis et Doctoris, exsecutionem suscipere incipiant, quibuslibet contrariis non obstantibus, etiam peculiarissima mentione dignis.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII mensis Februarii, in festo Cathedrae S. Petri in Antiochia, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

EXCERPTA

De Impedimentis Matrimonialibus[1]

Die 19 Februarii 1949

EXC.ME AC REV.ME DOMINE,

Rev.mus D. Leopoldus Brellinger, Episcopus de Kinghsien, mense iulio 1948, haec dubia ad Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii referebat:

---

1 China Missionary (4 April 1949 [p. 417]).

1. an fideles in terra Sinarum a Comunistis occupata, impedimentis ab Ecclesia statutis, imprimis aetatis et cultus disparitatis, teneantur, si debitam dispensationem vel omnino non, vel non nisi cum gravissimo incommodo petere, neque a matrimonio contrahendo abstinere vel illud differre possint;

2. an teneantur impedimento disparitatis cultus in casu in quo requisitae cautiones ob ignorantiam, oblivionem, aliamve causam inculpabilem non dantur, aut a parte non catholica recusantur.

Suprema Sacra Congregatio die 27 ianuarii 1949 sic dignata est respondere: Rerum adiunctis attente consideratis, Suprema haec Sacra Congregatio, in plenario conventu Feria IV die 26, huius mensis habito, praefatis dubiis respondendum censuit:

1. In expositis circumstantiis, matrimonia sine forma canonica et cum quovis impedimento iuris ecclesiastci a quo Ecclesia dispensare solet habenda esse uti valida.

2. Matrimonii quibus obstat impedimentum disparitatis cultus applicanda esse ea quae a S. Officio statuta fuerunt quoad cautiones aequipollentes (cfr. Sylloge S. C. de Propaganda Fide a. 1939 pag. 561-566).

Quam decisionem Sanctissimus in Audientia diei 27, currentis mensis benigne adprobare dignatus est.

De his omnibus edoceantur fideles ut possint validitati matrimoniorum providere et a conscientiae angoribus liberari. Si autem quoad aliquod matrimonium sic initum exurgant in posterum specialia dubia ob peculiaria casus singularis adiuncta, Ordinarius poterit rem ad hanc Supremam Congregationem defferre.

Han responsionem Rev.mus P. D. Franciscus Hürth, Consultor Congregationis S. Officii, de mandato Em.mi Card. Secretarii necnon Exc.mi Assessoris eiusdem Supremae S. Congregationis, his verbis explanavit:

I. Verba « in expositis circumstantiis » significant

« his circumstantiis perdurantibus » seu « perdurante hac circumstantiarum conditione ».

II. « Cautiones aequipollentes » secundum aliquod S. Officii Responsum, datum pro Iaponia, habentur, quando pars catholica sincere manifestat firmum propositum faciendi ex sua parte quod facere potest, ut universa proles in fide catholica baptizetur et educetur. Quodsi pars acatholica recusat, idem propositum concipere et manifestare, « cautiones aequipollentes » secundum allegatum Responsum eo non destruuntur.

III. Liberantur fideles non solum ab impedimentis aetatis et disparitatis cultus, sed ab omnibus iuris ecclesiastici impedimentis necnon ab omni (tum ordinaria tum extraordinaria) forma canonica. At impedimentum sacri ordinis presbyteratus necnon impedimentum affinitatis in linea recta, consummato matrimonio, non suspenduntur, sed etiam in expositis circumstantiis in pleno vigore manent.

Eadem Suprema Congregatio me rogat haec omnia Ordinariis Sinensibus nuntiare, ipsisque auctoritatem facere his facultatibus frui in eisdem rerum adiunctis.

Quae dum, praesentibus litteris, executioni mando, impensos aestimationis meae sensus Tibi offero meque profiteor.

Excellentiae Tuae addictissimum

ANT. RIBERI
Internuntium Apostolicum

Adnotationes

1. Decretum S. Officii respicit condiciones omnino extraordinarias determinati territorii in quo, vi occupationis et gubernationis Communistarum, fidelium secundum leges ecclesiasticas directio per Ordinarios et Misionarios evasit practice impossibilis. Haec impossibilitas maxime

sentiebatur in matrimoniis ineundis, servatis Ecclesiae praeceptis de impedimentis et de forma.

Non desunt quidem theologi, optimae etiam notae, qui censeant: leges mere ecclesiasticas cessare vim exerere, si quando in integro quodam territorio (id est non tantummodo in uno et altero casu particulari) gubernatio Ecclesiae iuxta ipsius leges fieri nequit, cum Ordinarii et Missionarii e territorio sint expulsi vel in territorio commorantes sint incarcerati, vel alio modo ab exercitio muneris totaliter impediti. Censent hi theologi: in huiusmodi condicionibus cessare aliquod essentiale praerequisitum; leges enim Ecclesiae dari, ut normae sint, secundum quas fideles per Superiores ecclesiasticos regantur et propriam vitam componant; ideo Ecclesiam nolle urgere suas leges, si et quamdiu dictus finis obtineri non iam queat.

Excellentissimus Orator, Ordinarius Kinghsiensis, in libello supplici ad hanc quorundam sententiam non provocavit; neque ex Responso erui potest, S. Officium hanc sententiam fecisse suam; eam potius silentio transit et, missa facta hac quaestione de principio, ponit normas practicas secundam quas in vita tuto procedi possit.

Ex dictis deduci debet: 1) normas datas non valere nisi pro territorio pro quo datae sunt, et pro hoc territorio solum tandiu, quamdiu circumstantiae, propter quas Responsum fuerit datum, perdurent. In casu *dubii*, ut evitentur graves incertitudines et conscientiarum anxietates, standum est pro valore et applicabilitate Decreti; 2) si in alio territorio extra Sinam eaedem condiciones habenur. Decretum ad hoc territorium vi considerationis theoreticae supra allegatorum theologorum) transferri et applicari non posse; 3) neque hanc de principiis considerationem adhiberi posse tamquam normam interpretationis *Decreti*, quasi esset eius fundamentum, quo innitatur et ex quo eius sensus et ambitus erui queat.

2. Vi Decreti fidelibus in Sina, quamdiu nominatae extraordinariae condiciones perduraverint, conceditur li-

bertas ab omni forma canonica (ordinaria et extraordinaria), insuper a quovis impedimento iuris mere ecclesiastici, a quo Ecclesia dispensare solet. Non autem solet dispensare ab impedimento sacri ordinis presbiteratus et ab impedimento affinitatis in linea recta, consummato matrimonio; quae limitatio patet ex limite amplissimae dispensandi facultati, concessae pro urgente mortis periculo (de qua in can. 1043), his verbis posito: « exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio ».

Accurate perpendenda sunt verba, quibus utitur

DECRETUM: « matrimonia celebrata sine forma et cum quovis impedimento iuris ecclesiastici... *habenda esse uti valida* ». Non dicitur: « *sunt* valida ». Ponitur *norma practica quoad effectus iuridicos et morales*, secundum quam in vita tuto procedatur. Certum est: matrimonia cum huiusmodi impedimento vel sine forma inita, non ideo habenda esse *invalida;* tunc Decretum sibi ipsi contradiceret. - At, non est exclusa omnis probatio contraria, vi cuius in casu particulari ostendatur: fuisse condiciones in quibus ad datum DECRETUM non potuerit provocari, cum mens Eclessiae non fuerit huiusmodi casum DECRETO comprehendere. Verba DECRETI ita ese intellegenda, sufficienter apparet ex ultima eius propositione: « Si autem quoad aliquod matrimonium sic initum exsurgant in posterum specialia dubia ob peculiaria casus singularis adjuncta, Ordinarius poterit rem ad hanc Supremam deferre».

3. Specialiter in Decreto mentio fit « cautionum », quae in matrimonii quibus obstat impedimentum disparitatis cultus praestari debent. De his Orator in libello supplici quaesivit: « An fideles teneantur impedimento disparitatis cultus in casu in quo requisitae cautiones ob ignorantiam, oblivionem, aliamve causam inculpabilem non dantur, aut a parte non catholica recusantur »? DECRETUM quoad cautiones remittit ad pristinum aliquod Responsum,

datum 30 martii 1938 ad Delegatum Apostolicum in Japonia.

Tunc temporis propositum fuit hoc DUBIUM: « Utrum Ordinarii Japoniae, attentis condicionibus particularibus illius regionis, in concedenda dispensatione super impedimentis mixtae religionis aut disparis cultus contenti esse possint *cautionibus aequipollentibus*, si cautiones formales haberi non possint »? S. Officium die 30 Martii 1938 respondit: « *AFFIRMATIVE*, graviter onerata conscientia Ordinariorum localium, et dummodo pars catholica parata sit praestare quod potest ut proles catholice baptizetur et educetur ». Quo Responso in nulla relaxatur obligatio iuris naturalis et divini positivi, quo parentes tenentur educare universam prolem in fide catholica. In adiectis illi Decreto NOTIS (cf. Sylloge, l. c. pg. 563 sqq.) explicite mentio fit casuum, in quibus pravidetur: non obstantibus cautionibus sincere dati, educationem prolis nasciturae in fide catholica non solum non esse moraliter certam, sed *certam esse educationem non-catholicam*, cum non ab ipsis parentibus, sed ab aliis futura in religione educatio dependeat. De huiusmodi casibus in allegatis NOTIS haec habentur: « Si ipsi (id est « parentes ») nullo modo sunt causa (nec positiva nec negativa, neque mediata neque immediata) cur... catholica educatio dubia vel impossibilis evadat; si insuper illis non est optio alterius connubii, in quo non sit eadem incertitudo vel impossibilitas, ita ut, si hoc damnum prolis evitare vellent, omnino inupti manere deberent (haud raro cum notabili salutis aeternae periculo): hisce in circumstantiis coniuges vel sponsi a dicto matrimonio arcendi non sunt, neque deneganda sunt iis sacramenta neque necessariae ab impedimentis matrimonialibus dispensationes. Dei enim lex, qua parentes ad catholicam omnis prolis educationem obligantur, non ad impossiblia illos ligare intendit ... Naturale scilicet (est) hominis ius ad matrimonium et ad matrimonii naturalem usum. Quo iure et

usu, nisi intercesserit grave delictum aut intervenerit hominis libera omnino renuntiatio, nemo, qui ceteroquin matrimonii est capax, privari debet. Est matrimonii celebratio et usus in tali casu actio cum duplici effectu, bono scilicet et malo, qui ita inter se uniuntur, ut bonus sine malo obtineri non valeat. Nam in circumstantiis de quibus agitur propter gentis mores et consuetudines defectus baptismatis et catholicae educationis separari non potest ab usu iuris ad statum matrimonialem - (et non solum: ad hoc determinatum matrimonium) - ineundum, qui est effectus bonus, unice intentus » (l. c. pg. 565-566).

Cum recens Decretum d. d. 26 Januarii 1949 explicite remittat ad allegatum Responsum d. d. 30 Martii 1938, facile quis illationem fecerit: novum quoque Decretum effectum habere, non tantum, si pars acatholica formales cautiones non praestiterit, sed etiam si defuerit moralis certitudo cautiones aequipollentes non habituras esse effectum; immo, si moraliter certum sit, contrarium esse eventurum. Talis illatio quoad ad novum Responsum est explicite exclusa. Nam die 21 Febr. 1949 de mandato Exc.mi Assessoris S. Officii transmissum fuit sequens de cautionibus SUPPLEMENTUM: « *Cautiones aequipollentes* tunc tantum sufficientes habendae sunt ad matrimonium cum parte pagana aut cum parte baptizata acatholica ineundum, si, considerati singulorum casuum condicionibus, moraliter certo constat: manifestatam sinceram partis catholicae voluntatem de universa prole catholice baptizanda et educanda, etiam *effectum habituram* esse ». - (NB. Ex quo SUPPLEMENTO confirmatur quod supra dictum esse scl. recens Decretum non esse applicationem illius quorundam theologorem opinionem de cessatione legum mere ecclesiasticarum in territorio, in quo gubernatio secundum leges ecclesiasticas propter absentiam vel plenam Ordinariorum et Missionariorum evasit impossibilis. Tota enim lex de cautionibus, in quantum excedit naturalem parentum obligationem educandi prolem in ve-

ra religione, est lex ecclesiastica; et nihilominus in Decreto pro Sina urgetur).

Iuvat etiam in memoriam revocare (etsi nulla de hac re mentio in novo Decreto fit), quod S. Officium de cautionibus non nisi *implicite* praestitis responderit. Quaesitum fuit: num ad validum usum facultatis dispensandi ab impedmento disparitatis cultus requiratur formalis et explicita cautionum praestatio. S. Officium die 7 Maii 1941 respondit: « Etsi S. Sedes e praxi immemoriali exegerit, et nunc stricte exigat, ut conditionibus adimplendis in quibuslibet matrimoniis mixtis cautum sit per *formalem* promissionem ab utraque parte *explicite* requisitam et praestitam (can. 1061, 1071), tamen usus facultatis dispensandi, sive ordinariae sive delegatae, invalidus dici nequit si utraque pars *saltem implicite cautiones praestiterit*, i. e., eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi » (AAS XXXIII (1941) 294-295). Haec *implicita* praestatio sufficiens dicenda videtur etiam quoad cautiones aequipollentes; et in hoc Decreto anni 1941 habetur ex parte responsio ad quaestionem Excellentissimi Oratoris, quid valeat « in casu, in quo requisitae cautiones ob ignorantiam, oblivionem, aliamve causam inculpabilem non dantur »; sufficit, si dicto modo datae fuerint *saltem implicite*.

4. Quod attinet ad quaestionem, a quo die vim exserat novum Decretum, et an retrotrahi possit, respondendum est: in quantum agitur de positiva aliqua auctoritatis ecclesiasticae *dispositione*, et non solum de authentica normae iam antea ex lege naturae vel ex saltem tacito Ecclesiae consensu vigentis, non valet ante diem, quo haec dispositio positiva ab auctoritate competente fuerit facta. Quomodo vero S. Officium novum Decretum velit considerari utrum ut mera applicatio sententiae iam antea valentis, an ut nova et positiva ab ipso facta dispositio: ex supra dictis sufficienter elucet. FRANCISCUS HÜRTH S. I.

DELEGATIO POTESTATIS ASSISTENDI MATRIMONIIS

Tristis experientia docet matrimonia contracta ut aiunt in facie Ecclesiae non tam raro esse invalida ex defectu formae, propter neglectas normas, quae regunt delegationem huius potestatis. Perutile nobis videtur occasione alicuius casus practici nobis propositi doctrinam accuratius elaboratam lectoribus offerre.

I. *Facti species*: Titius, parochus paroeciae S. Clarae, post adeptam possessionem sui officii, viva voce, praesentibus tribus i. e. omnibus vicariis paroecialibus, declarat: « ego delego pro toto tempore mei officii omnes meos vicarios paroeciales facultatem assistendi omnibus matrimoniis in paroecia mea contrahendis, ad normam c. 1096, § 1, qui pro vicariis paroecialibus delegationem generalem admittit ». De hac delegatione peracta conficit documentum scriptum iisdem verbis redactum et subscriptum, illudque in archivo paroeciali deponit. Post duos annos ab inito officiii unus istorum vicariorum amovetur ab officio et in eius loco constituitur Ambrosius. Ipse post aliquos dies loquens cum duobus vicariis superstitibus audit ab eis parochum hanc statuisse normam. In nostra paroecia, aiunt, nos omnes vicarii cooperatores habemus facultatem assistendi matrimoniis; parochus in initio sui officii hoc declaravit, delegando omnes vicarios paroeciae addictos. Post aliquos dies, cum parochus absit a paroecia spiritualium exercitiorum peragendorum causa, Ambrosium adit Bernardus sacerdos, qui petit ut possit post tres dies in ecclesia S. Dominici, sita in paroecia S. Clarae, matrimonio assistere Marii et Catharinae sororis suae. Omnia quae fieri debent ad normam c. 1019-1034 peracta sunt a

parocho sponsae et Bernardus obtinuit eius licentiam de qua in c. 1097 § 1, 3°. Idem parochus litteris petit a parocho S. Clarae ut velit Bernardo dare licentiam ad valide assistendum in sua paroecia, ad normam c. 1095 § 2, et c. 1096. Ambrosius inspectis documentis et audito parocho sponsae, optime cognoscens canonem 199 et declarationem authenticam 28 Dec. 1927, in scriptis Bernardo potestatem concedit subdelegatam ad assistendum matrimonio Marii et Catharinae. Hoc celebratur coram eo in ecclesia S. Dominici, praesente etiam parocho sponsae. Estne validum hoc matrimonium?

II. In iure. Ad normam c. 1094, 1095 et 1096 parochus potest vicariis cooperatoribus suae paroeciae addictis dare potestatem generalem assistendi matrimoniis, quae in territorio paroeciae contrahuntur. Vicarius autem cooperator, tali potestate generali praeditus, potest absque ulla speciali licentia seu vi iuris communis potestatem assistendi subdelegatione dare alii sacerdoti pro determinato matrimonio in territorio paroeciae celebrando. Pro validitate delegationis aut subdelegationis non requiritur ut ipsae fiant in scriptis. Valde tamen commendatur ut in scriptis fiant, ad incertitudines et errores praecavendos et ad habendas probationes delegationis peractae. Potestas dandi licentiam assistendi alii sacerdoti, quam concedit c. 1095 § 2, in c. 1096 § 1 restringitur quoad modum quo delegatio haec fieri debet: « licentiam dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est ».

Dicitur primo: *expresse*, i. e. non tacite. Expresse fieri potest actu explicito seu verbis quibus delegatio explicite designatur, aut implicite, actu scilicet positivo, quo implicite continetur delegatio ad assistendum, e. g. « Cras absens ero: tu facias omnia quae facienda erunt: missa erit cantata pro sponsa et sponso ». Si verba haec designant

matrimonium determinatum, expresse quamvis implicite dant delegationem. Sed iterum repetimus: prudentia suggerit fortiter ut delegatio fiat verbis explicitis et claris.

Praeterea canon statuit ut delegatio sub duplici aspectu esse debeat *determinata,* scilicet quoad matrimonium et quoad sacerdotem cui delegatio datur. Verbum: « determinatum » per modum exclusionis pluribus modis explicari potest. Determinatum est non indeterminatum seu adhuc *determinandum;* determinatum etiam est *non generale.* Delegatio facta « uni ex vicariis cooperatoribus » non est determinata, non quia est generalis, sed quia est indeterminata seu ulterius determinanda. E contra delegatio facta omnibus sacerdotibus hoc momento in dioecesi commorantibus non est determinata, non quia est indeterminata seu ulterius determinanda, sed quia est generalis.

Exigens ut delegatio sit data sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, canon exigit ut delegatio sit neque indeterminata seu adhuc determinanda neque generalis sub utroque aspectu [1].

Can. 1096 § 1 unam statuit exceptionem, quae hisce verbis continetur: « exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt ». Verba « exclusis quibuslibet delegationibus generalibus », quamvis aliqualiter ad partem praecedentem referri possint, tamen proprie posita sunt in ordine ad ea quae sequuntur. Si referantur ad praecedentia, repetunt, *pro parte* quae iam dicta habentur, nam delegationes generales excluduntur verbo: *determinatum,* apposito tam *sacerdoti cui* quam *matrimonio pro quo* delegatio datur. Dico tamen: *pro parte repetunt;* nam verba in prima parte canonis adhibita plus excludunt quam delegationes generales; excludunt scilicet etiam delegationes

---

[1] Invalida esset delegatio: « te delego ad assistendum uni matrimonio ex duobus, quae cras habebuntur », aut « te delego ad assistendum matrimonio eorum, qui prius se sistant in ecclesia paroeciali (si hac die habebuntur plura matrimonia et parochus nescit, qui venient prius).

indeterminatas seu determinandas (minime tamen generales). Recta interpretationis methodus exigit ut tota secunda pars incipiendo a verbo « exclusis » sumatur ut una clausula, qua conceditur, per modum exceptionis ad normam generalem in prima parte paragraphi statutam, ut vicariis cooperatoribus dari possit delegatio *generalis.* Haec autem exceptio derogat normae generali praescribenti ut delegatio fiat « ad matrimonium determinatum », in quantum *determinatum* opponitur *generali.* Non derogat huic normae, in quantum opponitur: ad matrimonium *indeterminatum* seu ab alia causa adhuc determinandum. Quare delegatio, de qua in p. 197, nota 1, etam esset invalida, si a parocho fieret erga vicarium cooperatorem. Parochus potest eum delegare ad omnia matrimonia, non ad unum ex pluribus adhuc determinandum, puta ab ipsis sponsis. Neque exceptio derogat normae generali in quantum dari debet *sacerdoti* determinato. Quare exceptio concedit ut delegatio generalis, i. e. ad omnia matrimonia in paroecia celebranda aut ad omnia matrimonia, quae cum licentia parochi alterutrius sponsi in hac ecclesia succursali celebrabuntur, fiat sacerdoti determinato, si sit vicarius cooperator paroeciae addictus. A. v. requisitum ut delegatio fiat *sacerdoti* determinato, non est hac exceptione sublatum, sed valet etiam si agatur de vicario cooperatore.

Deinde quaerendum est quid sit licentiam dare *determinato sacerdoti.* Evidenter aliquid datur determinato sacerdoti, si detur personae sive nomine sive qualitate sive alio modo determinatae, et quidem modo certo, ita ut visis etiam circumstantiis nullum datur circa personam delegatam dubium. Puta si parochus ad hanc personam verbum faciens dicit: te delego ut assistas; aut si dicat: delego Ambrosium Masini, delego parochum S. Martinae, delego priorem conventus S. Dominici. Non datur determinato sacerdoti, si dicat: delego sacerdotem quem sponsi eligent aut secumferent aut quem superior conventus cras mittet. Dubio obnoxium esse non potest et communiter docetur

praescriptum de determinato sacerdote etiam adimpleri, si pluribus sacerdotibus determinatis concedatur facultas, dummodo fiat simpliciter, puta: delego Andream et Julium ita ut uterque habeat plenam potestatem assistendi. Et hoc fieri potest etiam cum tribus aut sex sacerdotibus, saltem ad validitatem delegationis quod attinet. Quantum ad liceitatem, hic modus non est stricte prohibitus lege positiva. Videtur tamen *in genere* illicitus, sed licitus si aliqua ratio specialis hunc modum iustificat, puta cum parochus abesse cogatur a paroecia et non scit quis duorum avunculorum sponsae, Andreas an Julius, qui ambo adhuc sunt venturi, velit assistere et nuptias benedicere. Absque causa speciali huiusmodi delegationes pluribus factae natae sunt illud provocare periculum incertitudinis, ad quod vitandum tota lex de forma canonica et in specie praescriptum c. 1096 sunt constituta.

Dummodo respiciant casus ut supra contemplatos, assentire libenter volumus auctoribus qui docent: « conceptus sacerdotis determinati salvatur, licet plures sacerdotes — nulla tamen interposita alternativa aut electione facienda — designentur »[2]. Ipse praeferrem aliam formulam quae meo iudicio hanc doctrinam accuratius proponit, scilicet: « conceptus sacerdotis determinati *non necessario perimit*, licet plures ... etc. ». Pluralitas enim ducit ad generalitatem. Quare designatio plurium sacerdotum non necessario et semper huiusmodi est, sed tamen ita esse *potest*, ut non salvetur delegatio data determinato sacerdoti, in quantum scilicet verbum *determinato* opponitur *generali*. In dubium vocari non potest delegationem factam omnibus sacerdotibus hoc momento viventibus esse invalidum, non quia indeterminatam sed quia generalem. Sed ubi habetur limes inter delegationem pluribus factam et delegationem generalem? Quid dicendum e. g. de delegatione facta omnibus sacerdotibus Italiae, omnibus sacer-

---

2 Cfr. VLAMING, Prael. Matr³ II, n. 573.

dotibus dioeceseos Florentinae, omnibus Dominicanis Provinciae Romanae. Hoc modo semper magis coarctantes extensionem delegationis pervenimus ad exemplum, quod inveni apud auctores « delego omnes sacerdotes talis conventus »[3].

Vlaming hanc ultimam speciem delegationis proponit exemplum delegationis factae pluribus *determinatis* sacerdotibus. Sed non possumus assentire huic sententiae, quae nobis videtur falsa. Nostra sententia tunc tantum habetur pluralitas personarum delegatarum, quae non tollit conceptum determinati sacerdotis, quando plures personae sive nomine, sive qualitate *personaliter* designantur, eodem modo ac exigitur quando unus designatur. Ad hoc requiritur ut non adhibeatur nomen *commune* sed nomen *proprium*, puta: delego Joannem et Simonem; delego superiorem huius domus religiosae eiusque vicarium. Sed qui dicit: delego omnes sacerdotes huius conventus non designat sacerdotes *determinatos*, sed indicat qualitatem quae pluribus, etiam sibi ignotis, competere potest et propter hoc non designat hunc et illum sacerdotem determinatum. Tunc tantum habetur delegatio facta determinato sacerdoti sed in plurali, quando designatio plurium fit uno nomine generico, sed in talibus adiunctis ut designatio aequivaleat designationi personali, puta: quando parochus loquitur de suis tribus vicariis ipsi personaliter notis, ita ut intendat delegare Antonium et Xaverium et Remigium, sed brevitatis causa dicit: delego omnes meos vicarios. Idem in adiunctis specialibus contingere posset, quando parochus utitur verbis: delego omnes sacerdotes huius conventus; scilicet, quando intendit delegare patrem A. et patrem B. et patrem C., sed hanc intentionem manifestat breviori modo dicens: omnes sacerdotes huius conventus, sciens eos esse omnes qui ad conventus pertinent. Sed communiter verba: delego omnes sacerdotes huius con-

[3] Cfr. Vlaming, o. c., II, p. 185, nota 3.

ventus non habent hunc sensum, sed significant: « omnes qui cadunt sub hoc nomine, quique sint » et tunc delegatio non est valida, utpote facta contra praescriptum canonis requirentis ut delegatio fiat determinato sacerdoti. A fortiori delegationes in exemplis prius allatis invalidae sunt.

III. *In facto.* Titius parochus intendit dare facultatem delegatam assistendi aut omnibus suis vicariis cooperatoribus actu institutis aut omnibus vicariis sive actu institutis sive postea instituendis ab Ordinario pro toto tempore sui regiminis in hac paroecia. In primo casu, quidquid sit de validitate huius delegationis, ipsa non respicit Ambrosium, qui igitur defectu delegationis ipsi personaliter factae non habet facultatem assistendi nec proinde facultatem subdelegandi alium sacerdotem. In secundo casu delegatio est invalida utpote non facta secundum praescriptum can. 1096 § 1 seu non facta determinato sacerdoti et proinde etiam subdelegatio est invalida. In utroque igitur casu neque Ambrosius neque Bernardus habuit facultatem assistendi matrimonio Catharinae et Marii. Eorum igitur matrimonium invalidum est propter defectum formae [4].

---

[4] Neque obiici potest quod c. 209 applicatur etiam potestati assistendi matrimoniis et in casu Bernardus assistens in publica ecclesia causavit errorem communem quoad eius potestatem assistendi. Nam quidquid sit de doctrina circa errorem communem in quo Ecclesia supplet, falsa est interpretatio illa, qua iam sufficiens declaratur factum assistentiae in ecclesia, ut haberetur casus in quo Ecclesia supplet. Nam tunc quilibet sacerdos in aliqua ecclesia semper valide assisteret matrimonio et delegatio non esset necessaria *ad validitatem*, nisi pro matrimonii, quae occulte celebrantur. Hoc est evidenter legislationis canonicae de forma canonica contraria et etiam iurisprudentia rotalis hanc interpretationem reiicit.

Admittendum sane est normas canonum 196-209 ideoque canonem de suppletione potestatis iurisdictionis etiam applicari potestati assistendi matrimoniis, quamvis ipsa non proprie sit potestas iurisdictionis. Sed, ut iam saepe canonistae prudentes sapientissime scripserunt, perterriti de modo largo quo aliqui in commentariis hunc canonem sunt interpretati, doctrina de suppletione iurisdictionis in errore communi cum ma-

Nota: Si Titius usus sit verbis in sensu secundo, intendens dare delegationem omnibus vicariis etiam postea instituendis, tota delegatio est invalida et etiam vicarii iam instituti tempore delegationis non vere obtinuerunt potestatem assistendi. Si in sensu primo, verba, proprie quia de paucis personis agitur parocho personaliter notis, videntur esse modus brevis, quo plures simul personaliter designantur ideoque secundum doctrinam modo elaboratam potestas assistendi istis vicariis est valide data. Ad evitanda pericula et errores consulendum est ut parochi aliique ad quos spectat, delegationes non faciant nisi personaliter designando sive unum sive, si rationes urgentes adsint, plures nomine proprio; et tunc actibus distinctis. Insuper, ut hoc faciant *in scriptis*, ita ut documentum rei peractae remaneat. Deinde instanter commendatur omnibus, qui in negotio delegationis et assistentiae matrimonialis partem habent, i. e. tam deleganti et subdeleganti quam illi qui delegatione indiget, ut semper positive certiores se reddant de delegatione recte facta, etiamsi agatur de persona in dignitate constituta; a. v. ut non faciliter putent talem personam bene noscere et bene applicasse normas iuris aut non indigere delegatione, quia non petiit etc. In hisce rebus valet regula aurea: melius est centies aliqualiter abundare quam semel deficere. Si minimum dubium aut tenera incertitudo in re tanti momenti absque serio incommodo investigatione aut petitione auferri possit, prudentia suggerit ut auferatur.

Roma. L. BENDER, O. P.

---

xima prudentia et sensu iuridico etiam historico est proponenda, ne perveniamus ad applicationes ipsi disciplinae ecclesiasticae perniciosas. Canon est brevis forma, qua traditur doctrina et disciplina traditionalis. (Toso in: *Ius Pontif.* 1937; Claes-Bouuaert ibid. 1936, e. a.).

ACTA SUMMATIM RELATA

17 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae decretales *Martyrum caput,* 22 iunii 1947, quibus beatus Ioannes de Britto, sacerdos professus Societatis Iesu, martyr, in sanctorum album refertur (*AAS* XLI [30 martii 1949] p. 128-140).

B — Litterae Apostolicae *Apud christianum populum,* 12 febr. 1948, quibus collegialis et praeposituralis ecclesiae S. Ioannis Baptistae, in civitate « Busto Arsizio » intra fines Mediolanensis archidioecesis, titulo ac dignitate basilicae minoris decoratur (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 144-145.

C — Litterae Apostolicae *Ero Deus vester,* 3 maii 1948, quibus ecclesia praeposituralis et paroecialis, in honorem S. Martini Ep. Deo dicata, civitatis « Magenta » in Mediolanensi archidoecesi honoribus basilicae minoris insignitur (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 146-147).

D — Litterae Apostolicae *Decus ornamentumque,* 24 iun. 1948, quibus in cathedralis metropolitana ecclesia Caesaraugustana, Deo in honorem B. V. Mariae de Columna dicata, titulo basilicae minoris ornatur (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 172-173).

E — Litterae Apostolicae *Christiana exardente fide,* 24 iun. 1948, quibus ad titulum ac dignitatem basilicae minoris evehitur templum paroeciale, S. Ioannis Baptistae in civitate « Chaumont » nuncupata, intra fines Lingonensis dioecesis exstans (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 173-175).

F — Constitutio Apostolica 8 iulii 1948, qua e vicariatu apostolico de Lulua et Katanga territorii pars distrahitur et nova exinde praefectura apostolica erigitur, « Lacus Moëri » nomine (*AAS* XLI [30 martii 1949] p. 140-142.

G — Constitutio Apostolica 9 dec. 1948, qua e vicariatu apostolico Bataviensi pars distrahitur et nova erigitur praefectura apostolica Sukabumensis (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 142-143).

H — Constitutio Apostolica 9 dec. 1948, qua praefectura apostolica de Oudtshoorn in vicariatum apostolicum eiusdem nominis evehitur (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 169-170).

I — Constitutio Apostolica, 9 dec. 1948, qua praefectura apostolica de Lydenburg in vicariatum apostolicum eiusdem nominis evehitur (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 167-168).

K — Epistula *Opportunum*, 21 dec. 1948, ad Rev.mum P. GULIELMUM VAN HEES, Ordinis Sanctae Crucis magistrum generalem, septimo exeunte saeculo ob eiusdem ordinis constitutionum approbatione (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 175-176).

L — Constitutio Apostolica, 13 ian. 1949, qua praefectura apostolica Ndola in vicariatum apostolicum eiusdem nominis evesitur (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 170-171).

M — Epistula *Exeunte hoc mense*, 25 apr. 1949, ad Exc.mum P. D. FRANCISCUM PETRUM BUČYS, episcopum tit. Oympenum, Congreg. Clericor. Regula. Marianorum superiorem generalem, quinquagesimum sacerdotii annum impleturum (*AAS* XLI [25 apr. 1949] p. 176-177).

18 - S. Congregatio de Propaganda Fide

Decretum Decretum 20 ian. 1949, de vicariatu apostolico de Loango deiceps « de Pointe-Noire appellando (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 148).

19 - S. Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonisationis:

Parisien. Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. ANNAE MARIAE JAVOUHEY, fundatricis instituti Sororum S. Ioseph de Cluny (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 149-151).

Bituricen. seu Galliarum. Decretum de *Tuto* pro canonisatione B. IOANNAE de VALOIS GALLIARUM REGINAE, fundatricis Ordinis SS. Annuntiationis B. M. V. (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 151-152).

Savonen. Decretum de miraculis pro canonisatione B. MARIAE IOSEPHAE ROSSELLO, virginis, e Tertio Ordine S. Francisci, fundatricis Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia (*AAS* XLI [30 mart. 1949] p. 153-154).

Brixien. Decretum de miraculis pro canonizatione B. BARTHOLOMAEAE CAPITANIO, virginis, fundatricis Instituti Sororum a Caritate (*AAS* XLI [30 mart. 1940] p. 155-156).

Parisien. Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. S. D. Annae Mariae Javouhey, fundatricis Instituti Sororum S. Ioseph de Cluny (*AAS* xli [25 apr. 1949] p. 193-194).

Brixien. Decretum de *Tuto* pro canonizatione B. Bartholomaeae Capitanio, virginis, fundatricis Instituti Sororum a Caritate (*AAS* xli [25 apr. 1949] p. 195-196).

Savonen. Decretum de *Tuto* pro canonizatione B. Mariae Iosephae Rossello e Tertio Ordine S. Francisci, virginis, fundatricis Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia (*AAS* xli [25 apr. 1949] p. 196-197).

20 - Pontificia Commissio ad. can. authentice interpretandos

26 ian. 1949. Responsa ad proposita dubia (*AAS* xli [30 mart. 1949] p. 158).

21 - Provisio ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

24 febr. 1949, cathedrali ecclesiae Lomzensi, R. D. Coeslaus Flakowsk.

30 mart. 1949, cathedrali ecclesiae Penedensi, R. P. Felix de Cuncha Vasconsellos O. F. M.

1 apr. 1949, cathedrali ecclesiae Patavinae, Exc. P. D. Hieronymus B. Bortignon, hactenus episcopus Bellunensis et Feltrensis.

8 apr. 1949, cathedrali ecclesiae Ovetensi, Exc. P. D. Franciscus X. Lauzurica y Torralba, hactenus episcopus Pentinus.

Eiusdem Congregationis decretis constituti sunt:

15 mart. 1949, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Pii Freitas Silveira, episcopi Ioinvillensis, R. P. Ignatius a Ribeirao Preto, O. F. M. C.

18 mart. 1949, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Theophili M. Louvard, episcopi Constantiensis, R. D. Aloisius Ioannes Guyot.

30 mart. 1949, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Carmeli Patanè, archiepiscopi Catanensis, Exc. P. D. Guido Al. Bentivoglio, hactenus episcopus Abellinensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

AUG. CROEGAERT, *Les rites et prières du Saint Sacrifice de la Messe.* Plans pour sermons et leçons, t. II. *La messe des fidèles depuis l'offertoire jusqu'à la secrète;* t. III. *La messe des fidèles depuis la préface jusqu'à la fin.* Duo vol., 15 × 20,5 cm., 406 et 473 pag.

T. II. Les cadres rituels de la célébration pascale des Juifs. Le saint Sacrifice eucharistique de la Dernière Cène. Le Saint Sacrifice eucharistique de la Messe. Quels sont les offrants du Saint Sacrifice de la Messe? Quelle est la victime offerte au Saint Sacrifice de la Messe? — T. III. L'action de grâces eucharistique et la consécration ou sacrifice eucharistique. La communion. Les cérémonies finales.

J. BRYS, *Iuris canonici compendium,* ed. 10ª, t. II. Liber III, IV et V Codicis, Brugis (Desclée de Brouwer et Soc.), 1949, 17 × 24 cm., 600 pag.

Pfarrgemeinde und Pfarrengottesdienst. Beiträge zu Fragen der ordentlichen Seelsorge, herausgegeben von ALFONS KIRCHGAESSNER, Friburgi (Herder), 14,5 × 22 cm., 124 pag.

II - Ex periodicis

APOLLINARIS, XXI (1948), Num. 1-4 — A. VAN HOVE, *Quae Gratianus contulerit methodo scientiae canonicae,* p. 12-24. — A. STICKLER, *Magistri Gratiani sententia de potestate Ecclesiae in Statum,* p. 36-111 — (Reliqui septem articuli eundem Gratianum eiusque operam commemorant).

BULLETIN DE LA SOCIETE DES MISSIONS — ETRANGÈRES DE PARIS, er. II, n. 9 (mart. 1949) — J. GUETTIER, *Problèmes missionaires modernes,* p. 133-140.

CHINA MISSIONARY. LE MISSIONAIRE DE CHINE, Vol. II (1949), n. 4 (apr.) — J. C. H. WU, *La spiritualité de Dom Pierre Célestin Lou,* p. 282-382-391.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA, t. XXXIV (1949), fasc. III (maii) — W. Everaet, *De Rol van Ascese en Mystiek in de Kerk*, p. 283-291.

EPHEMERIDES THEOLOGICAE LOVANIENSES, Ann. XXIV (1948), fasc. 3-4 (iul.-dec.) — O. Lottin, *La définition classique de la vertu de religion doit-elle être maintenue?* p. 333-353.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, Ann. XLV (1949), fasc. 5 (maii) — W. Grossouw, *De leek et de bijbellezing*, p. 129-135. — A. Th. Brouwer, *Schriftlezen met leken*, p. 135-139.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, Ann. XXX (1949), fasc. 5 (maii) — Plures articuli de doctrina religiosa in scholis tradenda. — Fasc. 6 (iun.) — F. Olglati, *La classe lavoratrice ed il comunismo*, p. 223-238.

DISSERTATIONES ET QUAESITA VARIA

DUBIA MATRIMONIALIA

Haud pauca sunt dubia, quae hodie circa matrimonium et res matrimoniales discutiuntur; non nisi quattuor ex iis, adiectis nonnullis animadversionibus, hic proponuntur.

I. Dubium circa obiectum contractus matrimonialis.

1. Die 27 Februarii 1947 S. R. Rota in aliqua causa nullitatis matrimonii sententiam tulit (coram A. Wynen), quae criticis observationibus ansam dedit. Sententia et observationes publicatae sunt in « Ephemerides Iuris Canonici » (IV (1948), Num. 1, pag. 155-158; 138-147).

Mulier quaedam ante matrimonium ineundum sibi firmiter et definitive proposuerat, pravis suis machinationibus (adhibendo pessarium occlusivum vel globulos veneno imbutos) semper frustrare effectum copulae a viro rite peractae. Quaestio fuit: num hac mulieris antecedenti, definitiva atque universali intentione consensus matrimonialis fuerit essentialiter vitiatus, ideoque matrimonium nullum. Ad quam quaestionem S. R. Rota in allegata sententia respondit: « Affirmative », seu constare de nullitate matrimonii. *In Iure* inter alia haec habetur Iudicum argumentatio:

« Si res in abstracto et superficialiter consideretur, apparere posset: pravum illud propositum frustrandi effectum co-

pulae conciliari posse cum traditione iuris in proprium corpus quoad actus per se aptos ad prolis generationem. Nam talis mulier non vult impedire, quominus vir peragat copulam per se perfectam, eiusque prava intentio, respicit tantummodo fructum seu effectum copulae, non copulam ipsam. Si tamen res in concreto et attente perpendatur, eiusmodi mulier dicenda est substantialiter vitiare suum consensum matrimonialem, si hunc una cum descripta prava intentione eliciat.

Talis enim mulier, dum explicite concipit et virtualiter usque ad nuptias servat voluntatem in perpetuum impediendi omnem efficaciam copulae naturalis, convincitur saltem implicite detrectare viro tradere ius in corpus in ordine ad actus, qui ex natura sua corpus mulieris subiciant oneri praegnationis, gestationis, partus. Huiusmodi igitur mulieris voluntas convincitur contraria esse non solum his *effectibus* naturalibus, sed etiam et quidem magis immediate, ipsis *actibus*, ex quibus hi effectus naturali necessitate fluunt, et insuper, idque prius et principalius, ipsi *iuri*, vi cuius vir tales actus exigere queat. Quare declarari debet eiusmodi mulierem, quae cum tali prava intentione matrimonium iniit, noluisse tradere neque tradidisse relativum ius. Ad validitatem autem consensus matrimonialis non sufficit proprium corpus tradere vitae sexuali ad explendam libidinem, sed omnino requiritur, ut mulier viro tradat ius ad actus vere coniugales, et ut ipsa suscipiat obligationem ad eosdem actus cum naturalibus suis consectariis.

Quamvis igitur *consummatio* matrimonii descripto usu pessarii occlusivi et globulorum veneno imbutorum non impediatur, tamen antenuptialis intentio ad prava haec media anticonceptionalia in perpetuum recurrendi, substantialiter vitiat *consensum matrimonialem*, quippe qui validus non est, si matrimoniale ius ad copulam perfectam sive explicite sive implicite per positivum voluntatis actum excluditur vel restringitur. Siquidem hic non agitur de mero abusu matrimonii, sed de consensu essentialiter vitiato: quod vitium eruitur et probatur ex totali et radicali exclusione primarii finis matrimonii » (l. c. pag. 157-158).

In casu mulier viro concessisse, sed etiam coarctasse videtur « ius in corpus » ad *ipsum actum copulae*, seu ad ponenda essentialia copulae naturalis elementa, prout per naturam sunt determinata et circumscripta, salvo, quod per se patet, iure ad actus imperfectos.

2. Haec sententia et argumentatio Recensori critico non probatur; huic videtur: in sententia Rotali non suffi-

cienter attendi ad differentiam inter finem matrimonii et obiectum contractus matrimonialis, inter ius ad actum et ius ad prolem, inter opus naturae et opus hominis, inter essentiales proprietates matrimonii et matrimonii finem primarium. Ut magis innotescat differentia inter *ius ad prolem* et *ius ad actum*, auctor criticus haec notat:

« Quae distinctio maiore cum claritate patet, si notes ius ad prolem pertinere ad id quod est finis matrimonii, iura autem in corpus se teneri potius ex parte obiecti ipsius matrimonialis contractus.

Nec difficile est casus effingere in quibus unum tantummodo ex his duobus iuribus concedatur, cum e. gr. quae certo sciat se sterilem esse, concedere possit ius in corpus, at numquam ius ad prolem. Et adest casus contrarius. Virgo quae cum suo sponso per illicitos contactus externos peccat, post copulam completam, per vim ab ipsa extortam, talem in se aversionem psychologicam erga coniugalem actum experitur, ut quamvis et velit matrimonium cum suo sponso, cui adhuc haeret amore, et filios generare cupiat, quos probe scit etiam per externos actus haberi posse, nolit tamen ius concedere ad coniugalem actum.

En igitur casus, etsi mere hypotheticus et effictus, in quo conceditur *ius ad prolem*, at *non ad actus* per se aptos ad prolis generationem » (l. c., pag. 139-140).

« Videtur nobis... verbum « prolis » nimis innuere *opus naturae* ac parum illud quod est in matrimoniali contractu *obiectum formale* seu ius ad actus per se aptos ad prolis generationem... (l. c., pag. 140).

« Non eo ipso, quod aliquis operatione chirurgica vel alio modo excludit generationem, necessario excludere debet etiam obiectum formale matrimonii, ita ut contractus sit invalidus ob exclusionem obiecti formalis matrimonii » (l. c., pag. 141).

« Censemus probari non posse: Luciam — (quae *ante* matrimonium, ut certo et definitive evitet prolem, operatione chirurgica per medicum se fecerat sterilem) — matrimonium nullum contraxisse ob exclusum ius ad prolem, cum ipsa *in* matrimoniali contractu nullum positivum voluntatis actum emiserit contrarium bono prolis » (l. c., pag. 143).

3. His recte monetur distinguendum esse: inter *finem* contractus matrimonialis (ipsiusque matrimonii) et

contractus *obiectum;* item inter *ius ad actum* et *ius ad prolem;* inter « *opus hominis* » et « *opus naturae* ». Contractus et consensus matrimonialis est de obiecto, non de fine; est de iure ad actus, non de iure ad prolem; est de opere hominis, non de opere naturae. At: finis matrimonii, ius ad prolem, opus naturae non sunt omnino extra contractum; intima inter ea et ex natura rei proveniens connexio habetur. *Actus,* (de quo fit contractus), utrum sit *obiectum aptum,* de quo fiat contractus matrimonialis, desumitur et dijudicatur ex eius aptitudine ad *finem generationis* seu ad *prolem;* et *actus hominis,* ad quem peragendum contractu matrimoniali acquiritur ius, intime nectitur cum *opere naturae;* nam « opus hominis » practice consistit in usu naturae, ad quem usum ipsa natura « cooperari » debet. Sine functionabilitate et functione organorum, quibus homo utitur in actu generativo, actus hominis est impossibilis, et si ad hanc functionabilitatem et functionem natura non « cooperatur », omnis conatus humanus est frustraneus.

4. At maioris momenti est alia quaestio, scl.: utrum totum ius matrimoniale (perpetuum et exclusivum), de quo dando et acceptando contrahitur, absolvatur iure ad *perfectam copulam naturalem peragendam,* ita ut, hoc tantummodo iure dato, nil substantiale in obiecto contractus desit. Critica disceptatio Sententiae Rotalis hoc supponere videtur, non aliter atque tenor ipsius canonis 1081 § 2 quo describitur obiectum consensus matrimonialis: « ius in corpus (perpetuum et exclusivum), *in ordine ad actus per se aptos ad generationem* ». — Wernz (Ius Decretalium, tom. IV, De iure matrimoniali, pg. 42) matrimonii descriptionem paulo aliam exhibet dicendo: « Matrimonium apud omnes gentes celebratur per verum legitimumque consensum viri et feminae iure habilium, quo sibi verum et mutuum tradunt ius in corpora *in ordine ad generandam et*

educandam prolem ». Numquid hae duae descriptiones coincidunt?

Secundum spontaneum et commune iudicium hominum, mulier, quae (*post* initum matrimonium) contra viri voluntatem elotionem seminis peragit, abortum procurat, se per operationem chirurgicam, ut evitet prolem, sterilem facit, non solum peccat contra Dei et naturae legem, sed etiam laedit « ius mariti ». Unus vero coniux in corpus alterius coniugis non aliud habet ius, atque quod contractu matrimoniali acquisivit. — Unde, si hoc spontaneum et commune hominum iudicium est verum, obiectum contractus matrimonialis non absolvitur solo iure ad actum copulae naturalis perfectae.

5. Obiectum iuris quod datur et acceptatur, est, omnibus concedentibus, *ius in corpus* compartis, sed *limitatum* ad corpus, *in quantum hoc inservit ex destinatione naturae ad prolis generationem*, et sub hoc respectu ulterius limitatur ad hominis in usu corporis « *activitatem* », (in quantum scl. generatio prolis praecise pendet ab activitate humana in oppositione ad activitatem naturae). « *Activitas* » vero hominis circa prolis generationem in usu corporis compartis alia est positiva, alia est negativa; positiva consistit in *positione actus*, per se apti ad finem generationis; negativa consistit in *omissione actus* circa corpus quo finis generationis excluditur vel destruitur. Sub duplici hoc respectu in contractu matrimoniali datur ius et assumitur obligatio seu corpus proprium devincitur iuri compartis. Ideo deliberata voluntas non dandi duplex hoc ius (et non assumendi duplicem hanc obligationem) si in actu contrahendi in contrahente exsistit, substantialiter vitiat obiectum contractus ideoque ipsum contractum.

6. Inde non deducitur: contractum matrimonialem esse etiam: *de fine* matrimonii, etiam de *iure in prolem*,

etiam de *opere naturae;* obiectum contractus est *activitas hominis* in usu corporis in ordine ad prolis generationem, sive ad eam activitate *efficiendam,* sive ad eam activitate contraria *non-destruendam* vel *impossibilem reddendam.* — Sane: ascensus spermiorum ad uterum, ovuli per spermium fecundatio, ovuli fecundati descensus in uterum, eius innidatio, evolutio intrauterina etc. etc. sunt «opus naturae », non « opus hominis » (prout hi termini hodie intelleguntur) et ut opus naturae non pertinent ad obiectum contractus. At « operis naturae » impeditio, corruptio, destructio etc. per deliberatam activitatem humanam, non spectant ad opus naturae. Sunt actus humani et ut « actus humani» apti sunt, qui constituant obiectum alicuius contractus - (contractus enim aeque bene fieri possunt de positione atque de omissione actuum) - et ut tales revera intrant in obiectum contractus matrimonialis, etsi in can. 1084 § 2 explicite effertur tantum pars positiva obiecti.

7. Quae si prae oculis habentur, facile intellegitur: spontaneum et commune hominum iudicium non errare attribuendo coniugibus ius, contractu matrimoniali quaesitum, non tantum *positivum* (idest ius ad positionem actus copulae naturalis), sed etiam ius *negativum* si ita dicere fas est idest ius ad exigendam omissionem actus destructivi, quo opus naturae, copulam naturalem subsequens et ad effectum naturalem perducens, impediatur vel vi destituatur.

8. Quapropter a Sententia Rotali d. d. 27 Februarii 1947 quoad rem non dissentiendum, sed ei assentiendum videtur; mulier in casu (in ipso actu contrahendi) viro noluit dare *ius* quoad supra expositam partem negativam et positive exclusit correspondentem *obligationem* ad actus impeditivos et destructivos *omittendos*, et ita obiectum contractus, ipsumque contractum essentialiter corrupit.

Auctor in sua critica nonnulla, notatu digna, exponit de necessaria « coexsistentia morali » actus positivi voluntatis —

(quo excludatur matrimonium ipsum aut omne ius ad coniugalem actum vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem; cf. can. 1086 § 2) — cum consensu in ipso actu celebrationis matrimonii eliciendo (cf. pag. 140. 145-146). Ad evitandas autem obiectiones et ambiguitates iuvaret quaedam addere de diversa alicuius actus voluntatis perduratione et virtute in ordine psychologico et in ordine iuridico-morali; quae duo nec re nec conceptu semper coincidunt. Confer quae in AAS, 10 (1918) pag. 388 in causa Versaliensi de perduratione « condicionis » semel appositae dicuntur. Etsi in actu celebrationis matrimonii nulla advertentia conditionis olim appositae habetur; conditio nihilominus totam suam vim exserit.

II. Dubium circa fines matrimonii

9. « E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae Sacrae Congregationis - (S. Officii)... in consessu plenario Feriae IV, die 29 Martii 1944 habito, proposito sibi DUBIO: « An admitti possit quorundam recentiorum sententia, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes »; respondendum decreverunt: « NEGATIVE » [AAS, XXXVI (1944) pg. 103; et « *Periodica* », XXXIII (1944) 218 sqq.].

10 In ANNOTATIONIBUS ad hoc DECRETUM, tunc temporis in hoc folio periodico publicatis, quoad « quorundam recentiorum sententias » notatum est: « Sub certo respectu inter recentes publicationes eminet liber Prof. Heriberti Doms, « *Sinn und Zweck der Ehe* » (*Breslau*, 1935), et adhuc magis eius versio gallica, ab ipso auctore recognita et aucta « *Du sens et de la fin du mariage* » (*Paris* 1937). Secundum Doms matrimonii proximus et immanens *sensus* est singularis quaedam atque intima unio duarum personarum diversi sexus. Haec unio repraesentatur et actuatur in ordine reali per physicam corporum fusio-

nem, idest per actum coniugalem; naturaliter dirigitur, dum perficitur, in duos remotiores *fines*, alterum *personalem*, alterum *biologicum*, idest in personarum complementum et in prolis generationem. Doms reicit hierarchicam illam finium ordinationem, qua omnia tandem ad prolis generationem et educationem referuntur, tamquam ad finem primarium » (l. c. pg. 221-222). Eodem fere tempore quo liber Prof. Doms translatus est in linguam gallicam, etiam versio anglica publici iuris est facta; recenter vero edita est eiusdem operis *traductio italica*, (et quidem in Serie « Nuova Biblioteca di Studi religiosi », Volume 1) sub titulo « *Significato e scopo del matrimonio* », Traduzione di Ermano Biondi. Textus originalis necnon traductiones in linguam gallicam et anglicam ante allegatum Decretum S. Officii anni 1944 editae sunt ideoque huius Decreti rationem habere non potuerunt. Sed etiam in recenti versione italica eaedem ideae et deliberationes atque in textu originali inveniuntur[1]. Non est, cur haec theoria novo examini subiciatur; sufficiat denuo remittere ad optimum « studium criticum » Exc.mi Archiepiscopi de REGGIO-CALABRIA, Mons. Antonii Lanza, (Romae, Apollinaris, 1941), ad quod iam anno 1944 in Annotationibus huius periodici lector fuit remissus.

11. Quomodo etiam *in casu sterilitatis* matrimonium et copula matrimonialis habeant et retineant finem primarium « procreationem prolis », in iisdem Annotationibus (pg. 225) iam dictum est. Restat autem aliud DUBIUM,

---

[1] In Versione italica pg. 262 haec habetur NOTA: « *Per norma dei lettori, si informa che la traduzione francese di questo volume (Ed. Desclée di Bromwir) ha avuto l'approvazione ecclesiastica* ». — Talis NOTA non potest supplere licentiam publicationis secundum canonem 1392 § 1 pro unaquaque traductione requisitam. Hinc certo nobis constat: versionem italicam — (talis qualis est) — non ex mandato et licentia ipsius auctoris, sed eo inscio et invito factam esse; et hoc eo magis supponi debet, quod ex Decreto S. Officii d. d. 13 Decembris 1939 et textus originalis et traductio tum gallica, tum anglica fuerunt ex commercio retrahenda.

quod Prof. Doms pluries in suo libro tangit, scl., qua ratione, supposita hodierna physiologia de origine novae vitae, procreatio prolis dici queat finis primarius copulae. Monet Doms: secundum physiologiam scholasticam, et inprimis st. Thomae, generatio novae vitae fiebat in ipso actu copulae, in permixtione seminum, a viro, tamquam a principio unico activo, et a muliere, tamquam a principio passivo; qua physiologia supposita facile intellegi, cur finis copulae dicatur generatio prolis, quia generatio revera peragebatur in ipsa copula. Physiologiam autem modernam docere: in ipso actu copulae nullo modo novam vitam procreari; ad quam procreandam aeque necessariam et eiusdem valoris esse cellulam germinativam viri (spermium) et cellulam germinativam mulieris (ovulum). In actu copulae, quod attinet ad generationem novae vitae, nihil fieri nisi translationem et depositionem cellularum germinativarum viri, per actum a natura stabilitum, in naturale vas recipiens mulieris. Quo actu posito, cessare omnem liberam hominum quoad procreationem vitae activitatem; quae ulterius necessaria sint (inprimis unionem spermii cum ovulo, in qua proprie sit novae vitae origo), fieri solius « *naturae opere* ». Unde serium creari dubium, num hodie finis primarius copulae dici adhuc possit « *prolis generatio* ».

12. « Nella concezione di san Tommaso, solo l'uomo genera il figlio, la donna non essendo che una ausiliaria che prepara la materia. Alla materia non vivente, fornita dalla donna, l'uomo dà la forma vivente... E come la materia e la forma non costituiscono l'essere vivente che con la loro unione, è solo in rapporto al figlio che l'uomo e la donna diventano realmente una unità, un principio generatore.

Secondi i dati della biologia moderna, al contrario, i due coniugi forniscono al concepimento del figlio elementi ugualmente preziosi, informati, viventi: l'ovulo e lo spermatozoide, che non stanno affatto l'uno all'altro come la materia alla forma. Da allora, l'uomo e la donna appaiono molto più nettamente come due principii generatori.

Secondo la concezione *tomista,* la più forte e la più reale unità dei coniugi nell'*atto secondo* del matrimonio, è ordinata come a suo fine all'informazione dell'uomo, per mezzo del *semen,* della materia fornita dalla donna, ed essa è ontologicamente determinata da questa ordinazione. Non vi potrebbe essere questione di ciò nella biologia moderna. Secondo la nostra interpretazione ontologica della *copula carnalis,* l'unità reale dei coniugi consiste nella partecipazione in secondo atto di ciascuno alla persona dell'altro e questa partecipazione reciproca di per sè stessa completa e perfeziona immediatamente ognuno degli sposi.

Dal punto di vista biologico-ontologico, si può e si deve considerare il figlio senz'altro come il *finis primarius* dell'atto coniugale e del matrimonio, *se* vi si mette alla base l'idea che san Tommaso si fa della generazione; ma se si parte dalle concezioni della biologia moderna, questa conclusione non ha più forza obbligante » (l. c., pag. 104-105).

Pluries eaedem considerationes in textu italico (sicuti in textu originali) proponuntur; ita e. gr. pag. 80-85; 113 sq.)

13. Quaeri potest, num quae Prof. Doms de doctrina st. Thomae affert, eam totam vel saltem omnia eius elementa essentialia exhibeant. De hac re inspiciantur quae nuperrime publicata sunt a Dr. Alberto Niedermeyer in suo libro « Handbuch der speziellen Pastoralmedizin »; Erster Band, « *Das menschliche Geschlechtsleben* », (Wien 1949. Verl. Herder), Anhang. *Thomistische Studien zur Biologie, Soziologie und Metaphysik der Geschlechter* » (S. 441-504). Quo STUDIO historico speculativo expositiones Professoris Doms complendae et saltem ex parte modificandae videntur. At, hic non est examinanda quaestio, num doctrina physiologica st. Thomae in allegato libro Prof. Doms recte et sufficienter sit proposita, sed, an, supposita vel antiqua vel moderna physiologia, aliter et aliter de primario matrimonii et actus coniugalis fine loquendum sit. Ad hoc dubium ita respondendum videtur.

14. Alia omnino est quaestio: quisnam sit actus generativi *effectus immediatus,* alia: quisnam sit huius actus *finis primarius;* effectus immediatus et finis primarius *possunt* quidem coincidere, sed minime coincidere *debent.*

Ad quaestionem, an actio generativa (idest copula naturalis) *in ordine efficientiae* effectum immediatum et in ordine chronologico primum habeat productionem novae vitae, biologia et physiologia thomistica (secundum expositionem Prof. Doms) respondet *affirmative*, biologia hodierna *negative*. Conveniunt antiqui et recentes in eo, quod in actu generativo coniuges afferant ex propriis ad novam vitam oriundam per actum personalem; de modo et ordine autem huius efficientiae inter se differunt. Hodierna biologia inter actionem generativam et ipsum ortum novae vitae interpositam ostendit plus minus longam seriem actionum naturae, usque dum spermium intret ovulum, et nuclei utriusque cellulae germinativae inter se uniantur. Copula ergo, quod attinet ad novam vitam procreandam, designat primam partem seu initium actionis causativae totalis, actuari facit totam seriem causarum subsequentium easque suas vires naturales facit exserere; non autem ipsa *immediate* producit novam vitam. Nihilominus est eius vera *causa;* licet non tota et totalis; est eius causa *per se,* nam in ordine causalitatis ex indole naturae nectitur cum effectu, qui in fine totius seriei oritur. Omnes enim totius huius seriei causae a natura sunt stabilitae, inter se iunguntur et ordinantur in effectum ultimatim producendum.

Ad dilucidandum nexum causalem inservire potest exemplum vitae destruendae. Vero et pleno sensu est causa mortis, qui in organismum vivum inducit venenum mortiferum, quod non immediate efficit mortem, sed in organismo secundum leges biologico-chimicas per vires naturae in decursu temporis successive oriri facit modificationes et mutationes, quibuscum necessariae functiones vitales coexsistere non iam possunt, ideoque mors sequatur. Ergo interpositio plurium causarum, quarum una alteram ex institutione et connexione naturae consequitur, non tollit neque (essentialiter) minuit nexum causalem

inter primam actionem et ultimum totius seriei causarum effectum.

Unde concludendum est: in utraque hypothesi (idest: tum in hypothesi biologiae Thomisticae, quae immediate in activitate copulae novam vitam procreari supponit; tum in hypothesi biologiae hodiernae, quae inter actum copulae et originem novae vitae seriem aliarum quoque causarum interponit: in utraque hypothesi: copula est et manet sensu vero et pleno *naturalis causa per se novae vitae oriturae.*

15. Animadversiones vero et obiectiones Prof. Doms non coarctantur ad sphaeram *efficientiae*, sed etiam et magis extenduntur ad sphaeram *finalitatis*, in quantum efficientia contradistinguitur a finalitate. Secundum physiologiam antiquam origo novae vitae fuit actus generativi effectus immediatus et in ordine chronologico primus; inde secundum Prof. Doms facile intellegitur, cur dici debuerit et de facto dictus sit, in sphaera finalitatis *finis primarius operis*, (idest: id in quod obtinendum actus generativus ex intrinseca sua structura et ex intentione naturae (independenter ab omni intentione agentis) ordinatus est. At, ubi primum biologia moderna ostendit: effectum immediatum actus generativi minime esse procreationem novae vitae, secundum Doms non iam potuit amplius sustineri antiqua theoria, idque neque de *effectu primario* neque de *fine primario* copulae, idest plenae coniugum in actu generativo unionis; sed ipsa haec unio sicuti effectus primus et immediatus ita etiam *primarius finis operis* statuenda fuit. Sed haec illatio non valet.

16. Sphaera efficientiae et sphaera finalitatis non simpliciter coincidunt; notum est axioma: quod primum est in intentione, ultimum est in exsecutione. Esse potest et persaepe est, quod effectus mediatus (tandem pluribus quoque aliis causis interpositis obtinendus) dici debeat

et sit *finis primarius operis*, dum e contra effectus ratione temporis primo loco productus et immediate obtentus dici debeat et sit *finis secundarius*, quamvis ipse quoque *operis*, et non solum *operantis*. Classicum quoddam exemplum praebere potest analysis instinctuum naturalium, quorum elementa assignari solent: cognoscitivum, affectivum, impulsivum, exsecutivum, finale. Quod ultimum secundum praevalentem sententiam non intrat ut elementum constitutivum instinctum ipsum; nihilominus est norma et mensura, secundum quam natura totum instinctum composuit et propter quod obtinendum totum instinctum dedit. Hoc elementum finale est finis *primarius* (non tantum effectus primarius) totius *operis* naturae necnon singularum actionum, quae vi instinctus dati ponuntur. Quod si applicatur ad instinctum et ad actum generativum (saltem quoad ea quae iis exclusive propria sunt et extra ipsos obtineri non possunt) dubium prudens remanere non potest: *finem operis primarium*, a natura intentum, esse *procreationem prolis*, non obstantibus multis aliis causis et rationibus concurrentibus.

Plura de hac re habentur in hoc folio periodico Vol. XXXIII (1944) 218 sqq., necnon in expositione Sententiae Rotalis d. d. 22 Januarii 1944, in eodem Volumine pg. 170 sqq.; nec est, cur eadem nunc iterum fuse exponantur. Sed numquam oblivioni dari debet: esse *ordinatum* ex intrinseca natura in realizandum determinatum aliquod bonum, tamquam in primarium finem operis, non esse idem atque: hunc finem in casu particulari esse *realizabile*. Etsi realizatio evadit impossibilis, tamen naturalis destinatio et ordinatio in hoc bonum (hic et nunc irrealizabile), quippe quae est relatio transcendentalis, intacta et integra persistit.

17. Quibus expositis et ponderatis, concludendum est: dubium circa « prolis generationem », tamquam *finem primarium actus generativi et consequenter ipsius matrimonii*, a Prof. Doms motum et petitum ex analysi biologica

huius actus et ex progressu scientiae biologicae, *non esse fundatum*. Physiologia et biologia recens non exhibent solidam rationem, cur a doctrina communi et in CIC can. 1012 § 2 claris his verbis enuntiata: « *Matrimonii finis primarius est procreatio et educatio prolis* », (intellegendo « finem » sensu proprio et technico, et quidem finem operis) recedatur.

III. Dubium circa consummationem matrimonii

18. Ex Advocatis S. R. Rotae innotuit, initio huius anni 1949 cum S. R. Rota et cum S. C. de Sacramentis communicatum fuisse aliquod S. Officii Decretum huius tenoris: « *Ad propositum DUBIUM: An matrimonium haberi debeat inconsummatum, si essentialia elementa copulae posita sint a coniuge, qui ad unionem sexualem non pervenit nisi adhibitis mediis aphrodisiacis, rationis usum actu intercipientibus*, E.mi Patres, Feria IV, die 2 Februarii respondendum decreverunt: NEGATIVE ».

Quae fuit ratio vel ansa huius Decreti, utrum aliqua quaestio doctrinalis, an aliquod factum particulare, ex Decreto erui non potest. Nihilominus tenor Decreti permittit construere casum, cuius solutio exigat et praesupponat solutionem Dubii theoretici et doctrinalis, ad quod allegatum Decretum immediate respondit. Titius in primo usu matrimonii ad ponenda essentialia copulae elementa [idest: ad erectionem, ad immissionem (saltem partialem), ad seminationem (item saltem partialem) immediate intra vas naturale mulieris] pervenire non potuit adhibitis mediis ab ipsa natura praestitis, sed confugere debuit ad media artificialia stimulantia, quibus insufficientia naturae tollatur. Inter haec numerantur inprimis *media aphrodisiaca* quae dicuntur, scl. determinatae materiae chimicae (generatim ex viventibus, plantis, animalibus promptae), quae vim stimulativam in centra nervorum maiore vel

minore gradu exercere valent. Titius his mediis aphrodisiacis tanta copia est usus, ut « usus rationis » interciperetur; dein in hoc statu interceptae rationis (seu sui non iam compos) actum copulae peregit, ponendo eius essentialia elementa. Quo facto posito, quaeritur, utrum Titii matrimonium cum Titia fuerit consummatum necne. A cuius quaestionis solutione pendet huius matrimonii — (si utraque pars fuit baptizata) — solubilitas per dispensationem super rato et non-consummato. Supponitur hunc primum actum copulae fuisse unicum inter Titium et Titiam positum; secus enim superflua esset quaestio de huius matrimonii solubilitate.

S. Officium respondit: matrimonium per dictam copulam, intercepto usu rationis exercitam, fuisse consummatum.

19. De sensu et pondere huius Decreti (necnon de connexa quaestione validitatis matrimonii inter Titium et Titiam) quaedam notanda sunt.

Primo attendi debet ad essentialem differentiam inter *matrimonium contrahendum* et *matrimonium consummandum*. Matrimonium contrahitur per consensum matrimonialem; iam vero « consensus » ex conceptu suo denotat *actum humanum;* hinc repugnat consensum validum concipi et praestari in statu usus rationis actu intercepti. Valetne idem de contractu exsequendo seu adimplendo? Quidam putaverunt respondendum esse *affirmative.* At sententia iam longe ante recens Decretum communis respondit *negative;* tenet et tenuit: ad consummationem matrimonii sufficere merum factum perfectae copulae naturalis, sive haec fuerit facta per actum humanum sive alio modo, sive fuerit exercita libere et iuste, sive tantummodo coacte et contra ius. Ita: *de Smet.* De sponsalibus et matrimonio: « Ad consummationem *requiritur* penetratio vaginae et seminis virilis immissio intra vas mulieris; id etiam sufficit. ... Ad consummationem non refert quod coac-

ta fuerit copula vel inconscienter, puta per somnum, admissa » (l. c., 4. Ed. pg. 133-134); *Gasparri*, De matrimonio (Vol. II, pg. 181, n. 1093): « Coniuges rei maritali operam dantes, matrimonium consummant, idest complent. Proinde ad matrimonii consummationem duo requiruntur et sufficit, nempe: 1) copula matrimonialis, ad quam ordinatur matrimonium, et qua coniuges fiunt una caro; 2) ut huic copulae praecesserit matrimonium validum, sive ratum sive legitimum, quia compleri nequit quod non exsistit »; *Wernz*, Ius Decretalium, (Vol. IV, Ius matrimoniale, Pars II, pg. 622-623, n. 698): « Quod si post matrimonium contractum maritus intra tempus legitimum [idest bimestre] ad deliberationem concessum, per vim, fraudes, dolum ab uxore extorqueat perfectam copulam, sine ullo dubio matrimonium est vere consummatum, neque etiam per professionem sollemnem potest solvi. Ita *Sanchez*, lib. II, disp. 22 n. 3 sq., *Gasparri*, de matrimonio n. 1062; *Rosset*, n. 684 sq. aliique communius. Aliter *Fagnani* in cap. 7 X de convers. coniug. III 32, aliique v. gr. *Reiffenstuel*, qui non satis distinguunt liberum consensum in contractu a consummatione; substantiam actus a modo indebito, atque explicare non possunt affinitatem contractam ex violenta matrimonii consummatione ». — Ex *Sanchez* haec adhuc afferatur obiectio et solutio. Obicit: consummationem matrimonii significare unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, natura humana assumpta; hanc vero esse ex actu libero; consequenter eam non posse significari nisi per actum liberum. Solvit difficultatem dicendo: talem argumentationem non obstare consummationi per copulam vi extortam; huiusmodi enim copulam repraesentare unionem Christi cum Ecclesia quoad *substantiam* actus, nam substantia actus coniuges fieri unam carnem, sicuti Christus per carnem assumptam est unius Ecclesiae. Copulam vi extortam non quoad *modum* repraesentare unionem Christi, hanc enim unionem fuisse spontaneam; illam autem esse violentam. — (Cf. insuper:

Wernz-Vidal, Ius canonicum, tom. V, pg. 19, n. 22; *D'Annibale,* Summula theologiae moralis, pars III, n. 470). Verum est, non omnes hos textus habere eundem omnino statum quaestionis, quia non omnes agunt de actu copulae posito momento, quo quis non fuit sui compos, sed usu rationis actu privatus. Nihilominus adduci possunt; nam qui patitur copulam, contra propriam voluntatem vi extortam, magis contrarius est consummationi matrimonii, quam ille qui sine voluntate contraria eam experitur in somno vel in alio statu, in quo non est compos sui, praesertim si hic status et copula in eo exercita dici debent « voluntaria in causa », (prout accidisse supponi debet in casu, conformiter ad tenorem Decreti constructo).

20. Ibidem quod auctores passim docuerunt et docent, deduci etiam potest ex rei natura.

Adimpletio seu consummatio contractus matrimonialis — (non aliter atque cuiuslibet alterius contractus) — habetur, ubi primum, quod vi contractus praestari debet, de facto praestatur. Sunt quidem contractus, quorum adimpletio seu consummatio fieri non potest nisi *per modum actus humani, ita* e. gr. contractus revisionis librorum dati et accepti; contractus gerendi munus professoris. Sunt autem alii contractus, quorum adimpletio non exigit actum humanum, e. gr. contractus exhibendi determinatam copiam proprii sanguinis ad peragendam transfusionem. Hic contractus adimpletus censeri debet, etsi debita copia sanguinis deprompta fuerit ex dormiente vel insaniente, ex invito physica vi adhibita. Sufficit enim *merum materiale factum praestationis rei debitae.* At, quilibet videt: in exemplo allato, quamvis *substantia praestationis* rei debitae sit secundum ius contractu quaesitum, tamen *modum praestationis* esse iuri, aequitati, caritati contrarium.

In contractu matrimoniali ius quaesitum pro obiecto immediato habet corpus compartis in ordine ad copulam

naturalem; quapropter, ubiprimum prima vice elementa essentialia talis copulae posita fuerint, contractus quoad substantiam est prima vice adimpletus seu consummatus. Talis quoad dicta elementa essentialia consummatio est independens *a motivo* ex quo procedit, *a modo* quo peragitur, dummodo ipsa elementa essentialia, et quidem omnia, praestentur. Sed inde minime deduci potest: quemlibet etiam modum consummationis — (dummodo elementa essentialia integre praestentur) — esse licitum et honestum, dignitati personae humanae ac sacramentali matrimonii christiani sanctitati correspondentem.

21. Decretum S. Officii aliam quoque exsurgere fecit quaestionem quam ipsum tamen insolutam reliquit, scl.: num vir, qui non nisi assignato modo, copulam, ad consummandum matrimonium sufficientem, peragere potuit, sit ideo etiam dicendus « *potens ad coeundum* », ideoque eius matrimonium dici debeat *inaccusabile de nullitate ex capite impotentiae.* Ad quam quaestionem alii responderunt affirmative, alii negative.

Pro *responso affirmativo* adducitur simplex haec argumentatio: Qui peregit copulam naturalem, potest eam peragere; nam ab « agere » semper valet illatio ad « posse agere ». Iam vero in casu vir peregit copulam naturalem; posuit enim secundum decisionem S. Officii *actum quo consummatur matrimonium*, quod non fit nisi per naturalem copulam, idest ponendo eius elementa essentialia. Ergo decisione S. Officii de peracta consummatione implicite vir declaratus est « *potens ad coeundum* », quia fuit potens ad peragendam copulam naturalem. Hac consideratione admissa, allegatum Decretum est *absolutum,* idest, S. Officium non respondet *hypothetice*: *si matrimonium,* de quo agitur, fuit valide initum, censeri debet per descriptam copulam consummatum; sed statuit *absolute* (etsi implicite tantum): matrimonium, quod dicto modo est consummatum, fuisse *valide initum;* nam absonum est: con-

tractum, qui non exsistit, a S. Officio dici adimpletum seu consummatum.

22. Alii negant: declaratam potentiam *consummandi* matrimonium continere ex rei natura declaratam potentiam *ineundi* matrimonii, in quantum haec dicit « potentiam coeundi ». Pro hoc responso negativo afferunt hanc deliberationem et argumentationem.

Potentia coeundi dicit in viro dispositionem habitualem, vi cuius ad ponenda essentialia copulae naturalis *ipse sese ab intra determinare valeat.* Haec viri facultas si est gradualiter diminuta, sed mediis artificialibus (licitis nec grave periculum salutis inducentibus) compleri potest, manet « *potentia* », et non evadit « impotentia »; nam vir in tali casu his mediis, sive mechanicis sive chimicis (aphrodisiacis), iuvatur tantum, ut *se ipsum ab intra ad copulam peragendam determinet.* Ubi primum autem constiterit: virum, (quantumvis mediis artificialibus adiutum), non posse reddi potentem, qui *ipse sese ab intra ad coeundum determinet,* statuenda est *impotentia ad coeundum.* Esse potentem ad agendum significat enim aliquod « posse » agere *ipsius subiecti,* quod agit. Ad hoc vero non sufficit, ut *ab extra* — (idest a causa extrinseca et a subiecto agente distincta) — *in* subiecto iidem effectus produci queant, ad quos producendos aliquod subiectum, quod est « potens ad agendum », valet se ipsum ab intra determinare, (in casu: ad innervanda centra nervorum, ad erectionem, ad immissionem, ad eiaculationem spermatis). Ad asserendam impotentiam coeundi, sufficit, quod subiectum non sit potens ad *unum* ex pluribus his elementis essentialibus per propriam sui ipsius determinationem ponendum.

Experientia vitae constat: quasdam reactiones et phaenomena tum physica, tum physiologica, quae in homine normali fiunt *ab* homine et *in homine ex propria sui ipsius determinatione,* aliquando via artificiali peragi posse *in* homine non ta-

men *ab* homine, et quidem ob aliquod obstaculum, sive congenitum, sive superveniens, sive transitorium sive perpetuum.

Facta e. gr. apoplexia, homo saepe impotens redditur, qui se ipsum ad brachium vel crus vel aliud membrum movendum determinet, nihilominus musculorum contractio et membrorum motus ab extra - (irritando e. gr. determinata centra motoria per fluidum electricum) - effici potest. Propter talem motum, ab extra *in* homine productum, homo apoplexia paralysatus, non dicitur neque est « potens » ad movendum se ipsum, sed est et manet impotens.

Simile quid observatur quoad facultatem loquendi. Occurrunt casus « *aphasiae* », quae nullo ipsius subiecti conatu tolli potest, sed omni curae psychotherapeuticae insuperabile obstaculum opponit. At hodie habentur medicamenta chimica, quibus *per modum actus* omne psychicum impedimentum, quo locutio impossibilis redditur, ad breve tempus vi destituatur, ita ut homo loqui incipiat. Cessante vero actuali influxu medicamenti introducti homo in pristinam aphasiam reincidit quia mediis adhibitis obstaculum (psychicum-organicum, functionale simul et physicum) non est *sublatum*, sed solummodo *quoad vim influendi* suspensum, durante scl. actuali influxu medii ingesti. Talis homo est et manet « impotens ad loquendum », et quidem ideo quia *se ipsum ab intra ad loquendum determinare non valet*. Quae impotentia non ideo est neganda, quia *in* ipso per *causam extrinsecam*, quae ad tempus activam obstaculi vim ligat, pronuntiatio verborum obtineri potuit.

23. Ut ambiguitates et obiectiones praecaveantur, iuvat in memoriam vocare: quaestionem de « potentia » non esse quaestionem de « *actu* », sed de « *subiecto* » ponente actum; neque quaestionem de subiecto secundum eius « Esse staticum » sed secundum « Esse dynamicum » seu secundum eius « posse *agere* » (= de eius *dispositione* ad determinatum *actum ab intra producendum*); et de hac interna dispositione non secundum eius aliquam momentaneam actuationem, sed secundum eius constantem et permanentem seu *habitualem actuabilitatem*.

Quae si applicantur ad « potentiam coeundi », apparet hanc potentiam non significare tantummodo: *in* aliquo viro *per causam extrinsecam* effici posse erectionem, im-

missionem, eiaculationem; sed significare viri facultatem *se ipsum ab intra* (utendo scl. viribus naturae) determinandi ad erectionem, immissionem, eiaculationem. Et ideo vir, qui *ab intra* (etsi *adiutus* mediis artificialibus) hoc efficere non potest, dicendus est « impotens ad coeundum » et « inhabilis ad contrahendum ».

24. Qui has considerationes medicas admittunt, censere debent et censent: Decreto S. Officii non esse decisam quaestionem, num (in supposito casu) Titius sit « potens ad coeundum », et eius matrimonium sit validum; et hinc, num pateat Titio via accusandi matrimonium de nullitate ob impotentiam. Nam ut haec quoque quaestio per Decretum decisa dici possit, censent: de duobus haberi oportere certitudinem, (de quibus tamen in Decreto allegato nihil habeatur), scl.: 1) in genere unum saltem elementum essentiale coitus *in* homine produci posse *a causa extrinseca*, quin hic homo habeat facultatem sese ad illud determinandi ab intra (*quaestio iuris*); 2) in casu Titii unum saltem elementum essentiale copulae de facto productum fuisse *ab extra*, idest sine Titii potentia sese ad eum determinandi ab intra (*quaestio facti*).

Neutra quaestio solvi potest, nisi prius quoad partem medicam auditis peritis eorumque rationibus ponderatis.

25. Quaenam ex duabus Decreti S. Officii interpretationibus, quod attinet ad viri « *potentiam coeundi* » implicite declaratam vel non-declaratam, veritati rei correspondeat, ex *notitiis hucusque datis* decidi non potest, sed apertum relinqui debet.

IV. Dubium de requisita nupturientium praesentia

26. Can. 1088 § 1 statuitur: « Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem ». De procuratore constituendo et de modo, quo munere suo fungi debeat, canone 1089 plura enumerantur quae ad valorem requiruntur; ita: mandatum quo procurator statuitur, debet esse *speciale* ad contrahendum cum *certa* persona; debet esse *subscriptum* a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus; si mandans scribere nescit, id in ipso mandato adnotari debet, et alius testis addatur oportet qui scripturam ipse quoque subsignet. Haec omnia ad valorem mandati requiruntur. Ut matrimonium, per procuratorem initum, validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi.

27. Tempore ultimi belli a militibus, ad arma vocatis et extra proprium territorium (vel in ipsa acie) versantibus, aliquando inita sunt « *matrimonia inter absentes* » seu « *matrimonia in distans* » (« Ferntrauungen »), sive per *epistulas*, (si respectiva lex civilis talem contrahendi modum permittebat), sive per « *transmissam contrahendi declarationem qualificatam* », scl. datam coram competenti officiali militari et ab eo transmissam ad competentem officialem civilem territorii, in quo sponsa habuit domicilium, ac per hunc intimatam sponsae.

In Germania e. gr. secundum legem specialem de die 4 Novembris 1939 vir ad arma vocatus et extra suum domicilium versans, potuit coram competenti suo tribuno militari declarare: se cum hac persona, in individuo determinata, velle contrahere matrimonium. De hac declaratione a tribuno militari documentum conficiebatur, quod subscripsit et ipse et miles, qui voluntatem contrahendi manifestaverat. Tribunus protocollum, ita confectum et subscriptionibus firmatum, transmisit ad

officialem civilem, competentem pro territorio in quo designata mulier (« sponsa ») vel domicilium habuit, vel per debitum (lege designatum) tempus commorata fuit. Documento accepto, officialis civilis advocavit sponsam; haec coram ipso consensum matrimonialem manifestare debuit forma per legem civilem praescripta, idest: officiali, coram duobus testibus eam interroganti, num viro in documento designato nubere vellet, respondere debuit « affirmative ». Quo facto, matrimonium fuit contractum, et officialis civilis coniuges declaravit vinculo matrimoniali iunctos. Testes qui adhiberi debuerunt, secundum legem civilem nullo modo vices gerebant viri absentis, ideoque dici non potuerunt eius « procuratores ».

28. In huiusmodi casibus, si utraque vel alterutra pars fuit *catholica*, hic ineundi matrimonii modus ad valide coram Deo et in conscientia contrahendum non sufficiebat, et quidem propter ipsum, modo allegatum, canonis 1088 § 1 praescriptum de requisita contrahentium *praesentia* sive per se ipsos sive per procuratorem. Catholici potuerunt quidem « contrahere in distans » ad obtinendos *effectus civiles* (quotiens competens lex civilis talem contrahendi modum agnovit); ut autem coram Deo et Ecclesia vinculo matrimoniali iungerentur, insuper contrahere debebant « *inter praesentes* », idest per procuratorem, rite secundum can. 1089 statutum et suo munere fungentem.

Quoad *catholicos* ergo non habetur dubium, utrum eorum « matrimonia in distans » fuerint valida, an invalida; condicio iuris est clara et certa: *haec matrimonia fuerunt certo invalida.*

29. Quoad *baptizatos acatholicos, inter se contrahentes*, eadem quaestio (num scl. eorum « matrimonia in distans » fuerint valida vel invalida) non caret difficultatibus. Alii censent: acatholicos baptizatos aeque ac catholicos teneri lege praesentiae canonis 1088 § 1; alii: eos ab hac obligatione vi canonis 1099 § 2 eximi; alii denique: obligationem acatholicorum baptizatorum esse dubiam, ideo vi canonis 15 nullam.

Forte quis dixerit, non esse, cur haec quaestio discutiatur, cum acatholici baptizati non curent Ecclesiae de matrimonio leges; Ecclesiae autem non interesse eorum causas matrimoniales intrare; ideo acatholicos relinquendos esse in bona fide, sive una sive alia ex supra recensitis sententia sit obiective vera. — Sed ita iudicari et procedi non posse, clare apparet, ubi primum alterutra vel utraque pars acatholica, « matrimonio in distans » inito, ad fidem et Ecclesiam catholicam transire desiderat — (debetne tunc hoc matrimonium sive per renovationem consensus sive per sanationem in radice convalidari?) — vel quando post initum « matrimonium in distans », obtento divorcio, alterutra vel utraque pars novum matrimonium cum parte catholica iniit vel initura est, aut novum matrimonium iterum cum parte acatholica contraxit, nunc vero catholica fieri desiderat: obstatne in his casibus secundo matrimonio impedimentum ligaminis, ortum ex priore « matrimonio in distans » inito? Nequit ergo Auctoritas ecclesiastica abstinere ab allegata quaestione examinanda et dirimenda, utrum necne praescriptum canonis 1088 § 1 de *requisita praesentia nupturientium* afficiat etiam baptizatos acatholicos. — Quapropter breviter rationes « pro » et « contra » afferuntur, non ut quaestio solvatur, — (quod fieri non posse videtur nisi decisione authentica Pont. Commissionis ad interpret. CIC.) — sed ut pondus et momentum variarum opinionum clarius perspiciatur ac pensari queat.

30. Baptizatos acatholicos *non teneri* lege praesentiae (can. 1088 § 1) et normis de *procuratore* (can. 1089) his evincere student rationibus:

1) Normae de praesentia et de procuratore respiciunt *formam celebrationis* matrimonii; iam vero baptizati acatholici a lege formae canone 1099 § 2 explicite eximuntur; ergo non comprehenduntur praescriptis can. 1088 § 1 et can. 1089. Haec exemptio confirmatur

canonibus qui sunt de matrimonio invalido convalidando sive per consensus renovationem sive per sanationem in radice. Si enim lex praesentiae non comprehenditur lege *formae*, haberetur lacuna in Iure; quia horum canonum normae nihil speciale habent pro convalidandis matrimoniis, invalidis ex defectu *praesentiae*.

2) Leges Ecclesiae non ligant nisi eos, pro quibus latae sunt; at leges Ecclesiae catholicae praesumi debent latae pro catholicis, et leges CIC pro catholicis Ritus latini (cf. can. 1). Baptizati autem acatholici neque pertinent ad Ecclesiam catholicam neque ad Ecclesiam Ritus latini. Ergo praesumi debent a legibus Ecclesiae liberi, donec contrarium probetur; nulla autem huiusmodi probatio quoad allegatos canones 1088 § 1 et 1089 affertur neque afferri potest. Ergo acatholici baptizati ab iis exempti haberi debent.

3) Extra dubium est intentio Legislatoris parcendi validitati matrimoniorum acatholicorum, in quantum — (salvo bono maiore totius Ecclesiae) — fieri potest; ideo eos exemit e. gr. a lege formae, ab impedimento disparitatis cultus. Iam vero Legislator sibi ipsi contradiceret, si baptizatos acatholicos subesse vellet legi praesentiae; idque eo magis, quod ante Codicem etiam catholicis interdictum non fuerit contrahere inter absentes per epistulam.

4) Insuper haec sententia commendatur (etsi non probatur) eo, quod secus damnum spirituale gravissimum ingenti multitudini acatholicorum, qui bona fide inter absentes contraxerunt, inferretur. Nam sine eorum culpa quasi condemnarentur ad « concubinatum »; idque ut paucis succurreretur, quorum interest baptizatos acatholicos lege praesentiae teneri.

31. Baptizatos-acatholicos *teneri* lege praesentiae, defensores sententiae oppositae sequentibus argumentis planum fieri censent:

1) Canone 1099 § 2 acatholici baptizati non eximuntur nisi a qualificata « *forma celebrationis matrimonii* », de quo in toto Capite VI sermo est. Eos eximi ab *omnibus* Iuris normis, quae *modum quo* contrahitur spectant, neque ex allegato can. 1099 § 2 neque ex rei natura probatur. Arbitrarie enim supponitur: qualificatam « *formam celebrationis* » — (id-est « *sollemnitates iuris* », Capite VI accurate determinatas et circumscriptas) — amplecti *omnia*, quae « *modum contrahendi* » tangunt. Firmum manere debet axioma iuris: « *Legislator quod voluit expressit* ». Iam vero ab omnibus concedi debet: « praesentiam » non pertinere ad « sollemnitates iuris » in capite VI assignatas, a quibus Legislator acatholicos liberos esse voluit. Neque ullum aliud argumentum evincens pro eorum a lege praesentiae exemptione affertur. Ratio petita ex Capite IX « De matrimonii convalidatione » non sufficit; tum quia terminus « formae » non solum occurrit in sensu presso « sollemnitatum iuris », de quibus in Cap. VI., sed etiam in sensu latiore « modi », tum quia, si esset revera in Capite XI lacuna, haec facillime norma can. 20 suppleretur. Neque enim a sensu claro et certo can. 1099 et totius cap. VI, qui est de « *forma qualificata* », recedere licet, ut aliqua difficultas cap. XI evitetur.

2) Secundum communem theologorum sententiam generales Ecclesiae leges — (nisi aliud sive ex natura rei, sive ex positiva legis dispositione, sive ex legitima consuetudine constiterit) — afficiunt omnes baptizatos. — Idem deducitur ex verbis can. 87: « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et *officiis*, nisi, ad iura quod attinet, obest obex ». Hinc probandum non est: acatholicos *ligari* lege praesentiae, sed eos ab hac lege *eximi*.

3) Intentio Legislatoris non est nec fuit eximendi baptizatos acatholicos ab *omnibus* iuris mere ecclesiastici de matrimonio legibus, ut in quantum fieri possit, validitati matrimoniorum, quae *inter se* ineunt, sit provi-

sum. Eos e contra legibus matrimonialibus voluit subesse; a paucis tantum eos exemit idque explicitis verbis manifestavit; ita a lege formae in Cap. VI accurate circumscriptae, item ab impedimento disparitatis cultus. Eos subesse voluit omnibus aliis impedimentis iuris mere ecclesiastici, insuper legi de renovando consensu in casu convalidationis simplicis, etc. etc. Iuvat in memoriam revocare: Decretum Com. Pont. d. d. 29 Apr. 1940 quo statutum fuit: exemptionem, in altero canonis. 1099 § 2 commate statutam, non esse extendendam ad impedimentum disparitatis cultus; insuper eiusdem commatis totalem abrogationem per « Motu proprio » Pii XII d. d. 1 Aug. 1948. Quae documenta clare manifestant: mentem Legislatoris non esse: baptizatos acatholicos eximendi a legibus mere ecclesiasticis, *in quantum fieri possit.*

4) Per modum motivi accessorii addi potest, ut, si secundum principia rectae et iustae interpretationis fieri potest, baptizati acatholici legi praesentiae subiecti dicantur, quia sic multo melius bono animarum providetur. Acatholici, per « matrimonium in distans » invalide iuncti, si volunt simul manere, facile, privata auctoritate, sola consensus renovatione suum matrimonium convalidare valent. E contra si discedunt (quod saepissime fit), si liberi sunt a lege praesentiae, matrimonio consummato, insolubili vinculo iunguntur, et in casibus, supra n. 29 allatis, conversioni vel secundi alicuius matrimonii convalidationi insuperabilis opponitur difficultas.

De caetero non agitur de « millionibus et millionibus acatholicorum ». Matrimonia, in distans inita, sunt relative pauca; et ex his paucis numerus longe maior, petito divortio, iterum solvitur. Inde patet: pluribus magis provideri, si acatholici legi praesentiae sunt subiecti. Nam si secundas nuptias iterum « *inter se* » contrahunt, valide contrahere possunt, cum nullum sit prioris ligaminis impedimentum; idem valet, si secundas nuptias cum *parte catholica* contrahere intendunt. — Et quando post secun-

das acatholicorum nuptias inter se initas una eorum pars vel utraque ad fidem catholicam transire desiderat, ex ligamine prioris « matrimonii in distans » », utpote invalidi, difficultas conversionis non erit.

32. De *tertia sententia*, quae tenet: *dubium esse*, utrum necne baptizati acatholici lege praesentiae teneantur, ideoque eos iuxta normam can. 15 dicendos esse non teneri, non est cur plura dicantur.

Defensoribus enim primae et secundae sententiae persuasum esse videtur: propriam sententiam et argumenta, quibus innititur, esse *certa* et *non relinquere prudens dubium;* ideo et uni et alteri negare debent locum esse applicationi canonis 15. — Si cui autem videtur: adesse solidam probabilitatem sive intrinsecam sive extrinsecam pro asserenda *dubia* acatholicorum sub can. 1088 § 1 et can. 1089 comprehensione, conformiter ad normam can. 15 negare debet, acatholicos alligatis praescriptis de praesentia et de procuratore affici; ideoque eorum « matrimonia in distans » fuisse valida.

34. Quibus omnibus attente consideratis et aequa lance ponderatis, quoad IV DUBIUM concludendum videtur: privata auctoritate illud solvi non posse, sed expetendam esse authenticam *Commissionis Pontificiae ad interpretandum C. I. C.* decisionem [1]

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

---

[1] Articulo iam conscripto et typis mandato, in A.A.S. publicatum est S. Officii responsum d. d. 18 maii 1949 quo declaratur: praescriptum can. 1088 § 1 de requisita in actu contrahendi praesentia applicandum esse etiam matrimoniis acatholicorum baptizatorum (A.A.S. 41 (1949) p. 427.

DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM
AD NORMAM DECL. AUTH. D. 27 IULII 1942

(Prosequitur).

IX - *Non in peccatum, sed in delictum fertur sanctio*

Rectissime quidem in citatis postremo rotalium sententiarum locis, quatenus (prout supra innuimus et hic repetendum ducimus) non *illicitum qua tale* lex respicere voluit ex quo nullitas ita ut unus illiciti auctor poena plecteretur, sed *irritationem sacramenti in qua stat utriusque coniugis delictum* si utrique imputandum ex dolo, vel ex culpa, uti usque ad declarationem anni 1942 interpretari fas erat.

Obstacula cuiusvis generis adversus matrimonii valorem, consanguinitas, adulterium, voluntas contra prolem (unitatem, indissolubilitatem), metus, votum, raptus etc. vetant quominus accedatur ad matrimonium citra delictum habitum quidem tale a can. 1971.

In se enim singillatim considerata huiusmodi obstacula, sive delicta in se sint, sive tantum peccata, aut mere circumstantiae personae, *formaliter differunt* a peccaminoso, *sacrilego* (seu delictuoso) *accessu ad matrimonium* cum *scientia practica* impedimenti dirimentis, vel fictionis partialis propriae aut compartis. Obstacula illa ad summum elementa dici possunt illius *facti* « cui, tanquam fundamento seu causae, proprie innitur actus a lege annullatus », in casu « *facti* cui tanquam necessarium fundamentum *innititur irritatio* [hic *inhabilitatio ad accusandum*] in determinata lege [c. 1971] statuta » (cfr. Michiels, *Normae generales Iuris Canonici*, ed. 1949 pag. 460-461). An

aliquando adnumerari possint inter « corpora delicti » disputari potest (cogita de precibus reticentibus impedimentum consanguinitatis, vel de falso documento status liberi vel baptismatis), sed ne confusio ingeratur cavendum a novitate verborum non necessaria.

In hoc vero *figimus pedem*: eo quod « factum cui innititur inhabilitatio sit factum quoddam delictuosum », inhabilitatio a lege c. 1971, prouti hodie (a. 1942) determinata, « *non incurritur nisi* ipsum factum delictuosum [= scienter celebrare matrimonium nullum] sit revera seu *obiective* positum et quidem non solummodo materialiter sed *formaliter*, qua delictum » (Michiels, *ibid.*). Unde deducit acutus doctor: « Iamvero... ut actus sit reapse delictuosus requiritur inter plura ut fuerit *scienter* contra legem prohibentem, ideoque culpabiliter positus, quare ignorantia, quae ad normam can. 2202 § 1 ab ipsa culpa excusat (i. e. ignorantia legis vel facti inculpabilis non vero ignorantia solius poenae, ibid. can. 2212 § 2) eo ipso *impedit verificationem facti, cui tanquam fundamentum necessarium* innititur irritatio [inhabilitatio] in lege statuta... » (Michiels, *ibid.*). Ad can. 1971: ultro concedimus non excusare a sanctione canonis ignorantiam poenae seu sanctionis inhabilitatis ad accusandum, quae esset ignorantia solius poenae; excusat vero a sanctione quaevis causa quae excusat a delicto, quod est « necessarium fundamentum » inhabilitatis, descriptum a lege nostra, id est « *causare directe et dolose* » *sacramenti irritationem*, vel formiter ponere unum ex tribus, quattuorve delictis iam memoratis *quae per se delicta sunt;* non enim alia est statuitio legis poenalis c. 1971 nisi « qui *dolose* (*quavis de causa*) contrahit nulliter, *privatur...* ».

Revertentes ad nullitatis matrimonii fontes recolimus: paucos et determinatos ex ipsis esse utique ex se vera delicta (raptus, adulterium etc.) *dolum proprium iam in se habentia*, ideo « sive delicta sint — diximus superius — sive tantum peccata », propter deminutam imputabilita-

tem subiectivam, vel quia, damnanda quidem in foro poli, *non puniuntur tamen qua talia in foro fori*, ex. gr. exclusio prolis, « aut etiam minime peccata sint » (circumstantiae personae, puta consanguinitatem, condicionem servilem, ordinem sacrum, impotentiam), omnes tamen *sub unica communi formalitate* relevant ad effectum canonis 1971, quatenus nullitatem matrimonii inducunt: *et hoc irritum celebrare scienter nefas est.*

Dolet proinde nos recedere debere ab opinione R. P. D. Canestri scribentis in una *Romana*, Incidentis diei 20 maii 1944 « Neque probari potest distinctio, nullo principio iuridico suffulta inter *malitiam* gignentem peccatum, et *dolum;* hoc pro postremo enim maior malitia requireretur quam pro peccato: datis elementis ad graviter violandam legem Dei *et lex poenalis pariter imputatur* ».

Respondemus: non est quaestio an in quodam illicito, quod sit *peccatum lethale*, sed *non delictum*, seu: quin a legislatore consideratum sit delictum, malitia illius peccati *maior* vel *minor* sit quam ea quae adest in alio *illicito seu inhonesto*, quod non solum peccatum lethale est, sed eodem tempore *etiam delictum* quodque proinde *dolum* exigit. Non haec est quaestio profecto! Sed: utrum legislator, ob alicuius peccati consectaria in ordinem socialem magis damnosa, peccatum illud declaraverit seu tenuerit *delictum* ac proinde poenam in ipsum tulerit (cfr. can. 2195 § 1 et Rotae iurisprudentia), licet ad Tribunal Dei quod spectat (forum internum) minorem gravitatem minoremque malitiam praeseferre possit quam supracitata peccata. Cogita de negligentia parochi in libris paroecialibus adservandis, delictum simplicis omissionis punitum canone poenali 2383, in quo facillime minor malitia adesse solet quam in violatione aliquarum legum « quibus immediate nulla additur sanctio, quarumque violatio igitur *non constituit vi iuris communis delictum*, uti v. gr. lectio librorum prohibitorum (can. 1395)... fornicatio a clerico

admissa (can. 132 § 1 etc.) ». (Michiels, *De delictis et poenis*, ed. 1934, pag. 82).

Cogita quoque ex. gr. de dehonorante patrem et matrem aperte contra ipsum decalogi praescriptum etc. Hinc respondeo distinguendo: « datis elementis ad graviter violandam legem Dei etiam lex poenalis pariter imputatur », *distinguo*: si legem illam divinam Sancta Dei Ecclesia urgendam censuit poenaliter ex. gr. abortum, *concedo*: si necessarium aut opportunum id non duxit, *nego*. Si vero sub lege aliqua poenali intrare videatur, tunc inquirendum, dispiciendumque est sub quanam formalitate quanamve mensura hoc fiat, an directe et immediate, aut indirecte seu mediate etc.

Gravitas quidem peculiaris alicuius deordinationis moralis (in qua generatim peccatum consistit) animos rectos exardescere facile facit, sinceroque zelo aliquando ita incendit ut efformatur « in animo praeoccupato et praedisposito » tale *idolum specus*, quod « frangens naturae lumen » intellectum affectu imbuat compellatque ad coërcendos improbos homines adhibitis etiam legum interpretationibus quas animo aequo ac sedato minime acceptassent: at legis peritis ac ius dicentibus, cum legislatores non sint, minime licet ius conditum immutare aut rationibus iuridico-politicis aliter interpretari quam exigunt seu manuducunt rationes stricte iuridicae verbaque ipsa legis (can. 18...).

Ulterius: « *Cum scientia practica impedimenti* » diximus superius.

Thomas Sanchez, in tractando de sacramento matrimonii facile princeps, explanat illud Tridentini (*Sess. XXIV, de reform. cap. V*) ubi S. Synodus decernit separandos et sine spe dispensationis mansuros qui dolo (« scienter »), aut culpa gravi (« solemnitates requisitas... neglexerint » unde « ignoranter »), *contraxerant* intra gradus prohibitos. Postquam cl. Doctor. dixerit non esse puniendum, iuxta suam opinionem, alterum ex coniugibus qui

sine mala fide contraxerat, eo quod « non est aequum puniri innocentem, ob alterius delictum », prosequitur: « Rogabis autem quando dicatur mala fides? Respondeo *non satis esse scientiam speculativam* qua coniux novit se accessisse ad consanguineam eius cum qua contrahere vult matrimonium, *nisi coniungatur scientia practica*, qua *sciat* inde *oriri impedimentum* ad matrimonium contrahendum... nec excludetur haec bona fides quamvis procedat *ex lata culpa* et *ignorantia culpabili*, ut tradunt Bart. l. *quod Nerva*, n. 21 *ff. depositi* etc. » (Sanchez, *De matr.* l. II disp. 40).

Nec dicatur exclusionem ex. g. prolis, aut reservationem in quadam hypothesi iuris divortendi, crimen esse in se et per se quia punitur in canone 1971. Haec enim est aperta petitio principii cum amphibologia. Unde distinguo: est crimen per se in sua specie determinata, *nego*; sub formalitate communi irritationis dolosae sacramenti matrimonii *concedo*, de se enim et per se non est nisi grave peccatum remittendum ad forum Dei.

Et probo: In primis nusquam in lege canonica de hoc crimine edicitur. Lex canonis 731 de sacramentis non ministrandis et non suscipiendis indigne (ideoque nec nulliter quod est gravissima indignitas et contemptus), utique « poenali sanctione in foro externo munitur » (Chelodi, *Ius poenale*, n. 89), attamen singula delicta in re sunt bene determinata, nec illud inter ipsa invenitur.

De matrimonio enim nulliter contracto ob impedimentum ligaminis fertur can. 2356. Equdem « Bigamia est delictum eius qui matrimonium attentat *conscius vinculi* matrimonialis quo ipse vel compars ligatur » Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, ed. 1946 vol. III, n. 558. Scienter celebrans matrimonium nullum ob disparitatem cultus plectitur can. 2375, una cum iis qui contrahunt valide, sed illicite, ob impedimentum mixtae religionis. « At hoc quoque invalidum esse potest ex alia causa, ex gr. ob clandestinitatem, aut consanguinitatem. *Criminaliter autem nihil interest* » (Chelodi, *loc. cit.*, n. 96). Hoc veris-

simum est quoad partem stricte et determinate poenalem Codicis I. C. (Libro V) unde inutile ducimus pergere in examine canonum stricte et exclusive poenalium.

Veri nominis *delictum* in sua specie determinata videre in « intentione excludendi prolem » (item dicatur pro exclusione unius vel alterius ex proprietatibus essentialibus), citra volitam ideoque cognitam irritationem sacramenti, absonum est et principiis iuris repugnat.

Etenim « nomine delicti iure ecclesiastico intelligitur *externa* et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio... » (can. 2195).

Non sufficit ergo ut adsit *lex poenalis,* non sufficit ut probetur imputabilitas actus, sed etiam requiritur ut *actus sit externus;* ideoque e conceptu delicti excluduntur legis transgressiones quae mente et corde committuntur.

Ceterum, ex Theologia morali scimus, etiam peccata distingui in externa et interna, quae postrema perficiuntur solum « potentiis animae internis » (cfr. Aertnys-Damen. *Theol. Mor.* Marietti, 1930 n. 241), quamvis omnem malitiam et omnes species actus externi induant, ut patet ex duobus postremis Decalogi praeceptis et ex verbis Christi apud Matthaeum V, 28.

Nunc age! Qui re prolem devitat legem *externe* violat, quae in sexto praecepto Decalogi continetur. Hoc est peccatum externum et delictum veri nominis constituit *vel constituere potest.* Qui autem prolem devitandam *constituit,* seu deliberate proponit tale pravum opus exsequi, peccatum quod *internum* vocatur committit.

Peccatum huiusmodi est perfectum in suo genere *statim ac adsit ipsa deliberatio consilii* et qua talis est *actus internus non attingibilis a lege poenali.*

Actus autem subsequentes quibus de facto proles impeditur, unitas violatur etc., matrimonio iam nulliter contracto *superveniunt* sicut fassio seu confessio simulantis reddita in processu canonico.

Ne confundantur igitur *indicia et media probationis*

cum ipso *facto probando*, quod per se, praecise *illicitum illud* ex quo nullitas, est peccatum internum.

Recolantur plurimae rotales sententiae quae passim loquuntur de magna difficultate probandi simulationes « cum agatur de actu interno, in mente simulantis recondito... » et similia.

Si tandem recolimus quod antea diximus: dubitandum nempe non esse de *poenali natura canonis* 1971 (re clamante, S. Rota et Gasparri testantibus) iam triumphat oratio nostra: eiusmodi *illicitum* a iure stricte poenali exulat omnino, nisi forte aliquando deliberatio delictuosa externe coeperit manifestari cum periculo sociali, v. gr. si adsit *instigatio ad delinquendum*, ut accidere potest in propositione turpis pacti contra prolem et in incitamento ad id acceptandum.

Secus nulla exstat legis *externa violatio*, nullum veri nominis delictum et proinde nulla proprie dicta sanctio poenalis irrogari potest.

Quodsi subsumatur inde nos implicite fateri *reliquas* illas *causas nullitatis* communi ratione comprehendi sub can. 1971, concedere possemus, sed ne in aequivocationem iam explosam reincidatur, repetere hic oportet distinctionem superius adhibitam: comprehenduntur reliquae omnes uti delictum in sua individua specie determinatum, *nego;* uti delictum sub formalitate irritationis sacramenti *subdistinguo*: si cum irritationis dolo poenali (aut si vis civili iuxta quosdam) *concedo;* sine dolo nullitatis, *nego* quousque invicte probetur; nam — uti supra innuimus — extra formalitatem irritationis sacramenti manent, si et quatenus gravia peccata, saepissime interna, actiones inhonestae, omnino illicitae, gravissimae deordinationes morales sicuti quaevis indigna sacramentorum susceptio. E contra, *cum dolo nullitatis,* illicitum eiusmodi *ponit nupturientem in delicto can.* 1971, sive sit ipse simulans (excludens prolem etc. sive compars illo tamen sciente et deliberate omittente se efficaciter opponere cum possit), *eodem modo* ac inve-

nitur in praefati delicti figura et imputabilitate *quisquis accedit ad nuptias conscius cuiusvis impedimenti dirimentis*: sub hoc respectu non datur differentia delicti, nec malitiae, ideo nec poenae seu sanctionis.

X - *Incongrua et pugnantia ex adversa interpretatione*

Aliter sentientes verbis ludere coguntur et ad incongrua affirmanda ducuntur immo ad absurda. Ita ex gr. omittens scienter dispensationem petere consanguinitatis sibi bene notae habilis ad accusandum esset in illorum theoria, eo praetextu quod iste impedimentum non causaverit! Quodsi auctoritate Card. Gasparri ducuntur quia hoc legitur in suo celebri tractatu *De matrim.* (ed. 1932 n. 1260) [1] salva reverentia tanti nominis, minus autem huius doctrinae, dicendum dormitasse Homerum. Utique recitabitur nobis aphorisma Baconis « Durum est torquere leges ad hoc ut torqueant homines. Non placet igitur extendi leges poenales ... ad delicta nova » (Fr. Baco a Verulamio, *De augmentu scientiae*, lib. VIII, aph. 13). Ipse enim acutus vir subiungit: « Quodsi crimen vetus fuerit et legibus notum sed prosecutio eius incidat in casum novum a Legibus non praevisum omnino recedatur a placitis iuris potiusquam delicta maneant impunita » (*ibid.*). Iamvero ipsum determinatum crimen voluntariae irritationis sacramenti minime novum est sed vetus, *quavis forma patretur*, cum stellionis more varium sit et stellionatus nomen mereri videatur (cogita de vasectomia); sed *nec dici potest nec debet a legibus non praevisum*, edicente iure quo utitur « nisi ipsi fuerint sive impedimenti sive nullitatis causa culpabilis (directa et dolosa): « Ideo distinguo: quoad casum cit. a Card. Gasparri: non est causa impedimenti, *c.*, non est causa nullitatis, *n.*, dummodo per

---

[1] Cf. supra in cap. VIII.

nullitatis vocem non intelligatur arbitrarie et immerito, ut supra demonstravimus, illicitum illud quod nullitatem trahit, sciente vel nesciente, dolose aut mere culpabiliter, ipso nupturiente, sed *intelligatur prouti verba sonant* (can. 18) *nullitas ipsa matrimonii*, matrimonium nulliter positum, enervatio delictuosa sui valoris. Tale autem delictum fieri potest actione vel omissione, uti omnibus notum est. Inde ex absurdis oppositam theoriam consequentibus, confirmatur nostra!

Partiales autem fictiones non ideo nullitates in seipsis sunt quia aliquod necessarium elementum consensui auferunt, dum nullitatem ipso facto inducunt unde sine ipsis verum matrimonium consistere nequit. Quaero etenim: num potest consistere verum matrimonium inter patrem et filiam aut inter avunculum et nepotem, num inter deceptorem et errantem in qualitate redundante in errorem personae?

In primis non omnia impedimenta sunt dispensabilia aut sanationem in radice admittunt. Numquid nobis contra sentientes dicent impedimentum proprie dictum aliquid superaddere matrimonio loco demendi seu minuendi ut in casu partialis fictionis? Lusus verborum videtur, sin minus subtilitas et quasi cavillatio *ex innato* quodam *idolo fori*...

Sit ergo conclusio huius partis: Canone 1971 fertur poena privationis exercitii naturalis iuris accusandi, vel saltem civilis sanctio sapiens poenam, iurium coarctativa, contra irritantes venerandum matrimonii sacramentum. Proprie autem et directe huius delicti *obiectum materiale* est positio impedimenti *vel* actus secumferentis nullitatem; obiectum *formale* est irritatio sacramenti.

Requiritur autem ad poenam incurrendam ut habeatur non solum obiectum materiale, sed *etiam obiectum formale*.

Indirecte tantum obiectum legis (delicti in quod lex) sunt *singula quoque illicita, nullitatem seu irritationem quomodocumque inducentia.*

XI - *De vera coarctatione ambitus legis post decisionem P. Comm. Int. Cod. diei 27 iulii 1942*

Ut supra large exposuimus, tum in hypothesi delicti poenalis, tum delicti civilis, culpabilitas inducens imputabilitatem iuridico criminalem (et si vis iuridico-civilem) duplicem habet fontem, *dummodo lex coarctativa non restringat ad unum*, seu primum tantum, *altero* ex indulgentia legislatoris *expresse praetermisso*:

Primus fons: *dolus* (proprii nominis). Aliquis directe intendit matrimonium facere nullum ad solvendum nempe pro lubitu ingratum vinculum (dolus specificus), vel scivit utcumque et libere admisit nullitatem suae pravae voluntati actionique consequentem (dolus genericus) ideo voluntarium directum et in se in utroque typo dolosae actionis.

Alter fons imputabilitatis in delictum: *culpa gravis*: negligentia, ignorantia graviter culpabilis. Culpabiliter quis neglexit attendere ad *causalitatem virtualem antiiuridicam* suae actionis (suae actionis inquam reticendi impedimentum, aut excludendi ex gr. prolem, vel unitatem) ex qua ipso inscio, sequebatur nullitas coniugii (voluntarium *in causa*, seu *indirectum*).

Doli specifici exemplum e vita practica et reali (teste infrascripto) sumptum: Ait quidam: « Cum ambulatoria sit humana voluntas ego nupturiens, minime firmitati voluntatis meae fidens, matrimonium solubile contraham ad hoc ut illud possim accusare coram Tribunalibus catholicae Ecclesiae ut sententiam nullitatis aliquando obtinere valeam, sicuti varias ob causas obtinuerunt aliqui ex amicis meis et in ephemeridibus perlegi fieri frequenter ».

Doli generici exemplum « Edoctus ab ephemeridibus (ex. gr. « Europeo » « Oggi » et similibus) quae prae manibus plurimorum virorum et mulierum sunt, vel etiam ex disputationibus in politicis conventibus (« Parlamento ») etc., Ecclesiam non tenere validum matrimonium initum

cum voluntate vitandi prolem, (aut inter consobrinos nuptias iure concordatario non consistere) bene percipio me in paribus circumstantiis non rite contrahere, attamen ob difficultates oeconomicas, vel ob morbum, prolem mea ex parte vitandam esse censeo (aut temporis defectu urgente ad celebrandas nuptias proximis diebus opportunum duco reticere consanguinitatem, ne ad obtinendam dispensationem tempus teratur cum dubio exitu)... Deus autem in posterum providebit ». (Praevisio nullitatis; ergo dolus, quamvis non specificus).

Exemplum *culpae gravis*. Nupturiens ait: « Pater Paulus amicus noster quem nuptiis benedicturum vocavi enixe me rogavit ut ad parochum me conferrem ad quandam licentiam scripto vel saltem oretenus pro ipso obtinendam, aliter ipse vetatur sacrum pro me facere, at pluribus intentus cum sim in istis diebus, *nolo tempus terere in hac re,* quidquid est de his Ecclesiae praescriptionibus seu vetitis ». Item qui districte et severe monitus de necessitate patefaciendi condiciones nuptiis forte appositas, has reticuit ne a parocho obiurgaretur. Re quidem vere ipse *omnino ignorans matrimonium inde fieri nullum,* seque *non ad verum matrimonium* pergere *sed ad putidum concubinatum,* condicionem apposuerat quae, de facto, nutans relinquit coniugium: « si perfecte sanatus es a morbo » (de praesenti cum purificationis probatione in futuro) vel: « si separatim a socru cohabitaturi sumus »; « si prolem mihi dare potes, seu dabis » et ita porro.

Ignorantia graviter culpabilis, gravis diligentiae omissio: voluntarium indirectum in nullitatem faciunt irritationis delictum, imputandum nupturienti *ex altero fonte imputabilitatis delictorum,* prout edicitur in canone 2199. Aliis verbis: *voluntarium in causa,* causalitas culposa irritationis matrimonii, non autem dolosa, deficiente (licet culpabiliter) notitia nullitatis, ideoque absente directa voluntate, *quae in ignotum non fertur.*

Huic principio concinit Divus Thomas scribens: « Si

in eodem actu aliquid sit ignoratum et aliquid scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id quod est scitum, *semper tamen est involuntarium, quantum ad id quod est ignoratum* » (2 sent. d. 41, q. 2, a 1 ad 3).

Non ideo S.tus Thomas voluntarium indirectum eiusque imputabilitatem denegat seu excludit, sed ad rectos limites reducit: « ignorantia enim non excusat actum sequentem *a toto*, sed *a tanto* » (*De Malo*, q. 3, a 8).

Hinc quaerimus: Cum Legislator noster edixit repellendos esse ab accusando matrimonio eos tantummodo, qui *A*): voluntate directa et dolosa causaverint impedimentum; aut *B*): Voluntate directa et dolosa causaverint nullitatem, quid intellexit? Exclusitne a sanctione incurrenda eos, qui *totum voluntarium* non ponebant (ex eorum ignorantia seu inadvertentia), *aut etiam* inclusit qui, licet excusarentur a toto, *non autem excusabantur a tanto*? Aliis verbis quantum voluntarietatis maleficii exegit, ut de directa et dolosa causalitate arguendi sint? Censemus ex dictis Legislatorem postrema lege, poenam seu sanctionem prohibitionis accusandi, reservasse *toti*, excusasse vero seu dimisisse *voluntarium in tanto*, seu indirectum (*culpabiles in causa*). Ideo dixit copulative: « directe et dolose ».

De duplici nullitatis fonte ferenda est conclusio firma, quae aperte iam videtur sequi ex deductis:

A - De impedimentis seu de nullitatis fontibus quae *delictum ex se et in se sunt*, sensu enucleato, id est *aut* 1° in origine qua factum delictuosum, cui innititur nullitas; *aut* 2° per accessum vetitum ad sacramentum, *delictum fiunt specificum*: Dubitandum iuxta quosdam adhuc esset saltem de typo 1°, iuxta Roberti (*Apollinaris*, 1933, n. 4 pag. 443-444) quatenus in ipsis quoque requireretur ut « actionem illicitam (ex qua impedimentum) quis fecerit in ordine ad matrimonium ». Exemplificatur per delictum sese mutilantis (c. 2354) « Impotentia tantum directe et libere provocata in ordine ad nullitatem celebrandi matrimonium iure agendi privat ». *Nostra autem submissa sed firma opi-*

nione censemus: Ubi impedimentum est ex se delictum, sive tale sit in radice etc. uti supra, sive in accessu cum tali impedimento ad sacramentum (quod hodie accusatur a delinquente), *iam dolus habetur* seu praesumitur (can. 2220 § 2), ideoque adest *voluntas directa delictum eiusmodi ponendi,* quod necessario secum trahit nullitatem ab ignorantia non excusatam (can. 16), unde completur condicio malitatis (directum dolum) lege determinatae, ita ut poena inhabilitationis canonis 1971 sic et simpliciter plectatur contrahens sacrilege.

Nec immerito: impedimenta ex delicto semper in ordine ad matrimonium sunt, uti de cetero omnes nullitatis fontes, *attamen hoc peculiare habent impedimenta delictuosa* seu *criminosa* (in essendo, vel in operando): quod *iam proprium exigant contineantque dolum,* ita ut etiam a benignitate maxima legislatoris, nunc in lege expressa, dici debeant exclusa, *ideo in hoc ambitu poenali inclusa,* ac proinde ex se sufficientia ad incurrendam sanctionem canonis 1971. Qui dolus in maleficiis, et *in hoc facio vim,* ut concivis mei Synbaldi Flisci verbis utar (*Apparatus super quinque decret.* lib. IV, 7, c. 1), qui dolus *in maleficiis,* inquam, satis est ad auctorem suum excludendum ab indulgentia interpretationis, ne e dolo suo — *vero* (tecnice) *dolo!* — commodum reportet delinquens, talis habitus iam a canonibus 2356; 2353; 2375; 2354.

B - De aliis nullitatis fontibus iam diximus requiri dolum nullitatis atque conclusionem clarissimo Patri I. Creusen proferendam relinquimus:

« Causa sive impedimenti, sive nullitatis intelligitur directa et dolosa » (Decis. 27 iulii 1942). Est causa directa nullitatis qui eam (nullitatem) actione vel omissione intendit». (Vermeersch-Creusen, *Epitome iuris can.*, ed. 1946, vol. III n. 286).

Pergit auctor « utrum debuerit eam positiva actione producere an sufficiat eam omissione non impedire, disputatur ». Pro nobis ut diximus, nullum dubium; *etiam non*

impediens, cum hoc faciat *dolo nullitatis* iam *non est doli expers,* aliter et legem sine causa enervamus et in verborum superstitione incidimus; ulterius confirmatur exinde delictum lege perculsum non esse singulas causas seu fontes nullitatis, sed *accessum ad matrimonium nullum.* Hoc unum et semper rei publicae interest.

Prosequitur P. Creusen: « D o l o s a causa non idem est ac culpabilis. Verbum enim cum in odiosis versemur, stricte sumendum videtur et negligentiae etiam gravi opponitur. Dolosa causa est nullitatis qui s c i e n s s e c o n t r a l e g e m a g e r e nihilominus impedimentum vel nullitatem, libere procurat. E textu responsi com. interpr. coniux, ut iure accusandi privetur debet esse causa tum directa, tum dolosa » (ibid.). Unde confirmatur conclusio: *Sine dolo veri delicti irritantis matrimonium, aut sine dolo intendendi nullum seu irritum coniugium, quavis alia de causa id sequatur* (quod est *scienter* legem violare de non profanando, de non abiciendo sacramento), non contrahitur inhabilitas ad accusandum.

Vix ducimus respondendum iis, qui « dolum in re ipsa » sufficientem haberent ad incurrendam sanctionem, dictio enim illa veteris iuris contractus civiles (privatos) respicit (dolus in contractibus) et non sine multis limitationibus quoad extensionem et vim.

Iuvat hic referre quid sentiat de relatione inter ius privatum et publicum in re matrimoniali et praecise quoad dolum, Aurelianensis doctor utrumque ius optime callens, lumen iuristarum totius Europae saec. XVIII, *Robertus Iosephus Pothier* super cuius mente fundatur legislatio civilis moderna:

« Chacune des parties, qui ont contracté mariage, peut intenter contre l'autre la demande en cassation de mariage, lorsqu'elle prétend qu'il y a un empêchement dirimant qui le rend nul.

Cette demande peut être intentée, même par celle des parties qui a trompé l'autre, en lui cachant un empêche-

ment qui le rend nul. Par exemple si un engagé dans les ordres sacrés, ou dans l'état de religion par des voeux solennels, s'est marié à une femme à qui il a caché son état, qui n'était pas connu dans le lieu où il faisait depuis longtemps sa résidence, ce prêtre ou ce moine est reçu à intenter contre la femme qu'il a trompé, la demande en cassation de leur mariage.

On opposera les maximes « Nemo audiri debet propriam allegans turpitudinem »; « Nemo ex proprio dolo consequi potest actionem », et autres semblables. La réponse est, que *ces maximes n'ont d'autres objets qu'un intérêt particulier du demandeur*: mais la demande, qu'une partie forme en cassation de mariage, *quoique ce soit par son dol* qu'il a été contracté, a, outre l'intérêt du demandeur, *un objet d'honnêteté publique*, qui serait blessée, *si on laissait subsister un mariage que l'honnêteté publique et les lois ne permettent pas de laisser subsister*; et cette *raison d'honnêteté publique* doit faire *admettre la demande* » (Pothier R. I., *Oeuvres*, Bruxelles, 1831, tom. III, Traité du contrat de mariage, n. 443).

Haec quidem accipienda sunt cum temperamento: habemus enim in primis Promotorem Iustitiae et adsunt quoque *exigentiae quaedam supremae ordinis publici*. Utrumque vero considerasse censendum Legislatorem cum anno 1942 ambitum poenalis legis, quae *ad perpetuam continentiam* sat multos damnaret, coarctatam voluit in bonum animarum et consequenter ad proventum totius Ecclesiae Christi vocantis oves suas universas ad portum aeternae salutis.

Quidam autem, quasi perterriti a benignitate Sanctae Matris Ecclesiae — quae miseris peccatoribus subvenire, quousque potest seu usque ad limites a iure divino vel a supremis ordnis publici exigentiis permissos, aperte voluit decisione an. 1942 — subtiliter detorquere legem videntur ad reos torquendos, cum intellectis *lato sensu*, sive delicto, sive poena, sive impedimento, sive dolo ... invenire iam

censent directum dolum impedimenti (late dicti) vel nullitatis, in quovis voluntario facto ex quo nullitas, etiam ignorata irritatione seu radicali profanatione sacramenti inde sequente, argumento utique politico nisi.

Verum subtiles doctores ostendere invicte deberent inter alia, quomodo dolus indirectus distinguatur a culpa gravi, quae hic certe non sufficit (« ex codice nostro dolus est semper directus » ait Roberti, *De delictis et poenis*, vol. I, pars I n. 65, id est: « *cum cognitione legis et praevisione effectuum* », ibid. n. 64). Effectus autem antiuridicus a lege prohibitus et perculsus non est mera culpa moralis, si verba sensum retinent, sed dolosa irritatio matrimonii seu sacrilega confectio sacramenti cum conscientia nullitatis; vel saltem cum formali delicto alicuius ex illis impedimentis dirimentibus *quae delictum ex se sunt*, formaliter quidem et non mera culpa gravi sed *suo proprio dolo*, patrata.

In utroque typo, nullibique aliter, stat voluntarium in se (*directum*), sicut stat *verus « dolus »*. Diffuse in cap. VIII superius haec omnia exposuimus. Secus, aut dolus *lato sensu* interpretari cogeremur, quod non licet in lege qua utimur (c. 18), *nec opus fuisset novae interpretationis* seu decisionis a. 1942 *postquam declaratum iam esset authentice* requiri *culpabilitatem;* aut petitio principii, quae fallacia est, nullimode vitaretur cum minime demonstratum sit ex adverso quod « illicitum quodcumque inducens nullitatem (citra delictum specificum et veri nominis) » sufficiat ad sanctionem illam gravissimam incurrendam, pro qua hodie ex voce legislatoris requiritur ut causetur *directe* et *cum dolo* agentis.

XII - *Doctrinae translatio in quoddam factum.*

Prolem exclusit Magdalena terrore filiorum commota testante teste credibili; mortem pertimescens ideoque ad

hanc vitandam primum conata est sponso valedicere, dein, moerens, filiis renunciavit. Peccavit formaliter, fatetur ipsa; excusationes non emendicat, nec nos ius veritatemque detorquemus ad innocentem fingendam. (Item afferuntur textus ex actis ad probanda haec asserta).

Minime vero voluit facere matrimonium nullum, id est nullitatem non intendit sed *neque suspicata est.* Testes quoque hoc evincunt. Longe probabilius, si sacramenti irrationem cognovisset matrimonio contrahendo firmius et pro semper renunciasset, uti iam abrenuntiare constituerat. (Item afferuntur textus, uti supra).

Actrix attigit quidem obiectum *materiale* delicti perculsi canone 1971, sed tale obiectum *haud* attigit *sub ratione formali* praefati delicti iuxta ea quae supra enucleavimus (cap. VIII *de S. Rotae interpr. etc.*).

Ergo iuxta postremam legis interpretationem authenticam dicendum est actricem, etsi moraliter sit culpabilis, *non prohiberi ab accusando suo matrimonio,* eo quod hodie certum sit (sin minus in dubio tenendum ex c. 19; 15; 6, n. 2, 3, 4) *legem eos tantum privare iure accusandi* qui *aut* posuerint formaliter unum ex memoratis specificis delictis, *aut* nullitatem ipsam directe intenderunt vel saltem *praeviderunt.* Misericordiam autem maximam ostendit pia mater Ecclesia erga ceteros in re matrimoniali peccatores, seu errantes, ita ut viro, suam quidem ob culpam, *citra tamen aliquem verum et directum dolum,* ex irrito vinculo nexo « liceat (ei) legitimam in coniugio uxorem accipere, similiter et mulieri, quae tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis (et adulterii) non perducatur ad chaos » (Nicolaus Papa, c. 16 *Si quis cum duabus,* C. XXXIII, quaest. II).

Romae, die 28 februarii 1949.

IOANNES PENDOLA, *S. R. R. Promotor Iustitiae*

MONUMENTA

22. - SS. D. N. Pius Pp. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE SACRIS PALAESTINAE LOCIS.

(*A.A.S.* XXXXL. [25 Apr. 1949] p. 5)

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Redemptoris nostri cruciatus, qui per sacrae huius hebdomadis dies veluti praesentes oculis proponuntur nostris, christianorum mentes summa reverentia affectas ad Terram illam convertunt, quae providentis Dei consilio Incarnati Verbi patria delecta fuit, et in qua Christus Iesu terrestrem suam vitam traduxit effusoque sanguine diem obiit supremum.

In praesens tamen, dum Sacra ea Loca incensiore pietate recolimus, acerrima anxitudine animus oppletur Noster, ob difficiles eorum atque incertas condiciones.

Iam superiore anno, semel iterumque datis Litteris, vehementer vos, Venerabiles Fratres, adhortati sumus, ut publicae ab omnibus haberentur preces, quibus et conflictationis finis impetraretur, quae Terram illam humana caede vastabat, et res inibi ad iustitiae normas ita compone-

rentur, ut plena catholicorum libertas in tuto poneretur, simulque sacerrima ea Loca sarta tectaque servarentur.

Quandoquidem autem dimicationes hodie cessavere, vel saltem, ob pactas recens inducias, intermissae sunt, maximas Deo grates ex animo agimus, ac valde eorum probamus operam, qui nobili nisu ad pacem conciliandam adlaborarunt.

Attamen, quamvis iam debellatum sit, nihilo secius multum abest ut ordinis tranquillitas in Palaestina plane restituta sit. Namque adhuc ad Nos ab iis questus deferuntur, qui iure meritoque sive sacras aedes atque imagines beneficentiaeque domicilia profanata deplorant, sive pacificas religiosarum sodalitatum domos dirutas commiserantur. Plurimi adhuc ad Nos misere clamant, cuiusvis aetatis, cuiusvis condicionis profugi, qui ob calamitosum bellum ad exteras regiones coacti sunt, atque adeo in custodiae locis exsulem vitam agunt, inopiae, morborum contagioni omneque genus periculis obnoxii.

Haud Nobis incompertum est quantopere vel publica instituta vel provati cives contulerint ad aerumnosae huius multitudinis sortem relevandam; ac Nosmet ipsi in illis caritatis inceptis perseverantes, quae inde a suscepto Pontificatu inivimus, quidquid pro facultate potuimus non praetermisimus, ut gravioribus infelicis eiusmodi multitudinis necessitatibus consuleremus.

At horum exulum status tam anceps tamque instabilis est, ut diutius idem protrahi nequeat. Dum igitur auctores omnibus sumus, quotquot magno nobilique sunt animo, ut his extorribus maerore atque inopia affectis auxiliari pro viribus velint, vehementer eos appellamus, quorum res est, ut iustitia praebeatur omnibus, qui belli turbine longe a patriis laribus expulsi, nihil magis percupiunt quam tranquillam iterum ducere vitam.

Hoc Nos per sanctos hos dies maxime optamus, unaque Nobiscum christiani populi universi optant, ut tandem aliquando pax ibi effulgeat, ubi qui a sacris vatibus « Prin-

ceps pacis »[1] atque ab Apostolo gentium Pax ipsa[2] renuntiatus est, aetatem degunt suumque profundit sanguinem.

Quam quidem solidam verique nominis pacem Nos etiam atque etiam implorare numquam destitimus; utque quam primum maturaretur ac firmaretur, per Encyclicas Litteras « In multiplicibus » iam asseveravimus: « opportunum nempe omnino esse ut Hierosolymae ac vicinitati, ubi Divini Redemptoris vitae ac mortis veneranda servantur monumenta, regimen tribuatur « internationali » iure statutum ac solidatum, quod in praesentibus rerum adiunctis satius aptiusque videtur sacra eadem monumenta tueri posse »[3].

Facere autem non possumus quin eandem heic asseverationem iteremus, eo etiam consilio ducti ut filiis Nostris incitamento sit: ipsi nempe ubicumque commorantur iusta quavis ratione dent operam, ut publici Civitatum moderatores iique omnes, quorum est tanti momenti causam dirimere, sibi persuadeant Hierosolymae eiusque viciniae iuridicum tribuere statum, cuius stabilitatem, in hisce rerum condicionibus, coniunctio tantum atque conspiratio Nationum, pacem amantium iuraque observantium aliorum, tutam firmamque reddere possunt.

At praeterea necessarium omnino est debitam incolumitatem ac tutelam cunctis sacris Palaestinae Locis sancire, quae non solum Hierosolymae sed in ceteris quoque regionis illius urbibus atque pagis habentur.

Horum non pauca ob bellicas vicissitudines vastationesque gravia discrimina ac detrimenta perpessa sunt. Oportet igitur eadem — cum tam magna religionis monumenta cuique veneranda servent, christianorumque pietatem nutriant ac foveant — consentaneo modo muniantur

---

[1] Is., 9, 6.
[2] Cfr. Eph., 2, 14.
[3] A.A.S. 1948, p. 435.

ac certo iure, quod « internationalis » pacta consensio corroboret.

Novimus profecto filiis Nostris in flagrantissimis votis esse illuc ex more tradito iterum peregrinari, unde res fere ubique perturbatae eos iam diu prohibuere. Quae quidem vota incensiora facit piacularis, qui instat, annus, quod per illius temporis decursum par est christifideles magis cupere Terram eam invisere, quae divinae redemptionis veluti theatrum fuit. Ac faxit Deus ut huiusmodi optata quam primum effecta dentur.

Attamen ut id feliciter eveniat, opus profecto est ea omnia decernere, quibus libere peregrinantibus liceat sacra illa adire aedificia; suam quisque pietatem palam nulloque impedimento profiteri; atque illic remotis periculis remotaque formidine commorari. Neque iniuria vacare arbitramur, si iidem regionem illam cernant indignis ludicris vitiorumque oblectamentis profanatam; quod sane Divinum Redemptorem christianorumque conscientiam offendit.

Valde praeterea optamus ut quae plurima in Palaestina sunt indigentibus adiuvandis, educandae iuventuti, hospitibus excipiendis catholica instituta, eadem possint, ut aequum est, nullis praepedita repagulis, operam praestare suam, qua anteactis temporibus tam bene merita sunt.

Neque silentio praeterire volumus iura omnia incolumia servanda esse quae catholici a multis iam saeculis in Sacra illa Loca adepti sunt ac strenue iteratoque defenderunt, quaeque Decessores Nostri sollemniter efficienterque asseruere.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, ad quae Nobis in animo erat mentes vestras convertere.

Facite igitur ut christifideles, vestrae sollicitudini demandati, Palaestinae condiciones maiori in dies curae habeant, et sua vota suaque iura Civitatum rectoribus palam affirmateque declarent. At praecipue instando precandoque ab eo opem impetrent, qui homines Nationesque modera-

tur. Utinam Deus mundum universum atque imprimis Terram illam Incarnati Verbi cruore irroratam benignus aspiciat, ut odia simultatesque Iesu Christi caritas evincat, quae una potest tranquillitatem ac pacem afferre.

Caelestium interea munerum sit auspex Nostraeque voluntatis testis Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, gregique cuiusque vestro, amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XV mensis Aprilis, feria sexta in Parasceve, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII.

23. - SS. D. N. Pius Pp. XII

ALLOCUTIO

Summus Pontifex coram multitudine puerorum, die quinquagesimo natali Eius Sacerdotii Veneratissimo Patri hosanna canentium, haec verba fecit *.

(*A.A.S.*, XXXXI [25 Apr. 1949] p. 177).

Siate i benvenuti, cari bambini e bambine! Noi Ci auguriamo che vi troverete perfettamente a vostro agio in questa festa di famiglia, qui a pochi passi di distanza dal luogo ove, dopo il suo glorioso martirio, fu sepolto il Principe degli Apostoli.

Sia questo per voi un giorno di letizia e di ringraziamento al Signore, per voi, piccoli amici di Gesù, a cui Egli ama di confidare i suoi segreti, le sue brame, per la pace delle vostre famiglie, della vostra cara patria e della grande famiglia umana. Voi siete venuti per dirCi, a nome vostro e di tutti i bambini d'Italia e del mondo, che siete

* Habita die 2 Aprilis mensis a. 1949.

sempre pronti ad ascoltare la voce divina di Gesù, perchè Egli vi ama e parla giorno per giorno ai vostri cuori.

Voi avete certamente appreso dai vostri buoni Maestri come S. Giovanni Apostolo ed Evangelista, giunto alla estrema vecchiaia, soleva rivolgere ai suoi fedeli sempre le stesse parole: Figliuoli, amatevi l'un l'altro.

Era abbastanza; era tutto. Tutti i libri e i catechismi, tutti i discorsi di sacerdoti, dall'altare, nel confessionale, attraverso la radio, non potrebbero dirvi nulla di più perfetto. Questo: Cari fanciulli, amatevi l'un l'altro, come Gesù vi ha amati.

Giovanni, il discepolo prediletto, aveva lavorato per lunghi anni, si era affaticato per Cristo, aveva sofferto per Lui. Ma il ricordo che aveva conservato come il più caro e il più sacro, dopo avere, durante l'ultima cena, posato il capo sul petto del Redentore,[1] era la memoria dell'amore di Gesù: il suo amore per noi, il nostro amore gli uni per gli altri, con la sua grazia e per il suo amore.

Come dunque potremmo Noi meglio celebrare oggi questa festa di famiglia con voi che ricordando quel messaggio di Giovanni, messaggio che nessun Papa può mai dimenticare e nessun fanciullo può mancar di comprendere: Amatevi l'un l'altro?

Perchè? Voi lo sapete. Voi lo avete appreso dal cuore e dalle labbra di Gesù.

Non è forse vero che Gesù ama ogni fanciullo e ogni fanciulla, che vengono in questo mondo, ovunque il loro padre, la loro madre, i loro sacerdoti o maestri possano essere, e qualunque sia il colore della loro pelle, bianco o nero o giallo?

Vi sono forse fanciulli o fanciulle che Egli non abbia amati, o per i quali non sia vissuto e morto, in qualsiasi luogo si trovino sotto l'azzurro firmamento, nelle grandi città, nei villaggi, nei piccoli poderi, nel deserto, nella junglá, nelle nevi nordiche?

---

1 Io., 21, 20.

Veglia ora Gesù su di loro e li ascolta e li vuole salvi, qualsiasi la lingua dei loro libri scolastici, i loro discorsi, i loro canti?

Ricorda Gesù sempre, anche quando sembra dimenticarlo, che il Regno dei cieli è aperto ad ogni fanciullo e ad ogni fanciulla, e che l'immagine di Dio è nelle loro anime, e il suo sangue è la loro divina medicina, il suo corpo il loro soprannaturale nutrimento?

Non è forse vero che l'amore reciproco spinge i fanciulli e le fanciulle più fortunati a venire in soccorso di tanti e tanti bambini, che dovrebbero crescere anch'essi sani e felici, ed invece cadono vittime delle malattie e della fame, che non hanno un tetto per ripararsi, nè abiti per coprir i loro fragili corpicini, e forse nemmeno un padre e una madre che abbiano cura di loro?

Sì, cari bambini; voi avete ora compreso ciò che fa oggi il cuore del Papa così ardente e felice in mezzo a voi.

Voi desiderate adesso la Nostra Benedizione per voi, per i vostri genitori, per i vostri fratellini e le vostre sorelline, per i vostri maestri e le vostre maestre, per tutti i bambini e le bambine del mondo.

Con paterna gratitudine per il vostro saluto e per i vostri doni, Noi ve la impartiamo, questa Benedizione, di tutto cuore. Sia essa la miglior testimonianza del Nostro amore per voi, della Nostra speranza in voi. Possa essa aiutarvi a mantenervi sempre puri e ad apprendere e ad attuare la parola di Gesù ai suoi piccoli amici di ogni terra e di ogni lingua!

24. - SS. D. N. Pius Pp. XII

HORTATIO

Ad Parochos urbis et concionatores sacri Temporis quadragesimalis *.

(*A.A.S.*, XXXXI [25 apr. 1949] p. 182).

Il santo tempo quadragesimale vi ha riuniti ancora una volta intorno a Noi, diletti figli, desiderosi di ascoltare i Nostri consigli e di ricevere la Benedizione Apostolica per la vostra attività sacerdotale fra i fedeli affidati alle vostre cure.

Dubiteremmo Noi di accogliervi oggi con un cuore almeno alquanto alleggerito in confronto degli anni scorsi? Non già quasi che l'ora presente imponga al Clero in Italia doveri meno ardui e meno gravi di conseguenze. E tuttavia, se riandiamo col pensiero al corso di questo ultimo decennio, possiamo dire con un certo sollievo: La guerra è cessata; le piaghe morali, che nei primi tempi del dopoguerra sfiguravano il volto del nostro caro popolo, sono state in buona parte curate e la sua fisonomia appare già più normale. Ricordate anche l'ansietà che stringeva i cuori l'anno passato a questa stessa data: quale sarebbe stata la manifestazione della volontà del popolo italiano verso il fondamento cristiano della sua civiltà?

Il difficile passo fu felicemente varcato, ed umili azioni di grazia si elevano ancora alla Provvidenza divina per il suo misericordioso intervento.

Ma anche a voi, diletti figli, va la Nostra gratitudine; gli ultimi dieci anni di azione pastorale in Roma dicono infatti una grandiosa somma di lavoro, di zelo, di abnegazione, di coraggio, e, massime nelle parrocchie della pe-

* Data die 23 Martii mensis a. 1949.

riferia, di atti spesso eroici per la causa di Cristo e la salute delle anime. Ed ecco che ora un'altra circostanza solleva i nostri spiriti e sembra dar loro le ali: Roma si prepara all'Anno Santo, che, secondo le comuni previsioni, condurrà alla eterna Città numerosi gruppi di fedeli da quasi tutti i Paesi del mondo. La preparazione materiale e organizzativa è in pieno sviluppo. Ma assai più importante è che cammini di pari passo la preparazione spirituale a quell'anno di perdono, di grazia e di salvezza. Agli sforzi che già lodevolmente si compiono a tale scopo debbono cooperare tutti coloro che hanno la cura ordinaria delle anime.

Senza dubbio anche le opere straordinarie nelle loro molteplici forme di zelo sono utili, anzi indispensabili; specialmente oggi, di fronte all'indifferenza religiosa e all'ateismo, un vastissimo campo è aperto al loro esuberante fervore. Nè vi è pericolo che questo apostolato straordinario sia stimato al di sotto del suo valore; si ha invece non di rado l'impressione che tale stima possa andare troppo oltre, non senza qualche danno della cura ordinaria delle anime, cui sopra accennavamo.

Questa invero rimane sempre l'elemento principale e fondamentale dell'apostolato, almeno là ove le istituzioni ecclesiastiche hanno messo salde radici e le condizioni religiose sono in qualche modo normali. Sempre e in ogni caso sarà necessario d'insegnare la dottrina della fede ai parrocchiani, giovani e vecchi, ma soprattutto ai bambini e agli adolescenti; sempre i fedeli dovranno trovarsi insieme la domenica per assistere al santo Sacrificio; sempre bisognerà amministrare loro i santi Sacramenti. E poichè parliamo della cura d'anime, Noi pensiamo qui specialmente al Sacramento della Penitenza, che richiede nel sacerdote una vita assolutamente esemplare, unita al senso di responsabilità, alla chiarezza e alla sicurezza del giudizio, al dominio di sè, alla prudenza del tatto. Sempre altresì poveri e bisognosi busseranno alle porte della chie-

sa; sempre vi saranno malati da assistere e da confortare con gli ultimi Sacramenti, sempre defunti per cui si avranno da celebrare le esequie: sempre il sacerdote dovrà trovare il tempo per i colloqui personali coi suoi parrocchiani, e sempre la direzione delle organizzazioni e delle associazioni cattoliche esigerà da lui dedizione e pazienza, anche quando egli potrà affidare ai suoi collaboratori laici quegl'incarichi che questi sono in grado di adempire non meno bene di lui.

Tutto ciò è ministero ordinario. Esso è meno appariscente degli atti straordinari e delle grandi manifestazioni; è lavoro di tutti i giorni; si compie silenziosamente e passa spesso inosservato. Eppure dovrebbe in ogni tempo agire nel modo il più possibile perfetto, anche e precisamente al presente, poicnè tutte le anime che le attività straordinarie guadagnano a Cristo o formidabili eventi conducono a Lui, debbono finalmente rientrare anch'esse nella cura ordinaria continua e profonda. Questa deve dare a tutti la sicurezza di essere accolti fra le braccia materne della Chiesa; per suo mezzo principalmente la Chiesa adempie l'ufficio di annunziare Cristo e di ammaestrare e guidare ogni uomo, affine di condurre tutti alla perfezione in Cristo Gesù [1].

Ora dunque al centro della preparazione dei fedeli all'Anno Santo parecchi parroci hanno posto la Messa per gli uomini. In questa Messa, che aduna la domenica gli uomini della parrocchia, essi dischiudono loro la sostanza e il senso della santa liturgia. Il primo frutto di tale pratica è di far loro prendere parte in una maniera cosciente e personale al divino Sacrificio dell'altare. Ma questa partecipazione deve avere una eco, una risonanza nella vita quotidiana; perciò quegli zelanti pastori insegnano loro ad unire al sacrificio di Cristo i loro propri sacrifici, di

---

1 Cfr. *Col.,* 1, 28.

cui la professione della fede e la condotta cristiana offrono durante la settimana abbondanti occasioni.

Noi lodiamo una tale usanza nel suo spirito e nel suo metodo. Essa pone il Sacrificio della Messa al suo vero posto, al cuore stesso della vita e di tutta l'attività dei vostri uomini. E' già molto confortevole di vederli seguire devotamente la liturgia della Messa, soprattutto quando si pensa alla indecorosa ignoranza di tanti circa un mistero così sublime.

Tuttavia è di somma importanza il considerare gli effetti che dalla Messa per gli uomini si irradiano anche nel campo ecclesiastico e civile.

Infatti

1) Istruiti e abituati a venerare e ad amare il santo Sacrificio della Messa, i vostri uomini diverranno facilmente uomini di preghiera e faranno della loro famiglia come un santuario di preghiera. E ciò è strettamente necessario. Chi potrebbe negare che lo spirito di orazione va diminuendo, mentre lo spirito del mondo guadagna terreno fino in seno a famiglie, che pretendono di rimanere cattoliche e fedeli a Cristo? Se la crociata per la preghiera in famiglia è accolta con fervore in altri Paesi; se perfino noti attori del più grande centro cinematografico del mondo si sono messi al servigio di una causa così santa; come potrebbero i cattolici della Città eterna rimanere inferiori?

2) Gli uomini, che si applicano seriamente a penetrare il senso e la portata del Sacrificio della Messa, non possono mancar di avvivare in loro stessi lo spirito di dominio di sè, di mortificazione, di subordinazione delle cose terrene alle celesti, di assoluta obbedienza alla volontà e alla legge di Dio, specialmente se voi avrete cura d'inculcare loro tali sentimenti. E' questo un bisogno dell'ora presente, non meno del rinnovato zelo per la preghiera, poichè oggi molti — tra i quali è doloroso di veder anche non pochi cattolici — vivono come se il loro solo fine fosse

di formarsi un paradiso sulla terra, senza alcun pensiero ai novissimi, all'al di là, alla eternità.

La tendenza naturale dell'uomo caduto verso le cose terrene, la sua incapacità di comprendere le cose dello Spirito di Dio, [2] è purtroppo favorita ai giorni nostri dalla complicità di tutto quanto lo circonda. Spesso Dio non vi è negato, nè ingiuriato, nè bestemmiato; Egli è come assente. La propaganda per una vita terrestre senza Dio è aperta, seduttrice, continua. Con ragione si è osservato che generalmente, anche nei « films » indicati come moralmente irreprensibili, gli uomini vivono e muoiono come se non vi fosse nè Dio, nè la redenzione, nè la Chiesa. Noi non vogliamo qui mettere in discussione le intenzioni; non è però men vero che le conseguenze di queste rappresentazioni cinematografiche neutre sono già estese e profonde. Si aggiunga poi la nefasta propaganda deliberatamente voluta per la formazione della famiglia, della società, dello Stato senza Dio. E' un torrente le cui acque fangose tentano di penetrare fin nel campo cattolico. Quanti ne sono stati già contaminati! Con la bocca essi si professano ancora cattolici, ma non si accorgono che la loro condotta smentisce coi fatti quella professione.

Non vi è dunque più tempo da perdere, per arrestare con tutte le forze questo sdrucciolare delle nostre proprie file nella irreligiosità e per risvegliare lo spirito della preghiera e della penitenza. La predicazione delle prime verità della fede e dei fini ultimi non solo nulla ha perduto della sua opportunità ai nostri tempi, ma anzi è divenuta più che mai necessaria ed urgente. Anche la predica sull'inferno. Senza dubbio si deve trattare un simile argomento con dignità e con saggezza. Ma quanto alla sostanza stessa di questa verità, la Chiesa ha, dinanzi a Dio e agli uomini, il sacro dovere di annunziarla, d'insegnarla senza alcuna attenuazione, come Cristo l'ha rivelata, e

---

[2] Cfr. *I Cor.*, 2, 14.

non vi è alcuna condizione di tempi che possa far scemare il rigore di quest'obbligo. Esso lega in coscienza ogni sacerdote a cui, nel ministero ordinario o straordinario, è affidata la cura di ammaestrare, di ammonire e di guidare i fedeli. E' vero che il desiderio del cielo è un motivo in sè stesso più perfetto che non il timore delle pene eterne; ma da ciò non consegue che esso sia per tutti gli uomini anche il motivo più efficace per tenerli lontani dal peccato e convertirli a Dio.

Meditate, diletti figli, le parole che il Signore alla vigilia della sua Passione rivolse all'Apostolo Pietro: Ecco che Satana va in cerca di voi per vagliarvi come il grano [3]; parole di un impressionante significato nel momento in cui viviamo. Esse valgono non solo per i pastori, ma anche per tutto il gregge. Nelle formidabili controversie religiose, di cui siamo testimoni, non si può fare vero assegnamento che sui fedeli, i quali pregano e si sforzano, anche a prezzo di grandi rinunzie, di conformare la loro vita alla legge di Dio. Tutti gli altri, nell'ordine spirituale — e di questo si tratta — si offrono allo scoperto ai colpi del nemico.

3) Un altro effetto della Messa per gli uomini, salutare non solo per loro personalmente, ma anche per le famiglie, sarà che essi chiuderanno gli occhi e il cuore a tutto ciò che nella stampa, nel « film », negli spettacoli, offende il pudore e viola la legge morale. Dove infatti, se non qui, dovrà veramente attuarsi lo spirito di penitenza e di abnegazione in unione con Cristo?

Quando si pensa, da una parte, alle nauseanti crudezze e impudicizie che si mettono in mostra nei giornali, nelle riviste, sullo schermo, sulle scene, e, d'altra parte, alla inconcepibile aberrazione di genitori che vanno coi loro figli a dilettarsi di simili orrori, il rossore sale sul volto, rossore di vergogna e di sdegno. La lotta contro

---

[3] Luc., 22, 31.

questa peste, specialmente segnalandone le manifestazioni alle pubbliche autorità, ha conseguito già confortanti risultati e Noi nutriamo fiducia che essa divenga sempre più efficace e benefica.

Grazie al cielo, in alcune nazioni, particolarmente in quelle di più larga produzione cinematografica, i cattolici lavorano metodicamente e con felice successo alla moralità e alla dignità del « film ». Piaccia a Dio che i fedeli, i quali affluiranno a Roma durante l'Anno Santo, possano riportare nelle loro patrie l'impressione che anche i cattolici dell'Urbe sanno essere in questo campo vigilanti e operosi.

4) Noi attendiamo dalla comune assistenza degli uomini alla Santa Messa anche un altro frutto di capitale importanza: vogliamo dire lo spirito di filiale docilità e di piena adesione al Romano Pontefice, e di fraterna e stretta unione fra loro, ogni qualvolta si tratta di difendere la causa della Chiesa.

La causa della Chiesa! I suoi nemici hanno scatenato contro di lei una violenta campagna di parole e di scritti. Per loro tutti gli argomenti, anche i più assurdi, son buoni, se servono al fine cui tendono, e questo fine è di disgregare l'unità e la cooperazione dei cattolici, di scuotere la loro fiducia verso il Vicario di Cristo, i Vescovi, il Clero. La loro arma preferita è la calunnia, perchè ben sanno che essa non è mai del tutto inoffensiva, ma inocula negli spiriti il dubbio, il sospetto, la critica, e nei cuori una disaffezione, che talvolta giunge fino all'odio. Così l'obbedienza e la concordia sono esposte al pericolo di venire a poco a poco corrose e distrutte. Rileggete le parole di Cristo sul « padre della menzogna »: [4] lo stesso vale per questa campagna di calunnie.

Dite ai vostri parrocchiani che non si lascino sedurre nè traviare; che non prestino fede alle false accuse del nemico; che non leggano le sue pubblicazioni senza grave

---

[4] Io., 8, 44.

causa e senza la necessaria licenza, e in ogni caso senza essere abbastanza preparati per sapere come si risponde a quegli attacchi. Così saranno resi vani gli sforzi dell'avversario diretti ad indebolire e, se potesse, a spezzare la unità e la compatetzza dei cattolici, unità la cui base visibile è la roccia di Pietro e la cui invisibile sorgente di forza sono il Sacrificio divino e la santa Mensa eucaristica.

Ben altri frutti possono ancora raccogliersi dalla Messa per gli uomini. Noi non ne abbiamo menzionati che alcuni fra quelli che sembrano maggiormente corrispondere alle necessità dell'ora e meglio servire alla preparazione interna dei fedeli romani all'Anno Santo.

Con questa fiducia, invocando su di voi e sul vostro lavoro apostolico la grazia dello Spirito Santo e la protezione della Madre Immacolata del Redentore, v'impartiamo con effusione di cuore la Nostra paterna Benedizione Apostolica.

25. - SS. D. N. Pius Pp. XII

ALLOCUTIO

Ad Delegatos Sodalitatis, cui nomen « Union Internationale des Associations Patronales Catholiques », ob nonum Conventum internationalem Romae coadunatos. *

(*A.A.S.*, XXXXI [6 Iun. 1949] p. 283).

Avec une égale sollicitude, un égal intérêt, Nous voyons venir à Nous, tour à tour, les ouvriers et les représentants des organisations industrielles; les uns et les autres. Nous exposent, avec une confiance qui Nous touche profondément, leurs préoccupations respectives. Aussi, en vous sou-

---

* Habita die 7 Maii mensis a. 1949.

haitant de tout coeur la bienvenue, Nous saisissons volontiers, très chers fils, l'occasion que vous Nous offrez de vous exprimer Notre paternelle bienveillance et de louer votre zèle à faire pénétrer dans le monde de l'économie la doctrine sociale chrétienne.

Nous venons de faire allusion aux préoccupations de ceux qui participent à la production industrielle. Erroné et funeste en ses conséquences est le préjugé, malheureusement trop répandu, qui voit en elles une opposition irréductible d'intérêts divergents. L'opposition n'est qu'apparente. Dans le domaine économique il y a communauté d'activité et d'intérêts entre chefs d'entreprises et ouvriers. Méconnaître ce lien réciproque, travailler à le briser, ne peut être que le fait d'une prétention de despotisme aveugle et déraisonnable. Chefs d'entreprises et ouvriers ne sont pas antagonistes inconciliables. Ils sont coopérateurs dans une oeuvre commune. Ils mangent, pour ainsi dire, à la même table, puisqu'ils vivent, en fin de compte, du bénéfice net et global de l'économie nationale. Chacun touche son revenu, et sous ce rapport leurs relations mutuelles ne mettent aucunement les uns au service des autres.

Toucher son revenu est un apanage de la dignité personnelle de quiconque, sous une forme ou sous une autre, comme patron ou comme ouvrier, prête son concours productif au rendement de l'économie nationale. Dans le bilan de l'industrie privée, la somme des salaires peut figurer à titre de frais de l'employeur. Mais, dans l'économie nationale, il n'est qu'une sorte de frais, qui consistent dans les biens naturels utilisés en vue de la production nationale et qu'il faut, par conséquent, sans cesse suppléer.

Il s'ensuit que, des deux côtés, on a intérêt à voir les dépenses de la production nationale proportionnelles à son rendement. Mais dès lors que l'intérêt est commun, pourquoi ne pourrait-il pas se traduire dans une expression commune? pourquoi ne serai-il pas légitime d'attribuer aux ouvriers une juste part de responsabilité dans la

constitution et le développement de l'économie nationale? Aujourd'hui surtout que la pénurie des capitaux, la difficulté des échanges internationaux paralysent le libre jeu des dépenses de la production nationale. Les récents essais de socialisation n'ont fait que mettre en plus claire évidence cette pénible réalité. Elle est un fait: ni la mauvaise volonté des uns ne l'a créé, ni la bonne volonté des autres ne réussira à l'éliminer. Mais alors, pourquoi, quand il est encore temps, ne pas mettre les choses au point, dans la pleine conscience de la commune responsabilité, en sorte d'assurer les uns contre d'injustes défiances, les autres contre des illusions qui ne tarderaient pas à devenir un péril social?

Cette communauté d'intérêt et de responsabilité dans l'oeuvre de l'économie nationale, Notre inoubliable Prédécesseur Pie XI en avait suggéré la formule concrète et opportune lorsque, dans son Encyclique « *Quadragesimo anno* », il recommandait « l'organisation professionnelle » dans les diverses branches de la production. Rien, en effet, ne lui semblait plus propre à triompher du libéralisme économique que l'établissement, pour l'économie sociale, d'un statut de droit public fondé précisément sur la communauté de responsabilité entre tous ceux qui prennent part à la production. Ce point de l'Encyclique fut l'objet d'une levée de boucliers; les uns y voyaient une concession aux courants politiques modernes, les autres un retour au Moyen-Age. Il eût été incomparablement plus sage de déposer les vieux préjugés inconsistants et de se mettre de bonne foi et de bon coeur à la réalisation de la chose elle-même et de ses multiples applications pratiques.

Mais, à présent, cette partie de l'Encyclique semble presque nous fournir malheureusement un exemple de ces occasions opportunes qu'on laisse échapper, faute de les saisir à temps. Après coup, on s'évertue à élaborer d'autres formes d'organisation juridique publique de l'économie sociale et, pour le moment, la faveur va de préférence à

l'étatisation et à la nationalisation des entreprises. Il n'est pas douteux que l'Eglise aussi — dans certaines justes limites — admet l'étatisation et juge « que l'on peut légitimement réserver aux pouvoirs publics certaines catégories de biens, ceux-là qui présentent une telle puissance, qu'on ne saurait, sans mettre en péril le bien commun, les abandonner aux mains des particuliers ».[1] Mais faire de cette étatisation comme la règle normale de l'organisation publique de l'économie serait renverser l'ordre des choses. La mission du droit public est en effet de servir le droit privé, non de l'absorber. L'économie — pas plus d'ailleurs qu'aucune autre branche de l'activité humaine — n'est de sa nature une institution d'Etat; elle est, à l'inverse, le produit vivant de la libre initiative des individus et de leurs groupes librement constitués.

On ne serait pas non plus dans le vrai en voulant affirmer que toute entreprise particulière est par sa nature une société, de manière que les rapports entre participants y soient déterminés par les règles de la justice distributive, en sorte que tous indistinctement — propriétaires ou non des moyens de production — auraient droit à leur part de la propriété du tout au moins des bénéfices de l'entreprise. Une telle conception part de l'hypothèse que toute entreprise rentre par nature dans la sphère du droit public. Hypothèse inexacte: que l'entreprise soit constituée sous forme de fondation ou d'association de tous les ouvriers comme copropriétaires, ou bien qu'elle soit propriété privée d'un individu qui signe avec tous ses ouvriers un contrat de travail, dans un cas comme dans l'autre, elle relève de l'ordre juridique privé de la vie économique.

Tout ce que Nous venons de dire s'applique à la nature juridique de l'entreprise comme telle; mais l'entreprise peut comporter encore toute une catégorie d'autres rap-

---

[1] Encycl. *Quadragesimo anno*, *A.A.S.*, vol. XXIII, 1931, p. 214.

ports personnels entre participants, dont il faut aussi tenir compte, même des rapports de commune responsabilité. Le propriétaire des moyens de production, quel qu'il soit — propriétaire particulier, association d'ouvriers ou fondation — doit, toujours dans les limites du droit public de l'économie, rester maître de ses décisions économiques. Il va de soi que son revenu est plus élevé qui celui de ses collaborateurs. Mais il s'ensuit que la prospérité matérielle de tous les membres du peuple, qui est le but de l'économie sociale, lui impose, à lui plus qu'aux autres, l'obligation de contribuer par l'épargne à l'accroissement du capital national. Comme il ne faut pas, d'autre part, perdre de vue qu'il est souverainement avantageux à une saine économie sociale que cet accroissement du capital provienne de sources aussi nombreuses que possible, il est par conséquent fort désirable que le ouvriers puissent, eux aussi, du fruit de leur épargne, participer à la constitution du capital national.

Nombre d'hommes, industriels comme vous, catholiques, et non catholiques aussi, ont, en maintes circonstances, expressément déclaré que la doctrine sociale de l'Eglise — et elle seule — est en mesure de fournir les éléments essentiels pour une solution de la question sociale. Assurément la mise en oeuvre et l'application de cette doctrine ne peuvent être l'ouvrage d'un jour. Sa réalisation exige de tous les participants une sagesse clairvoyante et prévoyante, une forte dose de bon sens et de bon vouloir. Elle réclame d'eux surtout une réaction radicale contre la tentation de chercher chacun son propre avantage aux dépens des autres participants — quelle que soit la nature et la forme de luer participation — et au détriment du bien commun. Elle requiert enfin un désintéressement tel que, seule, une authéntique vertu chrétienne, soutenue par l'aide et la grâce de Dieu, peut l'inspirer.

C'est pour attirer cette aide et cette grâce sur votre Union, sur son développement interne et sur son rayonne-

ment au dehors, particulièremente dans les pays qui, tout catholiques qu'ils sont, ont pourtant besoin de s'ouvrir plus largement à la pensée sociale de l'Eglise, que Nous vous donnons, dans toute l'effusion de Notre coeur, à vous tous et à votre Association, sous le puissant patronage de la Mère du divin amour, Notre Bénédiction Apostolique.

26. - SS. D. N. Pius Pp. XII

ALLOCUTIO

*Ad mulieres ab Actione catholica ex Italiae dioecesibus ob quadragesimum annum ab eorum Unione condita Romae coadunatas.**

(*A.A.S.* xxxxi. [6 Sept. 1949] p. 413).

Per quanto legittima sia la vostra letizia, dilette figlie, nel commemorare il primo quarantennio della vostra Unione, voi vi siete qui adunate intorno a Noi con disposizioni e pensieri anche più elevati. Voi avete voluto segnare una tappa nella vostra via o, com suol dirsi, « fare il punto », volgere cioè uno sguardo al cammino percorso, considerare con occhio sicuro le circostanze, innanzi alle quali presentemente vi trovate; e ora attendete da Noi di conoscere quali doveri esse vi impongono e quali consigli siamo per darvi. In una parola, voi desiderate di stabilire oggi l'itinerario e il programma della vostra prossima tappa.

Nel corso di questi quarant'anni, voi siete avanzate coraggiosamente, ma anche il mondo ha camminato, e con una vertiginosa rapidità. Si tratta dunque in primo luogo di vedere se voi avete saputo affrettare il passo, per non lasciarvi superare e non rimanere inutilmente indietro. Ma ciò che più importa è di osservare s voi, abbastanza

* Habita die 24 Iulii mensis a. 1949.

forti per non esservi lasciate trascinare dalla corsa del tempo, avete, al contrario, in qualche modo, sia pure modesto, contribuito a guidarla, a frenarla o ad accelerarla, in una parola, a regolarla per darle maggior fermezza e continuità.

Sì, il mondo ha camminato, ma Noi non intendiamo di parlare soltanto dei grandi avvenimenti che hanno segnato date memorabili ella sua storia, e specialmente delle due guerre mondiali, le quali — la seconda incomparabilmente più della prima —, hanno imposto anche alla donna italiana inauditi e sovrumani sacrifici. Noi abbiamo in vista soprattutto l'evoluzione compiuta in questo periodo di tempo nelle condizioni della vostra vita. Evoluzione che converrebbe piuttosto chiamare rivolgimento completo.

Quando nacque la vostra Unione, tale mutazione si era forse già in alcuni punti iniziata. Ora è compiuta. La donna italiana, e in primo luogo la giovane, è uscita dalla riservatezza e dal nascondimento della vita domestica ed è entrata largamente nei posti, negli uffici, nelle responsabilità e nei diritti, che prima erano propri esclusivamente dell'uomo. La donna italiana, e ció torna a suo onore, non ha fatto a cuor leggiero questo suo ingresso nella vita pubblica della Nazione Divenuta maggiorenne, indipendente e con eguali diritti, ella sta oggi alla pari dell'uomo nella economia e nel lavoro, nella scienza e nell'arte, nelle libere professioni, nei pubblici uffici e nella compartecipazione alle determinazioni politiche e amministrative dello Stato e dei Comuni.

Più volte già Noi abbiamo avuto occasione di esporre le conseguenze di questa trasformazione e di mettere in luce gli obblighi che ne derivano. Lo abbiamo fatto nelle circostanze più varie: adunanze di donne italiane, Congressi internazionali delle donne cattoliche; udienze alle giovani e ai novelli sposi. Noi abbiamo trattato questo soggetto, sia in generale, come secondo gli stati particolari della donna: operaie, impiegate, insegnanti, parteci-

panti alla vita politica. Che cosa dunque potremmo Noi aggiungere su così gravi questioni, delle quali abbiamo tanto spesso discorso?

E nondimeno Ci sentiamo spinti a parlarne di nuovo a voi, Donne di Azione Cattolica, per raccomandarvi con rinnovato calore i bisogni della famiglia e della gioventù.

Innanzi tutto però dobbiamo dall'intimo dell'animo Nostro rendere umili grazie all'Onnipotente Signore per la grande opera che avete potuto effettuare nei quattro decenni trascorsi. Quanto buon volere, quanta dedizione, quanto eroismo cristiano! La divisa da voi scelta « *Fortes in Fide* » è divenuta il vostro elogio. Quanto deve al vostro apostolato la conservazione della fede e della vita cristiana nel popolo italiano; quanto vasta è stata la vostra azione caritatevole in pace e in guerra, per tutti i ceti del popolo! La mano di Dio vi ha condotte; la grazia di Dio vi ha fatte forti. Sia lode e gloria a Lui!

Noi poi, dilette figlie, vi ringraziamo in particolar modo per aver mandato ad effetto una missione di grande importanza: educare e guidare la donna italiana nell'adempimento dei gravi doveri, dinanzi a Dio e alla propria coscienza, che le sono sopravvenuti. E' stato un lavoro arduo e pieno di abnegazione, che voi avete compiuto per la causa di Dio e per i più alti beni della Nazione, per la sua civiltà cristiana. E il Signore ha benedetto l'opera vostra.

Ed ora, dilette figlie, esaminiamo più dappresso il nostro argomento, perchè molto rimane da fare e molto la Chiesa aspetta dal vostro instancabile zelo.

Sempre più alte e penetranti risuonano dal suolo europeo e dall'al di là dei mari le grida di soccorso per le infelici condizioni della famiglia e della giovane generazione. Che la guerra ne abbia una gran parte di colpa, è ben noto. Essa è colpevole soprattutto della violenta e funesta separazione di milioni di coniugi e di famiglie e della distruzione d'innumerevoli abitazioni.

Ma è egualmente certo che la vera e propria cagione

di così gran male è anche piu profonda. Essa deve essere ricercata in quello che con un termine complessivo si chiama materialismo, nella negazione o almeno nella trascuratezza e nel disprezzo di tutto ciò che è religione, cristianesimo, sottomissione a Dio e alla sua legge, vita futura ed eternità. Come un alito pestifero il materialismo pervade sempre più tutto l'essere e produce i suoi più malefici frutti nel matrimonio, nella famiglia e nei giovani.

E, si può dire, unanime il giudizio che la moralità di tanta gioventù è in continuo decadimento. E non soltanto della gioventù nelle città. Anche in quella delle campagne, ove un tempo fioriva una sana e robusta costumatezza, la degradazione morale è di poco inferiore, mentre molto di ciò che spinge nella città al lusso e al piacere ha ottenuto libera entrata anche nel villaggio.

E' superfluo il ricordare quanto la radio e il cinema sono stati usati ed abusati per la diffusione di quel materialismo, e quanto essi, il cattivo libro, la licenziosa rivista illustrata, lo spettacolo inverecondo, il ballo immorale, l'immodestia delle spiagge, hanno contribuito ad aumentare la superficialità, la mondanità, la sensualità della gioventù. I rapporti, che pervengono dalle regioni più diverse, segnalano quelle occasioni come centri di religioso e morale abbandono dei giovani. Ma in primo luogo è responsabile il disfacimento dei matrimoni, di cui l'abbassamento morale della gioventù può essere additato come indice e funesta conseguenza.

Può ben darsi che questo triste quadro non valga in eguale misura per tutti i Paesi e che l'Italia conti fra le regioni rimaste ancora più sane. Ed in realtà Noi stessi abbiamo tante volte ammirato le balde schiere di una magnifica gioventù, pura, forte, ardita, pronta ad ogni sacrificio per la difesa della fede e della virtù. Tuttavia anche nella vostra Patria la giovane generazione è stata duramente colpita.

Noi non sapremmo per quali scopi la Chiesa dovrebbe maggiormente adoperare tutte le sue forze quanto per la salvezza della famiglia e della gioventù. E per ciò essa fa assegnamento particolarmente su di voi, donne e madri cristiane. Voi avete già da molto tempo lavorato a questo fine e lo avete fatto oggetto delle vostre discussioni. I voti conclusivi del vostro Congresso attestano la nobile ed apostolica fatica nell'adeguare i bisogni della società domestica cristiana alle circostanze presenti.

Da parte Nostra vorremmo richiamare la vostra attenzione su tre punti:

1) Premettiamo che quanto può contribuire ad una sana politica sociale per il bene della famiglia e della gioventù cristiana può sempre contare sull'appoggio efficace della Chiesa.

Ciò che Noi, due anni or sono, dicemmo agli Uomini di Azione Cattolica, lo ripetiamo a voi: La Chiesa cattolica sostiene fermamente le esigenze della giustizia siciale.

Tra quelle esigenze appartiene il procurare al popolo le necessarie abitazioni. Innanzi tutto per coloro che vogliono fondare una famiglia o la stanno già fondando Potrebbe concepirsi un provvedimento sociale più urgente? Quanto è penoso il vedere che giovani, nell'età in cui la natura più inclina al matrimonio, debbano aspettare anni ed anni soltanto a causa della mancanza di dimora, col pericolo che in questa snervante attesa essi alla fine moralmente avvizziscano! Promovete dunque, per quanto è da voi, con la vostra propaganda e la vostra azione, l'apprestamento di case, cosicchè la dignità del matrimonio e l'educazione cristiana dei figli non abbiano a soffrire per tale difetto.

Noi benediciamo anche le vostre scuole di economia domestica, e in generale tutto ciò che tende a favorire l'istruzione e la formazione della donna per il governo della casa, per l'allestimento della propria dimora, per

la cura e l'educazione dei figli; tutto ció che serve alla preparazione , non solo fisiologica, ma tanto più spirituale e sociale, al matrimonio; tutto ciò che voi dedicate al pensiero della scelta e dell'addestramento alla futura professione. Non dimenticate però che tra le vocazioni della donna vi è anche la vocazione religiosa, lo stato della vergine consacrata a Dio. Questa osservazione è oggi tanto più opportuna perchè nella giustissima stima dell'azione apostolica in mezzo al mondo potrebbe talvolta insinuarsi, appena percettibile, un'ombra di naturalismo, che velerebbe la bellezza e il valore fecondo insito nel dono totale a Dio del cuore e della vita. L'apostolato
nel dono totale a Dio del cuore e della vita. L'apostolato
della Chiesa oggi non è quasi più concepibile senza la cooperazione delle religiose nelle opere di carità, nella scuola, nell'aiuto al ministero sacerdotale, nelle missioni. Tocca quindi alle donne italiane di assicurare per l'Italia le vocazioni necessarie. Adoperatevi a suscitarle! Voi sapete già che il loro benefico effetto rifluisce in molteplici guise dalle vergini consacrate a Dio sulle stesse famiglie.

2) Se Noi riconosciamo tutta l'importanza di una sana politica sociale per la salvezza della famiglia e della gioventù cristiana, nondimeno essa non è ancora che un elemento preliminare. Altrimenti la famiglia nelle classi socialmente elevate non dovrebbe essere (com'è in realtà(egualmente, e forse anche più, esposta a decadimento che in quelle socialmente più aggravate.

Il neoplasma per la famiglia come per la gioventù è l'illanguidirsi della fede e del timor di Dio, della pietà e della coscienziosità, l'infiltrarsi del materialismo non solo nel pensiero e nel giudizio, ma altresì nella pratica della vita, anche in non pochi che vogliono essere e rimanere fedeli credenti.

Contro questo male non vi è che un rimedio: fer mezza di fede nei genitori, la quale con l'esempio e con

la istruzione religiosa e la educazione morale genera anche nei figli una fede inconcussa.

Fermezza di fede! Dunque nessuna superficialità, nessuna forma senza contenuto, e neanche pietà di puro sentimento. Le pie usanze, tradizionali nelle famiglie cristiane, a cominciare dal Crocifisso e dalle immagini sacre, debbono certamente essere tenute nel massimo onore. Ma esse hanno il loro vero senso soltanto se sono fondate sopra una intima salda fede, al cui centro si trovano le grandi verità religiose. Quale immenso valore ha, per esempio, il pensiero della onnipresenza di Dio per l'uomo attivo e credente, quale incomparabile sussidio per la educazione dei figli!

L'esempio dei genitori! Chi non ne conosce la insostituibile efficacia? la preghiera del padre e della madre insieme coi figli, la coscienziosa fedeltà nella santificazione delle feste, il rispettoso linguaggio, quando si tratta della religione e della Chiesa, placidezza e diligenza, onesta, leale, irreprensibile condotta di vita.

L'istruzione religiosa dei figli! E' nei primi loro anni dolce officio della madre! Voi, madri, avete allora i bambini nelle vostre mani. Ma il tempo che si fosse allora perduto, difficilmente si potrebbe riguadagnare, e ciò che allora si è seminato nelle loro anime, difficilmente si potrebbe più cancellare del tutto. In questo consiste il vostro promettente successo, o madri cristiane, ma anche la vostra responsabilità.

3) La educazione morale della gioventù! E' di una tale importanza che, sebbene compresa nei punti precedenti, merita di essere considerata a parte

Un tempo la madre di famiglia, quando vedeva spuntare nei figli i primi sintomi dell'adolescenza ed ella raddoppiava la sua vigilanza e le sue cure per proteggere la loro innocenza, per fortificare la loro virtù nella crisi del l'età, sentiva calmarsi le sue inquietudini nel vederli man-

tenersi fedeli ai loro doveri religiosi, alla santificazone delle domeniche e delle feste.

Oggi l'ossrvanza del precetto festivo non è più una sicura garanzia per la condotta morale della giovane. Questa scissione della religione e della moralità è assai significativa. Poichè quei due elementi, se sono genuini, formano una indivisibile unità. Senza dubbio vi sono stati sempre falli morali. Ma quando la vita religiosa era sana e salda, martellava anche la coscienza, personale e pubblica.

Anche qui non vi è che un rimedio. Tenete fin dai primi anni dianzi agli occhi del bambino i comandamenti di Dio e abituatelo ad adempirli. La goventù di oggi è, non meno di quella dei tempi passati, disposta e pronta ad agir bene e a servire Dio. Ma deve essere a ciò educata.

Opponete alla brama del lusso e del piacere la educazione alla schiettezza e alla semplicità. La gioventù deve di nuovo imparare a dominarsi e ad affrontare le privazioni. Non deve accadere che essa sempre più gravi sui genitori con richieste che a questi è impossibile di soddisfare. Semplicità di vita e parsimonia sono state in ogni tempo virtù proprie del popolo italiano. Esse debbono rimaner tali. La stessa economia nazionale lo esige.

Educate la gioventù alla purezza. Aiutatela, quando una parola chiarificatrice, un consiglio, una guida sono necessari. Non dimenticate però che una buona educazione la quale abbracci tutta la vita, specialmente l'abitudine al dominio di sè, è anche la miglior formazione in questo campo.

Educatela all'obbedienza e al rispetto verso l'autorità. Facile cosa questa, quando l'uomo si sottomette a Dio e riconosce l'incondizionato valore dei suoi comandamenti. Per l'incredulo, per il negatore di Dio, non può esistere alcuna vera, giusta e ordinata autorità, perchè « non è

potestà se non da Dio » [1]. Esso non può reggere nè essere retto che col timore e con la forza.

Tutte queste sono certamente verità elementari. Ma esse precisamente sono troppo spesso trascurate e neglette. Eppure il risanamento può venire soltanto se quelle fondamentali esigenze sono fedelmente adempiute.

Andate dunque, dilette figlie, al lavoro o piuttosto proseguitelo alacremente con una chiara visione del fine a cui tendete: la salvezza del matrimonio cristiano, della famiglia e della gioventù. Le fatiche e i cimenti, a cui sottostate, sono veramente per la causa di Dio e della Chiesa, al tempo stesso che per i supremi interessi del vostro popolo e della vostra patria. Poichè vale il principio: Un popolo, in cui il matrimonio e la famiglia si dissolvono, è destinato prima o dopo alla rovina.

Il Signore sia con voi; Egli vi dia « il volere e il fare secondo la buona volontà » [2]. La sua santissima Madre Maria, vostra vita, vostra consolazione e vostra speranza, mantenga nella vostra Unione lo spirito di mutuo rispetto, di fiducia, di amore e di zelo apostolico; in pegno dei quali impartiamo a voi tutte di cuore la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

27. - SS. D. N. Pius Pp, XII

ALLOCUTIO

Ad membra Congressus Internationalis Medicorum Catholicorum die 29 Septembris 1949 habita.

(L'Osservatore Romano) Oct. 1949. N. 228 p. 1)

Votre présence autour de Nous, chers fils et chères filles, porte avec elle une signification profonde, qui Nous

---

1 *Rom.* 13, 1.

2 *Phil.* 2, 13.

cause une grande joie. Le fait de représenter ici trente nations différentes, alors que les fossés creusés par les années d'avant-guerre, de guerre et d'après-guerre sont encore loin d'être comblés; le fait de venir Nous dire les hautes pensées qui président à vos échanges de vues, dans le domaine médical; le fait, enfin, d'exercer dans ce domaine, mieux qu'une simple profession, un véritable et excellent ministère de charité: tout cela est bien de nature à vous assurer de Notre part le plus paternel accueil. Vous attendez de Nous, avec Notre bénédiction, quelques conseils touchant vos devoirs. Nous Nous contenterons de vous communiquer de brèves réflexions sur les obligations que vous imposent les progrès de la médecine, la beauté et la grandeur de son exercice, ses rapports avec la morale naturelle et chrétienne.

Nous avons déjà eu mainte occasion de toucher un bon nombre de points particuliers concernant la morale médicale. Mais voici que se pose au premier plan une question, qui réclame, avec non moins d'urgence que les autres, la lumière de la doctrine morale catholique; celle de la fécondation artificielle. Nous ne pouvons laisser passer l'occasion présente d'indiquer brièvement, dans les grandes lignes, le jugement moral qui s'impose en cette matière.

1°) La pratique de cette fécondation artificielle, dès lors qu'il s'agit de l'homme, ne peut être considérée ni exclusivement, ni même principalement, du point de vue biologique et médical, en laissant de côté celui de la morale et du droit.

2°) La fécondation artificielle, hors du mariage, est à condamner purement et simplement comme immorale.

Telle est en effet la loi naturelle et la loi divine positive, que la procréation d'une nouvelle vie ne peut être le fruit que du mariage. Le mariage seul sauvegarde la dignité des époux (principalement de la femme dans le

cas présent), leur bien personnel. De soi, seul il pourvoit au bien et à l'éducation de l'enfant.

Par conséquent, sur la condamnation d'une fécondation artificielle hors de l'union conjugale, aucune divergence d'opinions n'est possible entre catholiques. L'enfant conçu dans ces conditions serait, par le fait même, illégitime.

3°) La fécondation artificielle dans le mariage, mais produite par l'élément actif d'un tiers, est également immorale et, comme telle, à réprouver sans appel.

Seuls les époux ont un droit réciproque sur leur corps pour engendrer une vie nouvelle, droit exclusif, incessible, inaliénable. Et cela doit être, en considération aussi de l'enfant. À quiconque donne la vie à un petit être, la nature impose, en vertu même de ce lien, la charge de sa conservation et de son éducation. Mais entre l'époux légitime et l'enfant, fruit de l'élément actif d'un tiers (l'époux fût-il consentant), il n'existe aucun lien d'origine, aucun lien moral et juridique de procréation conjugale.

4°) Quant à licéité de la fécondation artificielle dans le mariage, qu'il Nous suffise, pour l'instant, de rappeler ces principes de droit naturel: le simple fait que le résultat auquel on vise est atteint par cette voie, ne justifie pas l'emploi du moyen lui-même; ni le désir, en soi très légitime chez les époux, d'avoir un enfant, ne suffit à prouver la légitimé du recours à la fécondation artificielle, qui réaliserait ce désir.

Il serait faux de penser que la possibilité de recourir à ce moyen pourrait rendre valide le mariage entre personnes inaptes à le contracter du fait de l'impedimentum impotentiae.

D'autre part, il est superflu d'observer que l'élément actif ne peut être jamais procuré licitement par des actes contre nature.

Bien que l'on ne puisse a priori esclure de nouvelles méthodes, pour le seul motif de leur nouveauté, néanmoins,

en ce qui touche la fécondation artificielle, non seulement réservé, mais il faut absolument l'écarter. En parlant ainsi, on ne proscrit pas nécessairement l'emploi de certains moyens artificiels destinés uniquement soit à faciliter l'acte naturel, soit à faire atteindre sa fin à l'acte naturel normalement accompli.

Qu'on ne l'oublie pas: seule la procréation d'une nouvelle vie selon la volonté et le plan du Créateur porte avec elle, à un degré étonnant de perfection, la réalisation des buts poursuivis. Elle est, à la fois, conforme à la nature corporelle et spirituelle et à la dignité des époux, au développement normal et heureux de l'enfant.

Annotationes

1. Thema Allocutionis his significatur verbis: « Nous Nous contenterons de vous communiquer de brèves reflexions sur les obligations que vous imposent les progrès de la médicine, la beauté et la grandeur de son exercice, ses rapports avec la morale naturelle et chrétienne ».

Discursus duae partes distingui possunt; altera generalis, altera specialis.

2. Pars generalis generales exhibet de arte medica considerationes generalesque quasdam addit agendi normas, medico in suo officio gerendo observandas. Magni memorantur in variis campis medicinae progressus tum doctrinales tum technicae. Medicus christianus eos inhaesitanter agnoscit, servire facit curae et saluti aegrotantium, eos una cum suis in arte collegis promovere et perficere studet. His in progressibus Creatoris infinita potentia et Patris Coelestis erga homines immensa largitas magis magisque patefit. In sua arte exercenda medicus christianus non solo nobilis humanitatis affectu ducitur, sed insuper et magis christianae fidei atque caritatis luce et igne. Ipse numquam oblivioni dat magnam dignitatem hominis, circa

cuius corpus (cum immortali et spirituali anima in unitatem naturae coniunctum) sua actio et officium imprimis versatur. Scientia et arte qua pollet non in alios fines atque in vitam et salutem aegrotantium utitur; multo minus unquam manus et operam praestat ad scientiae naturalis ingentes progressus in perniciem hominum adhibendos, (quod adhuc ante paucos hos annos tempore belli nimis frequenter et sine haesitatione haud pauci faciebant); e contrario res viresque a Creatore in materiali hoc mundo reconditas explorare, perspicere, adaptare studet, ut, qui variis huius vitae miseriis et infirmitatibus laborent, alleventur et sani fiant, ductus tamquam suprema norma non principiis materialisticis, non falsa philanthropia et sensibilitate, sed Dei lege, in natura et in revelatione recondita.

3. Pars specialis agit de fecundatione artificiali. Necesse fuit de ea, quid ex parte Ethicae christianae sentiendum esset, dari iudicium auctoritativum; nam fere ubique terrarum apud nationes cultas quaestio de fecundatione artificiali (tum scriptis articulis et libellis tum viva voce) tractata est.

« Nous ne pouvons laisser passer l'occasion présente d'indiquer brièvement, dans les grandes lignes, le jugement moral qui s'impose ».

Monet initio Summus Pontifex: praxim fecundationis artificialis, quando exercetur circa hominem, neque unice neque principaliter mensuram sumere posse a biologia et arte medica, neglectis normis Ethicae et Iuris; ad quam monitionem pluries in decursu Allocutionis fit allusio.

4. Fundamentum et principium, a quo omnis de fecundationis artificialis qualitate morali inquisitio initium sumere, et in quo definitivum iudicium morale fundari debet, tandem in fine partis specialis innuitur his verbis:

« *Qu'on ne l'oublie pas: seule la procréation d'une nouvelle vie selon la volonté et le plan du Créateur porte avec elle,*

à un dégré étonant de perfection, la réalisation des buts poursuivis. Elle est, à la fois, conforme à la nature corporelle et spirituelle et à la dignité des époux, au developpement normal et heureux de l'enfant ».

Quod principium sic efformari potest: « Non est recedendum a norma naturae, ab ipso Creatore stabilita ».

5. *Modum* enim quo homines naturali sua generandi facultate utantur, ipse Deus designavit; item *ius utendi* hoc modo hac facultate ipse Deus stabilivit, idque destinavit et reservavit matrimonio. Unde deducitur: nullum esse secundum Creatoris dispositionem et voluntatem facultatis generativae honestum et licitum usum — (et quaelibet de spermiis et de organismo mulieris directa dispositio in ordine ad novam vitam procreandam est usus (saltem partis) facultatis generativae) — extra matrimonium; in matrimonio autem et inter coniuges non esse honestum et licitum usum nisi fuerit peractus modo naturali, ab Auctore naturae statuto.

6. Quod si quaeritur, quisnam sit hic naturalis a Creatore statutus modus: est ipsius viri ipsiusque mulieris in unum et specificum actum corporalem mutua ac personalis cooperatio, qua spermatis ex parte viri emissio et immissio atque eiusdem ex parte feminae susceptio tempore, loco, actu una simul ita peragantur ut coniuges, ita agendo, una fiant caro. Natura varia fecndationis elementa non constituit disgregata et discomposita, sed in unum actum collecta, quo vir immediate et directe mulierem, mulier virum cognoscat et experiatur; uterque alterum tamquam quasi-partem sui, unum secum principium activum ad unum eundemque actum generativum perficiendum. Est ergo (ex interna actus generativi structura et ex Creatoris in ea se manifestante voluntate) « fecundatio » aliquid « personale », aliquid « unum », ab ipsis agentium personis peractum, non autem aliquid mere « materiale », « impersonale », activitate disgregata (*in* ipsis potius, quam *ab* ipsis) praestitum, prout accidit in fecundatione artificiali, quae naturali substituitur.

Ex quibus apparet: fecundationem naturalem et fecundationem artificialem ad invicem se habere: ut aliquod « *insti-*

tutum Dei » et « *inventum hominis* »; ut aliqua « *operatio naturalis* » et aliqua « *machinatio mechanica* »; illa sexuum naturali indoli somaticae et inclinationi psychicae perfecte correspondens; haec aliena a somatica et psychica sexualiter agendi facultate, imo directe contraria naturali quoad activitatem sexualem innato instinctui et desiderio. Nullus homo, nec vir nec mulier, naturali instinctu fertur in fecundationem artificialem, quantumvis desiderio naturali feratur in prolem habendam.

7. Quod vero attinet ad « *ius generandi* », ex contractu matrimoniali quaesitum: ex hoc iure non probatur neque eruitur « ius ad fecundationem artificialem »; est enim haec extra obiectum contractus matrimonialis, per naturam et a Deo circumscriptum. Sicut totus contractus matrimonialis, ita eius obiectum lege Creatoris, non voluntate hominum determinatur et definitur; hominis voluntas eatenus tantum intrat hunc contractum quatenus ab homine pendet, utrum omnino et utrum cum hac determinata persona velit contrahere. Cum vero contractus matrimonialis sit contractus naturalis, etiam eius obiectum debet esse *naturale*, idest a natura designatum obiectum. Naturale est vero: ius in usum naturalem facultatis generativae, a Creatore una cum ipsa natura humana datae. Et sicut homini non competit potestas huic facultati generativae aliam substituendi facultatem, ita ei neque competit potestas substituendi naturali obiecto contractus obiectum aliud (neque ad lubitum suum, neque pro casu necessitatis, quando scl. deficit vel impossibile redditur obiectum naturale).

8. Omnino alia est ergo condicio hominis quoad facultatem generativam atque quoad facultates functionesque, immediate et directe in bonum individui datas. Quad has enim, eo ipso quod eas a natura accepit, accepit etiam ius tum in earum usum tum in earum fines tam particulares, quibus in toto organismo deserviunt, tum in generalem qui est bonum totius individui, cui fines particulares subordinantur. Ex hoc iure in ipsos fines resultat ius in media, ad finem obtinendum necessaria, eaque etiam artificialia, dummodo in se non offendant contra rectum ordinem. Ideo homo pollet iure substituendi his fun-

ctionibus et organis naturalibus operationes artificiales, immo integra membra artificialia, quando deficit natura. Aliter res se habet quoad facultatem generativam. Ex eo quod quisque habet suam per Creatorem ipsi communicatam naturam humanam, non iam habet ullum ius in huius naturae facultatem generativam, (neque in eius usum neque in eius naturalem finem et effectum, idest prolem); habet tantummodo innatum ius ineundi, positis ponendis, matrimonium. Ex matrimonio dein acquirit ius in usum, non autem in finem, idest prolem. Hinc numquam ex quaesito iure in prolem, seu in finem, derivare potest ius in media, (etiam artificialia, naturalibus substituta, si quando natura in naturalibus deficit), urgendo: quod qui habet ius ad finem, habeat etiam ius ad media, nisi haec probentur in se inhonesta. Ex quaesito suo iure solum deduci potest ius ad media artificiaila (in se recto ordini non contraria) ad obtinendam vel restituendam potentiam ad naturalem facultatis generativae usum; in hoc enim, et non nisi in hoc per contractum matrimonialem acquisivit ius.

9. Allocutionis Pontificiae theses et rationes vim ac veritatem non habent ex allatis hic considerationibus, ex natura rei petitis. Verba Allocutionis probant ex auctoritate loquentis, idest ipsius Summi Pontificis. Nihilominus considerationes theoreticae et speculativae, supra expositae, inservire possunt ad Allocutionem plenius profundiusque intellegendam, (cf. textum supra n. 4 allegatum).

10. Allocutio distincte tractat de fecundatione artificiali peracta: 1) extra matrimonium; 2) intra matrimonium, sed spermate tertiae personae; 3) intra matrimonium et spermate proprii viri.

11. Omnis fecundatio artificialis *extra matrimonium* reicitur et condemnatur tamquam immoralis. Effertur: secundum legem naturalem et divinam procreationem novae vitae non posse esse nisi actum et fructum matrimonii; solum enim matrimonio provideri sufficienter dignitati coniugum (et imprimis — in casu de quo agitur — dignitati mulieris), insuper eorum bono personali; tandem solummodo in matrimonio, de se, apte et efficaciter provisum esse bono et educationi prolis. Urgetur: de hac re non

posse esse inter catholicos ullam diversitatem sentiendi; de caetero: prolem tali modo ortam extra matrimonium habendam esse illegitimam.

Quod attinet ad naturae vetitum dandi vitam extra matrimonium, iuvat in memoriam revocare verba Litt. Encycl. *Casti connubii*: « Neque id denique silendum est quod, cum tantae dignitatis tantique momenti sit utrumque hoc munus parentibus in bonum prolis commissum: facultatis a Deo ad novam vitam procreandam datae honestus quilibet usus, ipso Creatore ipsaque naturae lege iubentibus, *solius matrimonii ius est ac privilegium et intra sacros connubii limites est omnino cohibendus* » (AAS, 22 (1930) pag. 546).

12. Fecundatio artificialis intra matrimonium, sed mediante spermate tertiae personae (« donatoris ») item simpliciter et omni recursu reiecto reprobatur ut immoralis. Additur ratio: soli coniuges habere mutuum in corpus ius novae vitae procreandae, idque exclusivum, irrenuntiabile, inalienabile. Bono prolis prohiberi, ne ab aliis quoque personis proles generari licite queat; nam ius et obligationem providendi proli procreatae fontem et fundamentum habere ipsam generationem; iam vero inter maritum uxoris (ex spermate personae tertiae) prolem parturientis et ipsam hanc prolem, nullam esse relationem originis, ideoque nullum ex data origine obligationem conservationis et educationis prolis.

Similis, sed magis evoluta argumentatio habetur in modo allegatis Litt Encycl. *Casti connubii*. « Procreationis autem beneficio bonum prolis haud sane absolvitur, sed alterum accedat oportet, quod debita prolis educatione continetur. Parum profecto proli generatae atque adeo toti generi humano providisset sapientissimus Deus, nisi, quibus potestatem et ius dederat generandi, iisdem ius quoque et officium tribuisset educandi. Neminem enim latere potest prolem, ne in iis quidem quae ad naturalem vitam, multoque minus in iis quae ad vitam supernaturalem pertinent, sibi ipsam sufficere et providere posse, sed aliorum auxilio, institutione, educatione per multos annos indigere. Compertum autem est, natura Deoque iubentibus, hoc

educandae prolis ius et officium illorum inprimis esse, qui opus naturae generando coeperunt, inchoatumque, imperfectum relinquentes, certae ruinae exponere omnino vetantur. Jamvero huic tam necessariae liberorum educationi optima qua fieri potuit ratione provisum est in matrimonio, in quo, cum parentes insolubili inter se vinculo connectantur, utriusque opera mutuumque auxilium semper praesto est » (AAS, 22 (1930) p. 545).

13. Quod tandem spectat fecundationem artificialem intra matrimonium et spermate propri viri peractam: praemissis duobus principiis generalibus de discernenda alicuius actionis honestate, duo alia monentur quae in fecundatione artificiali dijudicanda et adhibenda haud raro oblivioni fuerunt data et adhuc dantur. Sequitur dein et paucis absolvitur iudicium auctoritativum, cui additur clausula circa artificialia adiumenta actui naturali sive ponendo sive posito applicata; memoratur denique actus naturalis praevalens momentum et dignitas. Sic huic parti finis imponitur.

14. Et primo quidem monetur in genere: honestatem et liceitatem alicuius medii et actionis non probari solo facto, quod fuerit vel sit efficax ad finem intentum obtinendum; quod significat in casu: fecundationem artificialem non solo effectu secuto (idest facto prolis procreatae) probari posse licitam. Quibus urgetur generale principium: *finis non sanctificat media.*

15. Monetur dein secundo: subiectivum desiderium aliquod, in se omnino honestum, imo forte forte innatum, positivis ac solidis rationibus innixum: ex se solo non sufficere ad cohonestandam vel honestam probandam viam, qua huic desiderio satisfit.

(Desiderium servandae vitae est naturale et omni homini innatum, est omnino honestum; sed nihilominus non sufficit ad cohonestandam directam procurationem abortus, si mater alia via huic naturali desiderio satisfacere non potest. — In coniugibus desiderium habendi naturale commercium matrimoniale et quidem sine timendis gravissimis incommodis, (matrimonio extrinsecis, ex nova praegnatione orituris), in se non est inhonestum; at minime sufficit ad cohonestandam directam sive

viri sive mulieris sterilisationem vel aliquam Onanismi coniugatis speciem. — Desiderium evitandi vel removendi graves, continuas, fere intolerabiles tensiones sexuales est naturale et in se non inhonestum; sed procurata pollutio vel commissa fornicatio nullatenus cohonestatur et licita redditur, quia iis huic desiderio satisfieri potest; et haec illiceitas perstat, etsi haec media revera essent unica quibus istae tensiones tollerentur).

16. Quod principium applicatur ad fecundationem artificialem, dicendo: etsi in coniugibus desiderium habendi prolem sit iustum et honestissimum, tamen ex solo facto, quod huic desiderio hac via satisfieri possit (et forte satisfieri non possit nisi fecundatione artificiali), non probari huius viae honestatem et liceitatem. In fundo haec secunda consideratio reducitur ad primam, quia utraque fundatur in eadem regula: *finis non sanctificat media,* solummodo *terminus a quo* utriusque argumentationis est alius; prima incipit a considerando *obiecto,* in quod tendit actio (= proles), secunda procedit a *subiecto* seu a persona quae appetit obiectum (id est prolem) fecundatione artificiali obtinendum.

In articulis et discussionibus argumentatio (quae fit ex effectu et efficacia fecundationis artificialis) aliquoties paulo aliter procedit; non argumentantur ex ipso effectu (= prole), sed *ex iure* in hunc effectum. Sed neque hoc effugium sufficit ad liceitatem huius methodi probandam; nititur enim in falso supposito quod contractus matrimonialis (immediatum et directum) obiectum habeat ipsam prolem seu ius in prolem; (cf. quae supra n. 7. de hac re dicta sunt).

17. Observationes, memorata haec duo principia generalia sequentes, versantur circa errores quosdam fundamentales, qui in discutienda fecundatione artificiali iterum iterumque occurrunt.

Prima in memoriam revocatur: fecundationem artificialem non posse supplere fecundationem naturalem eo sensu, ut qui potens sit ad fecundationem artificialem ipso

facto sit etiam capax ad matrimonium. Intactum manet ergo principium: qui laborat impotentia antecedenti et perpetua ad coeundum, arcetur impedimento impotentiae a matrimonio contrahendo, quantumvis potens sit ad fecundationem artificialem. Intrat etiam hoc loco error: contractus matrimonialis obiectum proprium non esse ius in naturalem activitatem generativam, sed ius in huius activitatis naturalem fructum et finem (prolem). Si accurate examinantur nonnullae publicationes medicorum, quae sunt de « indicationibus » fecundationis artificialis peragendae, haud pauci deteguntur casus, in quibus sine haesitatione impotentia coeundi et consequenter incapacitas ad contrahendum asseri debeat ob evidens impedimentum impotentiae. Superfluum sane est quoad huiusmodi casus discutere quaestionem de adhibenda inseminatione artificiali.

18. Altera observatio Allocutionis est de via qua in casu fec. art. sperma mariti acquiratur. Pontifex hic loquitur in suppositione (*dato, non concesso*): fec. art. aliquando licite fieri posse. Qua suppositione facta, superfluum esse dicit: monere, sperma licite numquam posse procurari actibus contra naturam (« par des actes contre nature »). Sunt huiusmodi « actus contra naturam »: actus omnes qui ex interna sua natura atque structura sperma, iisdem procuratum, fini eius naturali subtrahunt ita ut vi huius actionis huic fini inservire non iam valeat. « *Intentio agentis* » (antecedens, concomitans, subsequens) sicuti nequit intrinsecam actus positi naturam et structuram, ita neque eius (inde resultantem) intrinsecam ineptitudinem et innaturalitatem mutare vel tollere. Tales « actus contra naturam » secundum communem Moralistarum doctrinam sunt imprimis: procurata pollutio, copula condomistica, copula abrupta, omnis copula extra vas naturale peracta.

Pauci qui dubium movere conati sunt, num sint et maneant adhuc « actus contra naturam » pollutio etc., si fiunt exclusive in finem naturalem generationis, oblivioni dederunt rationem modo allatam, quod scl. actio in sua specie morali primo et per

se ponatur intrinseca sua natura; intentione agentis solummodo, si actio in se est moraliter indifferens. Scripserat Palmieri (Op. Theol. tract. X, n. 1304): « Sed forte quis negabit hypothesim haberi heic veram pollutionem, quoniam emissio seminis est ad hoc ordinata ut in vas uxoris ipsum semen introducatur, ad quam introductionem ius habet vir, qui artem adhibet, ut id quod natura intendit, nec aliter ipse obtinere potest, assequatur. Sane heic seminis eiecti frustratio non haberetur et fructus legitimus consequeretur ». Praeterquam quod in hac consideratione (gratuito et falso) supponatur: virum ad seminis introductionem, *quoquo modo faciendam*, habere ius — (ex contractu matrimoniali habet tantummodo ius *ad naturale facultatis generativae usum*, in quo continetur *naturalis immissio seminis*): argumentatio neglegit veram specificationis moralis rationem, quae est in interna actus natura. Idem valet de alterius cuiusdam auctoris ratiocinatione, qua hic conatus est liceitatem *copulae condomisticae* probare, in qua emissio seminis (ex-seminatio) immediate fit non intra, sed extra vas naturale, in vas scl. artificiale et nova dein actione semen acquisitum mittitur — (via artificiali) — in organismum uxoris. De omnibus huiusmodi machinationibus quae ad semen mariti (extra copulam naturalem naturaliter peractam) procurandum adhibentur, valet observatio a Merkelbach O. P. facta (Summa Theol. Moral. III, n. 938, p. 939): « Duplex [hic] est actio hominis: prior qua semen expellitur vel extrahitur, quae de se nullatenus tendit ad generationem, sed e contra est generationis impeditiva, utpote semen extra copulam profundens et hac ratione graviter mala; altera artificialis, qua semen *postea* introducitur in vaginam mulieris vel uterum. Et quamvis sic adhibeatur iam semen ad fecundadndam uxorem: actio tamen qua expellitur aut e testiculis extrahitur, quantum est *de se, ex natura sua et ex modo quo fit*, ita semen emittit ut generatio *naturaliter* impediatur, etsi, *per accidens*, ex *alia actione consequenti*, huic defectui obvietur, ut semen *artificiali modo* ad generationem conferat. Quod nihilominus est insufficiens ad rectitudinem in priori actione restituendam ».

19. Absolutis omnibus his animadversionibus praeviis, sequitur ipsum de fecundatione artificiali inter coniuges iudicium auctoritativum: « *Non solum extrema cautione et reservatione opus est, sed ipsa est absolute eliminanda* » (« En ce qui touche la fécondation artificielle, non seule-

ment il y a lieu d'être extrêmement réservé, mais il faut absolument l'écarter »). Ut falsae suspiciones praecaveantur, et ne quae hoc loco dicuntur contraria appareant eis quae intio Allocutionis de magno in variis campis artis medicinae progressu approbando, adhibendo, promovendo dicta sunt, huic iudicio auctoritativo praemittitur monitio: novas in arte medica methodos minime esse excludendas ex eo solo motivo, quod sint novae. Auctoritativum ergo iudicium non fundatur in aliqua contra novas vias aversione vel suspicione, neque in aliquo « conservativismo » nimis cauto, sed unice in defendenda ordinis moralis rectitudine ac dignitate.

20. Nullibi in tota Allocutione datur aliqua « fecondationis artificialis » definitio vel descriptio cui iudicium prolatum applicetur, eius notio potius omnibus nota supponitur. Difficile sane est fec. artif. describere *positive; nam*, cum sit inventum humanum, non unus, sed plures ab hominibus excogitari possunt modi et viae. E contra *modus naturae* est unus tantum, a natura singulis eius elementis insitus. Quapropter facilius tutiusque est: fecundationem artificialem definire *negative*, idest in oppositione ad fecundationem naturalem, dicendo: est modus transferendi sperma viri in organismum mulieris modo ad generationem obtinendam apto, sed diverso a modo naturae. Secundum hanc descriptionem habetur ergo fecundatio artificialis in omni casu, in quo sive unum sive plura ex eius elementis constitutivis artificialiter peraguntur, sive exseminatio, sive inseminatio, sive utraque. (De indole fec. artif. in oppositione ad fec, nat. vide supra n. 6).

21. Auctoritativum hoc Summi Pontificis iudicium *omnem* fec. artif. (quae vere talis est) reprobat et omittendam statuit; concordat hac in re cum Decreto S. Officii d. d. 25 martii 1897, quo ad Dubium « *An adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio*, S. Officium, nulla facta distinctione, respondit: « Non licere ». Hinc non iam sustineri posse videtur aliquorum auctorum sententia lici-

tam esse fecundationem artificialem, spermate procurato: sive punctione testiculorum vel epididymis, sive pressione, sive naturali pollutione, sive quocumque alio modo, in se non illicito. Non habetur ulla fecundatio licita praeter naturalem.

22. At, ita reprobata qualibet fec. artif., non eo ipso reprobatur etiam quodlibet *artificiale adiutorium* fecundationis *naturalis*, sive faciendae sive iam factae. Explicite in Allocutione effertur: enuntiatam reprobationem non dicere etiam reprobationem omnis auxilii, mediis artis medicae praestiti. Verba Allocutionis non positive tale auxilium dicunt licitum sed immediate significant tantum: huiusmodi media non contineri reprobatione fec. artif. Quid de his auxiliis artificialibus accessoriis fec. naturalis sentiri debeat, ex ipsa Allocutione erui non potest — (quia de his evidenter deliberato consilio agere recusat) — sed aliunde disci et dijudicari debet.

23. Media artificialia, quibus ponendus actus naturalis tandem possibilis vel facilior reddatur, non tangi reprobatione fecundationis artif. ex natura rei patet; nam in tali casu proprie nihil *fecundationis* occurrit. Nihilominus hac in re tutius fuit: statim ab initio removere periculum falsae huiusmodi interpretationis vel illegitimae extensionis verborum Allocutionis ad talia praevia auxilia artis medicae.

24. Proprius ad fecundationem artif. accedunt media artificialia, quibus naturalis actus, normali modo factus, iuvetur, ut finem suum assequatur; nam in tali casu revera ipsa « *fecundatio* » artificialiter iuvatur. Sat varia sunt huiusmodi auxilia e. gr. promotio vel propulsio seminis, actu naturali in vagina depositi, in partes vaginae profundiores mediante cylindro solido; vel assumptio seminis, copula naturali in naturale vas ejaculati, in syphunculum et subsequens mediante hoc instrumento inmissio spermatis assucti in cervicem vel corpus uteri. De valore medico huius manipulationis iudicent medici, de

eius honestate et liceitate non est una Moralistarum sententia.

Nonnulli hanc methodum sine haesitatione dicunt licitam; plures idem censent sed cum haesitatione quadam, pauci eam habent illicitam.

Qui sententiam affirmativam tenent — (est pars longe maior) —, urgent: actum nihil continere quod sit contra naturam, sed adhibito medio artificiali, posito et finito actu naturali, adiuvari opus naturae, quod actum hominis subsequatur; esse autem licitum naturam arte iuvare. Ipse quoque Merkelbach, cuius severum et negativum iudicium de fecundatione art. supra n. 18 allatum est, artificiali fecundationi hoc adiutorium artif. opponit, neque reprobat. « Aliud esset — (haec sunt eius verba) — si rite peracta copula et semine non ad ostium quidem sed *in introitu* vaginae deposito, ibi, *quin ex vagina extrahatur,* recolligeretur et ope syphunculi profundius ad uterum traiceretur. Sic enim nullo momento semen ordinatione sua ad finem generationis privaretur; unde id non videtur esse nisi adiuvare naturam » (Summa Theol. Mor., III, n. 938, Nota 1).

26. Qui aliter sentiunt, concedunt quidem hanc artificialem iniectionem tempore et loco immediate iungi cum antecedenti actu naturali copulae; negandum autem putant: hanc actionem non esse nisi eiusdem actus naturalis continuationem et merum adiutorium naturae exhibitum in opere suo praestando. Ipsis videtur: assunctione spermatis in syphunculum cursum naturae actu hominis *interrumpi,* non continuari; eo enim quod sperma in syphunculum assugatur, sperma dicunt poni in conditione, in qua de se fini suo naturali sit subtractum eique inservire non iam queat. Ex eo autem quod dein (statim quidem, sed per accidens et per novam actionem hominis) in via naturali reponatur et fini restituatur, assuctionem antecedentem non amittere suam indolem impeditivam generationis. Neque admittendum iudicant « argumentum a pari », petitum ex operatione chirurgica, quam peragendo medicus aegroto gravissimum forte vulnus primo inferat — (quod per se sit omnino illicitum) — quod tamen licite inferat, cum fiat in finem sanationis obtinendae, quam alia via efficere nequeat; totam huiusmodi chirurgi actionem debere « *per modum unius* » considerari et quoad valorem moralem dijudicari. Urgent adversarii: oblivioni dari , in casu necessitatis operatione chirurgica aegroto infligere grave vulnus non esse actionem in se illicitam cum non excedat ius hominis in corpus suum. Illicitum vero et innaturale esse: sperma contra finem

naturalem (etsi ad breve tantum tempus) directe subtrahere naturali fini; cum homo nullum habeat ius directe disponendi de semine, nisi in exercitio naturalis copulae. Actu autem contra naturam iuvare naturam in opere suo dicunt licitum non esse.

27. At cum res controvertatur inter auctores serios, neque medici neque coniuges, stante hac controversia, inquietandi sunt, si hac methodo uti volunt.

28. Absolvitur tota haec Allocutionis de fecundatione artificiali pars monitione supra n. 4 iam allata, ut servetur scl. in vita danda naturae ordo, cum ipsum Deum habeat auctorem, sua sapientia et bonitate qui statuit quod coniugibus generantibus simul ac proli generatae maxime prosit eosque unice decet.

FRANCISCUS HÜRTH S. J.

28. - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*A.A.S.* XXXXI [25 Apr. 1949] p. 165)

Motu Proprio

DE PONTIFICIO S. EUGENII INSTÌTUTO PRO SACRORUM ADMÌNISTRIS A SACERDOTIO RECENTIBUS.

PIUS PP. XII

Quandoquidem, templum divo Eugenio I dicandum adiectaque domus non multum post temporis, Dei iuvante, iam in promptu erunt — ac libet heic iis omnibus plurimas grates agere, quorum generosae largitati res debetur — cupimus ac volumus ut inibi condatur paroecia, quae iisdem regatur normis ac fruatur iuribus, quibus ceterae almae Urbis paroeciae reguntur ac fruuntur.

Ac praeterea Nobis in animo est aliud etiam in iisdem aedibus constituere, quod confidimus fore Romano clero, Nobis sane carissimo, valde frugiferum.

Sunt enim quaedam ad rei catholicae profectum ita necessaria, ut cum iisdem ipsius Ecclesiae status atque incrementum coniungantur quam maxime. In quibus quidem recta adulescentis cleri institutio ac conformatio ponenda est; quapropter non modo Decessores Nostri, sed sacrorum etiam Antistites in quavis terrarum orbis parte cordi semper habuere peculiares sui officii curas in hac re collocare; idque post celebratam Tridentinam Synodum potissimum effectum est per instituta in singulis Dioecesibus Seminaria, in quibus delecti iuvenes, divino quodam instinctu ad sacerdotalia capessenda munia vocati, rite educarentur.

Quando tamen ex his studiorum domiciliis sacerdotes novensiles proficiscuntur, ut sibi creditum ministerium suscipiant, etsi sunt sacris disciplinis pietatisque fervore praediti, nihilo secius cum saeculi afflatum sentiunt, atque in media rapiuntur aetatis huius nostrae pericula difficultatesque, non raro experiuntur se haud satis esse ad increscentibus populi necessitatibus occurrendum instructi, atque interdum etiam animo concidunt, cum se cernunt non sine proprio discrimine a christianae doctrinae christianaeque virtutis hostibus acerrime impugnari.

Oportet igitur iuvenes a sacerdotio recentes opportunis illis disciplinis ac rebus exerceantur, quibus iisdem opus sit ut novas etiam apostolatus formas, quas nostra induxerit aetas, expedite, apte alacriterque tractare valeant.

Norunt profecto omnes primos potissimum sacerdotii annos, cum sacri administri ex Seminarii claustris in apertum campum prosiliunt, ut quae in scholis didicerint ad rem deducant, peculiarem habere momenti gravitatem, atque interdum etiam non leve discrimen. Ex iisdem siquidem saepenumero pendet futurae eorum vitae cursus, atque adeo eorum morum eorumque sacerdotalis muneris processus. Hac de causa facile cernitur quam opportunum ac prorsus necessarium sit eos in sacrae militiae initio optimos habere duces ac magistros, qui eis non tam doctri-

nae praeceptis, quam sacerdotalis ministerii exercitatione in exemplum praeluceant.

Id quidem non novum in Ecclesiae annalibus est; quod Romae S. Philippus Nerius hac in re peregit, quod S. Carolus Borromaeus Mediolani gessit, ac superiore saeculo Augustae Taurinorum S. Iosephus Cafasso « Ecclesiasticum Convictum » moderando obtinuit, id omnibus perspectum est; at multa alia hoc genus opera atque instituta memorari queunt, quae ad optimam sacerdotum conformationem summopere contulerunt.

Haec Nos mature considerantes, cum vehementer cupiamus ut iuvenis Almae Urbis Clerus, qui peculiari modo ac titulo Nobis carissimus est, hisce adiumentis ne careat, optamus ac volumus Pontificium Institutum Romae condere, cui quidem sit gravissima haec causa demandata. Quapropter per has litteras motu proprio datas decernimus aedificia illa, de quibus supra mentionem fecimus, non modo novae paroeciae, sed Pontificio etiam Instituto attribuenda esse, Romano clero novensili hac ratione instituendo.

Haec praeterea, quae sequuntur, statuimus ac decernimus:

I. Pontificii huius Instituti Rector a Nobis Nostrisve Successoribus eligetur, audito Cardinali in Urbe Vicario.

II. Novi Almae Urbis sacerdotes per certum tempus inibi commorabuntur, ut non modo virtute, sed sacro etiam in ministerio exerceantur, peculiarique modo in iis apostolatus formis, quas nostrum invexit saeculum.

III. Addiscent iidem quid nostra tempora postulent, quibus necessitatibus angantur, quae pericula ac discrimina praebeant; atque adeo opportunis omnibus rationibus instruentur, quibus et haec pericula facilius superare, et praesentibus hisce necessitatibus modo aetati nostrae pari actuoseque respondere queant.

IV. Sacris concionibus exercebuntur, impertiendaeque christianae doctrinae institutione; qua de causa in pa-

roeciales aedes statis temporibus se conferent, ubi eorum opera apte utiliterque dirigetur.

V. In gerendis administrandisque paroecialibus officiis sub optimorum magistrorum ductu pariter exercebuntur.

VI. Vitam communem agent, ex qua quidem magnum experientur spiritualis utilitatis profectum.

Dum Nos haec decernimus, suavissima spe ducimur fore ut almae Urbis sacerdotes ex hoc Instituto habeant ut sibi, sacro suo muneri Romanoque populo aptius uberiusque, divina adspirante gratia, prospicere ac consulere queant.

Quod vero a Nobis hisce litteris motu proprio datis, decretum ac statutum est, id firmum ac ratum esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

29. - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DECRETUM

SCHISMATICA « ACTIO CATHOLICA » IN CECOSLOVACHIA DAMNATUR.

(*A.A.S.* XXXXI. [2 Jul. 1949] p. 333).

Postremo hoc tempore Ecclesiae Catholicae adversarii in Cecoslovachia falsi nominis « *Actionem Catholicam* » dolose excitarunt, qua illius Reipublicae catholicos inducere conantur, ut ab Ecclesia Catholica deficiant et ab oboedientia legitimis Ecclesiae Pastoribus debita recedant.

Quae *actio* eo est iniquior quod eius agitatores non dubitarunt multos cogere, vi vel dolo, ad nomina sua eidem danda; imo eo pervenerunt ut inter asseclas etiam

multos sacerdotes et laicos catholicos recensere atque enuntiare auderent, qui ei numquam adhaeserunt, quin etiam contrariam voluntatem manifestarunt.

Quapropter Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, munere suo fungens fidei ac morum integritatem tuendi, nomine et auctoritate Ssmi D. N. Pii, Div. Prov. Papae XII, praedictam actionem, fraudulenter « *Actionem Catholicam* » nuncupatam, reprobat ac damnat tamquam schismaticam, simulque declarat omnes et singulos, clericos et laicos, qui ei scienter ac sponte iam adhaeserint vel in posterum adhaereant et nominatim eius auctores et promotores, tamquam schismaticos et ab Ecclesia Catholica apostatas incurrisse vel incursuros esse ipso facto in excommunicationem speciali modo Apostolicae Sedi reservatam, de qua c 2314, firmis ceteris Iuris Canonici sanctionibus, quibus ipsi dein erunt plectendi, si (quod Deus avertat) in censura contumaciter perseveraverint.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 20 Iunii a. 1949.

L. ✠ S.

Petrus Vigorita, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

30. - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DECRETUM

(*A.A.S.* xxxxi. [2 Jul. 1949] p. 334).

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione:

1. utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare;

2. utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere;

3. utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint;

4. utrum christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

E.mi ac Rev.mi Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in consessu plenario feriae III (loco IV), diei 28 Iunii 1949, respondendum decreverunt:

Ad 1. *Negative*: communismus enim est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt;

Ad 2. *Negative*: prohibentur enim ipso iure (cfr. can. 1399 C. I. C.);

Ad 3. *Negative*, secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi;

Ad 4. *Affirmative.*

Et sequenti feria V, die 30 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali promulgari iussit.

Datum Romae, die 1 Iulii 1949.

L. ✠ S.

Petrus Vigorita, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

Hoc decreto in claram lucem ponuntur quae forsan lenitatis spiritu, fortasse quandoque tergiversationis studio obscuriora in dies deveniebant dum christiani nominis hostis, maiori nisu efficaciorique successu, animorum pernitiem moliebatur.

Christifideles qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur ab his secernuntur qui eam non tenentes communistae gregales vocari possunt.

Cum hodierni Communismi principia, placita et praescripta, putido materialismo mersa, negationem imo et rebellionem adversus Religionem et Ecclesiam constituant *Decretum Ad* 4 declarat; catholicos qui partium comunistarum doctrinam tenent, et in primis qui eam defendunt vel propagant incurrisse in excomunicationem speciali modo c. 2314 & e n. I et & 2, Sedi Apostolicae reservatam utpote qui ad noram c. 1325 & 2 vere in apostasiam incidisse sunt habendi.

Sunt et alii christifideles qui fundamentali communismi doctrinae non adhaerentes, scienter et libere eiusdem partibus nomen dedere vel saltem comunisticae actioni aut scriptis directe vel indirecte favent.

Hos inter numerandi sunt qui eum reputantes consociationem politico-socialem-oeconomicam quae vult solummodo operariae plebis sortem ad meliorem fortunam efferre, liberalismi et capitalismi abusus sanare, aequabiliorem bonorum partitionem provehere, eidem favorem praestant.

Quidquid gregales autument vel intendant societatem intrinsecus pravam atque ab Ecclesia damnatam aut sectantur aut adiuvant.

Inde 1) Haud licitum est, vel clarius, lethaliter peccat quicumque scienter et libere communistarum partibus

— quolibet huiusmodi factiones nomine vocentur, quibuslibet sub ducibus militent et quolibet praetextu sint a communistis conditae — nomen dat, aut eisdem adiutricem operam commodat. (*Decretum Ad* 1).

2) Neque fas est edere, propagare vel legere libros, periodica diaria, vel folia quae communistarum doctrinae vel actioni patrocinantur. (*Decretum* ad 2). Praeter enim quam quod nemo non videt gravem illiceitatem cooperationis comunistarum propositis, haec responsi pars nihil est aliud quam singularis 1399 - nn. 1 et 8 - et c. 1384 § 2 applicatio. « Ipso iure prohibentur libri » — intellige etiam publicationes diarias, periodica, aliaquae quaelibet edita scripta — « qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt... qui duellum vel divortium licita statuunt ».

Quae omnia in cómunistarum scriptorum natura posita reperiuntur.

3) Neque licitum est in eis scribere. (*Decretum ad* 2). Quamvis scriptorum auctor in eis ephemeridibus communistis eius materialisticam et antichristianam doctrinam non tueatur aut diffundat, etiam si in eis de rebus scenicis vel ad sport pertinentibus agat, nihilominus sic dictae « propagandae » et actioni nefariae societatis cum magno animarum detrimento et scandalo cooperatur.

4) Christifideles qui actus de quibus in nn. 1, 2 et 3 huius adnotionis scienter et libere posuerint ad Sacramenta admitti nequeunt. Sunt etenim vel culpabiliter societati ab Ecclesia prohibiti adscripti vel saltem publici peccatores qui dum a sua agendi ratione recedere nolunt in statu manent mortalis peccati, cumque nullam esse emendandi voluntatem monstrent indigni fiunt Sacramenta recipiendi. (*Decretum ad* 3).

Quod ad Sacramentorum susceptionem ab apostatis communistis attinet, liceat in memoriam revocare verba c. 2260 § 1. « Nec potest excommunicatus Sacramenta recipere... ».

Decretum S. Officii ne verbum quidem facit de his qui vi aut ignorantia nomen communistis factionibus dederunt vel eisdem favent .

Quod dirum magis infortunium vel quae maior poena hos percellere potuit quam communismi tyrannide irretiri?

MICHAEL FÁBREGAS S. I.

31. - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DUBIUM

DE CELEBRATIONE MATRIMONII INTER ACATHOLICOS
(*A.A.S.* XXXXI [6 Sept. 1949] p. 427).

Proposito Supremae huic S. Congregationi dubio:

Utrum praescriptum can. 1088 § 1 applicetur etiam matrimoniis acatholicorum baptizatorum;

Feria IV, die 18 Maii 1949

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt:

Affirmative.

Et die 26 Iunii eiusdem anni Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XII, in Audientia Adsessori S. Officii impertita, relatam sibi Em.orum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii die 30 Iunii 1949.

PETRUS VIGORITA, *Supr. S. C. S. Off. Not.*

Adnotatio

Huius « *Dubii* » responsum explanatum inveniri licet in Dissertatione « Dubia Matrimonialia » quam R. P. F. Hürth S. I. pro hoc numero « Periodica » (pag. 21, n. 26) est commentatus antequam S. Officii decisio in lucem proferretur.

32. - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DECLARATIO

DE COMMUNISTARUM MATRIMONII CELEBRATIONE

(*A.A.S.* XXXXI [6 Sept. 1949] p. 427).

Quaesitum est utrum exclusio communistarum ab usu Sacramentorum in Decreto S. Officii diei 1 Iulii 1949 statuta, secum ferat etiam exclusionem a celebrando matrimonio: et quatenus negative, an communistarum matrimonia regantur praescriptis canonum 1060-1061.

Ad rem Sacra Congregatio S. Officii declarat: Attenta speciali natura sacramenti matrimonii, cuius ministri sunt ipsi contrahentes et in quo sacerdos fungitur munere testis ex officio, sacerdos assistere potest matrimoniis communistarum ad normam canonum 1065, 1066.

In matrimoniis vero eorum, de quibus agit n. 4 praefati Decreti, servanda erunt praescripta canonum 1061, 1102, 1109 § 3.

Datum ex Aedibus S. Officii die 11 Aug. 1949.

MARINUS MARANI, *Supr. S. C. S. Off. Subst. Not.*

Adnotationes

Declaratio, specialem Matrimonii naturam revocans indicat, firmo decreto S. Officii 1 Iulii, communistas ab hoc Sacramento non excludi et normas dat quibus in eo suscipiendo regi debent.

Ecclesia, gravibus certo de causis, publicos peccatores et haereticos et schismaticos — quos a suis Sacramentis arcet — imo et infideles ad matrimonium cum catholica parte ineundum admittit. Quid mirum si haud severius cum communistis agere voluit?

Matrimonium sacramentum est cuius ministri sunt ipsi contrahentes. Si ut ab his valide et conficiatur et suscipiatur praesentia, ut solet, requiritur sacerdotis, hic solummodo testis officialis munere fungitur et ritus sacros administrat qui religiosam matrimonii solemnitatem sectantur. Cum graves adsint causae Ecclesia permittere potest ut sacerdos hac sua praesentia materialiter cooperetur matrimonio a parte vel a partibus indigne aut sacrilege celebrato.

Graves imo gravissimas huiusmodi causas, tum bonum privatum tum vel maxime bonum Ecclesiae publicum satis superque afferent. Puta quot concubinatus, quam multi haud legitimi filii quot quantaque animorum discrimina consequerentur si Ecclesia communistas a Matrimonio penitus arceret.

Atqui e communistis et filo-communistis alii communismi materialisticam et antichristianam doctrinam profitentur — apostatae —; alii vero non, — gregales —.

Hoc inter quos gregales appellamus, alii scienter et libere — quidvis in eo vel pro eo faciant —, communismo, societati scilicet ab Ecclesia damnatae nomen dederunt.

Iuxta *Declarationem* horum matrimonio si illud cum parte catholica non communista ineant, applicari debet praescriptum c. 1065 § 2. « Parochus praedictis nuptiis

ne assistat nisi consulto Ordinario qui inspectis omnibus rei adiunctis ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis ». Gregalium alii Communismo operam adiutricem navant vel ei favorem praestando, vel edendo, legendo, propagando eius scripta, vel in eis scribendo quin tamen communistarum factionibus seu partibus nomen dederint.

Si res ita se habuerit matrimonium horum si cum coniuge catholico non communista velint contrahere regi debet c. 1066; peccatores enim publici sunt. « Publicus peccator... si ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua si fieri possit consulat Ordinarium ».

Brevi; cum de gregalium matrimonio agetur semper aut fere semper res deferenda erit Ordinario et ab eo diiudicanda atque decernenda.

Quod ad communistarum apostatarum matrimonium refert, *Declaratio* indicit id regi norma canonum 1061, 1102 et 1109 § 3.

Quamvis suspicari quis posset hos comunistas a Christianismo defecisse ut communismi religionem amplecterentur tamen nec materialismum, religionem in sensu canonum vocari licet nec eosdem Ecclesia haereticos aut schismaticos censet cum ad eorum nuptias dispensationem ab impedimento mixtae religionis non requirat.

Verum tamen hi Christi Religioni sanctaeque Dei Ecclesiae acriter adversantur. Eorum coniugium grave perversionis periculum pro parte catholica et prole forse nascitura constituit. Inde Ecclesia quantum potest curat fideles ab illis absterrere aut sin minus cautiones exigere ne fides detrimentum capiat.

Ad normam c. 1062 Ordinarius matrimonium catholici cum communista apostata non permittet nisi 1. urgeant

graves causae. 2. Cautiones praestiterit coniux communista de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda. 3. Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento, § 2. Cautiones regulariter in scriptis exigantur.

Cum Ordinarius matrimonium permisserit sciant ambo coniuges, praesertim vero catholicus non communista, ad tenorem c. 1102 § 1, sacerdotem valide assistentem, neque vi vel metu gravi constrictum, interrogationes de consensu facturum; at vero ad normam § 2 eiusdem canonis « omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis ceremoniis, exclusa semper Missae celebratione permittere. Ad haec, accedit praescriptum c. 1109 § 3: « Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam » — cui aequiparatur a *Declaratione* communista qui doctrinam materialisticam et antichristianam communismi retineat et profiteatur — « extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102 § 2.

Difficultas moveri posset de matrimonio duorum communistarum — sit venia verbo — apostatarum, vel duorum gregalium inter se. Prior casus nullam videtur practicam difficultatem secum ferre; nam duo coniuges communistae re vera doctrinarii nullo pacto matrimonium in facie Ecclesiae contrahere attemptabunt. Postremus difficile admodum reddet Ordinario vel parocho moralem certitudinem sibi comparare de bona fide et veritate cautionum datarum aut recessus a quacumque cooperatione in communismi favorem. Ordinario competet quod opportunum erit iudicare.

MICHAEL FÁBREGAS S. I.

33. - Sacra Congregatio Consistorialis

DECRETUM

DE FACULTATIBUS ET GRATIIS PRO AMERICA LATINA
(*A.A.S.* XXXXI [25 Apr. 1949] p. 189).

Conspicua privilegia Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium Americae Latinae a Summo Pontifice Leone XIII fel. rec. ad trentennium concessa, Summus Pontifex Pius XI, fel. rec. iterum largitus est ad decennium « Literis Apostolicis » diei 30 Aprilis 1929, quae, Decreto S. C. Consistorialis diei 18 Aprilis 1939, usque ad diem 30 Aprilis 1949 fuerunt confirmata.

Cum decimo exeunte anno, quos supra memoravimus, Americae Latinae Ordinarii, enixe, iisdem permanentibus adiunctis, postulaverint ut eadem privilegia prorogarentur, Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, de consulto SS. Dicasteriorum, pro materia ad unumquodque spectante, petitas facultates, nonnullis inductis immutationibus, quae opportunae visae sunt, omnibus et singulis Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium et ditionum Americae Latinae benigne confirmare et concedere dignatus est usque ad diem 21 Decembris 1949, iuxta modum qui infra sequitur:

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum, eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum ferre aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam, possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviori formula, quae a fel. rec. Decessore Nostro Paulo III missionaris in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis de-

fectum improbamque defatigationem, vel aliis gravibus de causis, omnes adhibere pro baptismo adultorum praescriptas coeremonias haud facile valeant, solis ritibus qui in Constitutione fel. rec. Pauli Pp. III *Altitudo* die 1 mensis Iunii anno MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum, secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato, deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes, quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes, numquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Instructione pro simplici sacerdote, ex Sedis Apostolicae delegatione, Sacramentum Confirmationis administrante (*A. A. S.*, XXVII, 11 seq.).

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes qui, Missionum causa, ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali sede dissitas pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, absente Ordinario, vel parocho, vel Vicario cooperatore, atque iis servatis, quae, prouti res ferat et loci ac temporis conditiones observari permittant, matrimonii celebrationi, ad normam Codicis Iuris Canonici canonis 1019 et seq., praemitti debent; facta tamen huius Apostolici Indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus, iuris dumtaxat ecclesiastici, impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis, quae ex Sacris Ordinibus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt; ex-

cepto quoque, ob rei gravitatem, impedimento de quo in canone 1075, nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales a Suprema Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

Pariter venia iisdem conceditur decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta; facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largitur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Conceditur pariter ut Sacra Olea etiam antiqua, non ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora Sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum atque illis in locis, in quibus ecclesia vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles, sacro adstantes, instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Calice effusionis Sacrarum Specierum periculum absit;

atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittitur ut a dominica Septuagesimae usque ad festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli praecepto annuae Confessionis et Communionis satisfacere possint.

11) Iisdem christifidelibus largitur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias et Iubilaea quae Confessionem et Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 26 Martii 1949.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Episc. Sabin. et Mandel., *a Secretis.*

L. ✠ S.

B. Benzoni, *Adsessor.*

34. - Sacra Congregatio Concilii

CIRCA FACULTATES DE MISSIS MODERANDIS
(*A.A.S.* XXXXI. [16 Aug. 1949] p. 373).

Cum extraordinaria rerum adiuncta cessaverint ob quae praescriptis Codicis Iuris Canonici interdum fuit derogatum, Sacra Congregatio Concilii, post collata consilii cum Ss. Congregationibus de Religiosis et de Propaganda Fide, speciali Ss.mi Domini Nostri Pii Divina Providentia Pp. XII mandato obsequens, decretum, diei 1 Augusti 1941, n. 3165/41 confirmat, simul declarans facultates omnes de Missis moderandis, — praeter sic dictas « quinquennales » Ordinariis datas, — a quacumque Auctoritate, quovis mo-

do, etiam « vivae vocis Oraculo » et ad quodvis tempus concessas sive Ordinariis quibuslibet, sive Superioribus Religiosis sive quibusvis aliis personis physicis vel moralibus, tamquam revocatas ac nullius roboris, abeunte anno 1949, habendas esse.

Quare posthac ad normam Codicis Iuris Canonici (cfr. can. 1517 § 1 et 1551 § 1) in singulis casibus ad Sanctam Sedem recurrendum erit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die xxx Iunii MCMXLIX.

F. Card. MARMAGGI, *Praefectus*

L. ✠ S.

F. ROBERTI, *a Secretis*

35. - Pontificia Commissio

DECRETUM

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

(*A.A.S.*, XXXXI [25 Apr. 1949] p. 158)

Emi. Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - *De dispensationibus*

D. I. An sub verbis can. 81 « *a generalibus Ecclesiae legibus* » comprehendantur vota Sedi Apostolicae reservata.

D. II. An Ordinarii, vi can. 81 et sub clausulis in eo recensitis, valeant dispensare subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi sacrum caelibatum.

R. Negative ad utrumque.

II - *De matrimonio putativo*

D. An sub verbo « *celebratum* » can. 1015 § 4 intelligi debeat dumtaxat matrimonium coram Ecclesia celebratum.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 Ianuarii anno 1949.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

A. Coussa, Ordinis Basiliani Aleppen., *a Secretis.*

ACTA SUMMATIM RELATA

36. - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Maternam*, 7 oct. 1944, quibus B. V. Maria « de Coromoto » praecipua caelestis patrona universae Venezuelanae reipublicae constituitur (*AAS* XLI [2 iul. 1949] u. 318-319).

B — Litterae Apostolicae *In pervetusta Aliphana*, 14 dec. 1945, qua ecclesiae paroecialis et collegialis Sanctae Mariae Maioris in oppido « Piedimonte d'Alife » in Aliphana dioecesi basilicae minoris dignitate insignitur (*AAS* [6 sept. 1949] p. 406-408).

C — Litterae Apostolicae *Cunctas haereses*, 20 iun. 1946, quibus B. V. Maria vulgo « Madonna di Tirano » in Comensi dioecesi patrona caelestis totius Valtelinensis regionis declaratur (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 319-321).

D — Litterae Apostolicae *Ostende mihi*, 2 apr. 1947, quibus B. V. Maria titulo « Domina nostra de Calle » praecipua patrona caelestis Palenciae civitatis confirmatur (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 321-322).

E — Litterae Decretales *Deus humilium*, 27 iul. 1947, quibus beatae Catharinae Labouré virgini, e Societate Puellarum Cartiatis S. Vincentii a Paulo, sanctorum honores decernuntur (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 385-396).

F — Litterae Apostolicae *Duplicem Divo*, 15 dec. 1947, quibus S. Bernardinus Realino confessor Lyciensis civitatis patronus caelestis aeque principalis constituitur (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 408-409).

G — Constitutio Apostolica 10 ian. 1948, qua canonicorum capitulum in cathedrali ecclesia Icensi erigitur (*AAS* XLI]2 iul. 1949[p. 308-310).

H — Litterae Apostolicae *Supremi pastoris*, 11 febr. 1948, quibus delegatio apostolica Palaestinae, Transjordaniae et Cypri insulae constituitur (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 322-323).

I — Litterae Apostolicae *Exstat*, 27 febr. 1948, quibus S. Adelaides imperatrix, vidua, praecipua patrona caelestis declaratur

oppidi « Seltz » in Argetoratensi diocesi (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 349-350).

K — Constitutio Apostolica 7 aug. 1948, qua ab archidioecesi Olidensi et Recifensi et a diocesibus Nazarensi et Pesqueirensi territoria distrahuntur, ex quibus nova dioecesis Caruaruensis contituitur (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 311-313).

L — Litterae Apostolicae *Praeclara*, 27 nov. 1948, quibus ecclesia cathedralis Jaciensis Deo in honorem B. Mariae Virginis Annuntiatae dicata basilicis minoribus accensetur (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 350-352).

M — Litterae Apostolicae *Quandoquidem*, 30 nov. 1948, quibus ecclesia abbatialis S. Mauritii Agaunensis, nullius dioeceseos, basilicis minoribus accensetur (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 352-354).

N — Consttiutio Apostolica 9 dec. 1948, qua praefectura apostolica de Tali in Sinis in dioecesim Talianam nomine erigitur (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 316).

O — Constitutio Apostolica 11 dec. 1948, qua ab archidioecesis Manilensis territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim « Sancti Ferdinandi » nuncupandam (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 400-402).

P — Constitutio Apostolica 11 dec. 1948, qua a dioecesibus Chicagiensi, Peoriensi et Rockfordiensi territorii pars avellitur, quae in novam erigitur dioecesim « Jolietensem in Illinois » nuncupandam (*AAS* XLI [6 sept 1949] p. 397-399).

Q — Litterae Apostolicae *Catholici orbis*, 18 ian. 1949, quibus ecclesiae paroecialis S. Mariae Virginis in civitate « Igualada », intra fines Vicensis dioecesis, basilicae minoris titulo et privilegiis cohonestatur (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 355-356).

R — Constitutio Apostolica 1 febr. 1949, qua a praelatura « nullius » Santaremensi pars seiungitur, quae in novam erigitur praelaturam « nullius », Macapensem nuncupandam (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 402-404).

S — Constitutio Apostolica 3 mart. 1949, qua a vicariatu apostolico de Bahr-el-Gazal et a praefectura apostolica de Bahr-el- Gabel territorii pars seiungitur, quae in novam erigitur praefecturam apostolicam sub nomine Mopoiensis (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 405-406).

T — Constitutio Apostolica 3 mart. 1949, qua vicariatus apostolicus de Yaoundé dismembratur et novus erigitur vicariatus de Doumé nuncupandus (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 316-317).

U — Epistula *Parmi les joies*, 21 mart. 1949 ad Rev.mum D. IOSEPHUM CARDIN, vicesimo quinto anno adveniente a sodalitate condita cui nomen « Jeunesse ouvrière chrétienne » (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 324-326).

V — Epistula *Supremam*, 17 apr. 1949, ad Em.mum P. D. NORMANNUM THOMAM, tit. Ss. Quattuor Coronatorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem GILROY, archiepiscopum Sydneyensem, quem legatum mittit ad sollemnia in Nagasaki celebranda quarto exeunde saeculo a quo S. Franciscus Xaverius ad Iaponiae insulas appulit (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 326-327).

X — Epistula *Suavi animi*, 30 apr. 1949, ad Exc.mum P. D. EFREM FORNI, archiepiscopum tit. Darnitanum ac nuntium apostolicum in Aequatore qui legatus mittitur ad Conventum eucharisticum e tota Aequatoris republica Quiti celebrandum (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 328-329).

Y — Epistula *Ab ipsis Ecclesiae*, 8 maii 1949, ad Exc.mum P. D. IOANNEM PERELLÓ POU, episcopum Vicensem, primo expleto saeculo ab obitu apologetae Iacobi Balmes (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 356-357).

Z — Epistula *Cum proxime*, 19 maii 1949, ad Rev.mum P. HERBERTUM KRAMER, Sodalitatis Missionalium a Pretiosissimo Sanguine moderatorem generalem, saeculo exeunte ab extensione celebrationis festi Pretiosissimi Iesu Christi Sanguinis ad universam Ecclesiam (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 358-359).

AA — Epistula *Quum proxime*, 26 maii 1949, ad Rev.mum P. GULIELMUM MUNSTER, Londiniensis Societatis a Philippiano Oratorio praepositum, primo saeculo exeunte ab eodem Oratorio condito (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 359-360).

BB — Epistula *Saepe iam declaravimus*, 6 iun. 1949, ad Em.mum P. D. EUGENIUM episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, S. R. E. Cardinalem TISSERANT, a Secretis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, qui legatus mittitur ad Conventum nationalem eucharisticum e tota Gallia in urbe Nanceiensi celebrandum (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 410-411).

CC — Epistula *Gemini Benedictini ordinis*, 6 iun. 1949, ad Exc.mum P. D. LUCIANUM LEBRUN, episcopum Augustodunensem, Cabillonensem et Masticonensem, ob saecularia sollemnia ab obitu s. Odonis ac s. Odilonis, Cluniacensis coenobii antistitum, celebranda (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 411-414).

DD — In sollemni canonizatione B. Mariae Iosephae Rossello, die 12 iunii 1949 in Vaticana Basilica peracta, proclamatio, et Summi Pontificis homilia (*AAS* XLI [2 iulii 1949] p. 305-308).

EE — Nuntius radiophonicus, 19 iun. 1949, christifidelibus e tota Aequatoriana republica ob secundum nationalem Conventum eucharisticum Quiti coadunatis (*AAS* XLI [2 iul. 1949] p. 329-332).

FF — Epistula *Anneciensis dioecesis,* 29 iun. 1949, ad Em.mum P. D. FRIDERICUM tit. S. Mariae de Victoria S. R. E. Presbyterum Cardinalem TEDESCHINI, Patriarchalis Basilicae Vaticanae archipresbyterum, Sacri Consilii Petrianae Fabricae adservandae praefectum eundemque Apostolicum Datarium, consecrationi Anneciensis templi a Visitatione adfuturum (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 414-415).

GG — Allocutio die 29 iun. 1949 a S. Pontifice habita ad novum Legatum Reipublicae Dominicianae (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 365-367).

HH — Allocutio die 6 iul. 1949 a S. Pontifice habita ad novum Legatum Indiarum (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 367-369).

II — Allocutio die 12 iul. 1949 a S. Pontifice habita ad novum Legatum Reipublicae Paraguayanae (AAS XLI [16 aug. 1949] p. 369-371).

KK — Allocutio 14 iul. 1949, qua S. Pontifex illustrat notas praecipuas sanctitatis Mariae Iosephae Rossello, adstantibus christifidelibus qui Romam convenerant ad eius canonizationem celebrandam (*AAS* XLI [16 aug. 1949] p. 360-365).

LL — Nuntius radiophonicus die 27 iul. 1949 a S. Pontifice christifidelibus Berolinensis dioecesis missus (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 424-426).

MM — Allocutio die 17 aug. 1949 a S. Pontifice habita ad novum Peruviae legatum (*AAS* XLI [6 sept. 1949] p. 422-424).

37. - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 14 maii 1949 de mutatione finium dioecesium Tricaricensis et Anglonensis-Tursiensis. (*AAS* [6 sept. 1949] p. 428-429).

38. - S. Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 10 mart. 1949 quo decernitur vicariatum apostolicum de Urubamba et Matre Dei deinceps « Portus Maldonati » nuncupandum esse (AAS XLI [6 sept. 1949] p. 429).

39. - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis consistorialis praefecti sunt:

14 maii 1949, Exc.mus P. D. CAESAR M. GUERRERO, cathedrali ecclesiae sancti Ferdinandi, noviter erectae .

14 maii 1949, R. D. IOSEPHUS RUDDERHAM cathedrali ecclesiae Cliftonensi.

14 maii 1948, R. D. LEO LOMMEL tit. episcopali ecclesiae Nephelidensi, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. IOSEPHI PHILIPPE, episcopi Luxemburgensis.

14 maii 1949, R. D. ALEXANDER OLALIA tit. episcopali ecclesiae Zelitenae, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. CONSTAANTII JURGENS, episcopi Tuguegataoani.

18 maii 1949, R. D. AUGUSTINUS BIANCHERI cathedrali ecclesiae Sarsinatensi.

19 maii 1949, R. D. IOACHIM MUCCIN cathedralibus ecclesiis Feltrensi et Bellnensi, aeque principaliter unitis.

28 maii 1949, R. D. GULIELMUS KEMPF cathedrali ecclesiae Limburgensi.

9 iul. 1949, R. D. IOSEPHUS FREUNDORFER cathedrali ecclesiae Augustanae Vindelicorum.

9 iul. 1949, Exc.mus P. D. IOSEPHUS SOUTO VIZOSO cathedrali ecclesiae Palentinae.

1 aug. 1949, Exc.mus P. D. AETIUS BARBIERI cathedrali ecclesiae Civitatis Plebis.

40. - Necrologium

Pie in Domino defuncti sunt:

30 iun. 1949, Exc. D. IOSEPHUS A. VELASCO Y PENA, episcopus Colimensis.

6 iul. 1949 Exc. D. EMMANUEL M. FRUTUOSO, episcopus Portalegrensis.

16 aug. 1949, Exc. D. MARCELLUS FLUERY, episcopus Nanceiensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

C. CRIVELLI S. I., *Pequeño diccionario de las sectas protestantes* (Traducción del italiano) (Ediciones Revista « Latinoamerica »), Mexici, Buena Prensa, 1948, 11,5×16,5 cm., 308 pag.

E. D'AGNESE, *Il decreto del S. Uffizio contro il comunismo. Commento ad uso dei parroci e confessori.* Napoli, D'Auria, 1949, 10,5×15,5 cm., 48 pag.

J. GARCÍA GUTIERREZ, *Arzobispos de la arquidiocesis de Mexico.* Mexici, Buena Prensa, 1948, 19,5×29 cm., 88 pag.

H. HANSTEIN O. F. M., *Kanonisches Eherecht. Ein Grundriss für Studierende und Seelsorger,* F. Schöningh, 1949, 10×17 cm., 256 pag.

Das Wesen der Ehe. Die Vorbereitung der Eheschliessung. Die Eheindernisse. Der Ehekonsens. Dei Form der Eheschliessung. Die Wirkungen der Ehe. Die Trennung der Gatten. Die Gültigmachung ungültiger Ehen. Der Eheprozess. Anhang.

JOSEPH H. LEDIT, *Politica y Educacción,* Mexici, Buena Prensa, 1947, 15×21 cm., 392 pag.

De quaestione scholari in quinque regionibus europeis: Francia, Russia, Germania, Belgio, Italia.

L. J. RILEY, *The History, Nature and Use of Epikeia in Moral Theology,* The Catholic University of America Press, 1948, 15×22,5 cm., XI-494 pag.

Historical development of the theory of Epikeia in moral theology. Traditional explanation of the natuer and scope of Epikeia. Modern points of view. — The nature and use of Epikeia. The relation of Epikeia to certain other concepts in moral theology. Epikeia and the natural law. Epikeia and divine positive law. Epikeia and human invalidating laws. Conclusions.

L. TOPETE BORDES, *Enseñanza social cristiana,* Mexici, Buena Prensa, 11×16,5 cm., 262 pag.

Temas sociales, economicos, politicos.

A. VERMEERSCH S. J., *El matrimonio cristiano segun la Enciclica « Casti Connubii »,* edit. 2ª, Mexici, Buena Prensa, 11,5×16 cm., 96 pag.

II - Ex periodicis

Apollinaris, XX (1947), num. 1-2. — J. Visser, *De solemnitatibus piarum voluntatum in iure canonico*, p. 59-136.

China Missionary, II (1949), n. 6 (iun.). — M. A. Tennien, *Mass conversions in Shumkai, How it begon*, p. 647-653.

Collectanea Mechliniensia, XXXIV (1949), fasc. IV (iul.). — K. Swenden, *Het Godsdienstonderricht in de School tegenover de Evolutieleer*, p. 441-446.

Ephemerides liturgicae, LXIII (1949), fasc. II. — A. Bugnini, *Per una riforma liturgica generale*, p. 166-184.

Latinoamerica, I (1949), num. 6 (iun.). — R. Bosc, *La Iglesia y el Problema Internacional*, p. 248-250. Num. 7 (iul.). — A. Messineo, *La Internacionalización de los Derechos del Hombre*, p. 289-291. Num. 9 (sept.). — R. Bosc, *Misión Temporal de la Iglesia*, p. 385-387. — A. Mendez Medina, *Condiciones para que pueda implantarse ventajosamente la pequeña propriedad*, p. 388-390.

Nederlandse Katholieke Stemmen, XLV (1949), fasc. 7 (iul.). — J. Keet, *Liturgische Kroniek*, p. 204-213. — Fasc. 8 (aug.). — A. W. Hoegen, *Pastoraal der Periodieke Onthouding*, p. 225-234.

Recherches de Science Religieuse, XXXVI (1949), num. 2 (apr.-iun.). — E. Ortigues, *Ecritures et Traditions apostoliques au Concile de Trente*, p. 271-299.

Revista Eclesiastica Brasileira, IX (1949), fasc. 2 (iun.). — B. Kloppenburg O. F. M., *Questôes teologicas em torno da morte de Mâe de Deus*, p. 320-333. — T. Vaquero, *Valor dogmatico da Liturgia ou relações entre Liturgia e Fé*, p. 346-363. — V. Panzarasa S. D. B., *A Reforma do Calendario*, p. 363-376.

Revue diocésaine de Namur, IV (1949), n. 3 (mai.). — A. Simonet, *Qu'est-ce que l'oraison?* p. 242-250.

Rivista del Clero Italiano, XXX (1949), fasc. 9 (sept.). — L. Oldani, *Il decreto del S. Offizio contro i comunisti*, p. 351-356. — F. Olgiati, *Il comunismo e la lotta contro la religione*, p. 357-373. — Fasc. 7 (iul.). — F. Olgiati, *Il Vescovo di Ales e le tariffe*, p. 272-279.

Sal Terrae, XXXVII, num. 7-9 (iul.-sept.). — J. Cardijn, *La salvación del mundo obrero por la cristianización de la juventud obrera* p. 385-390; 449-453.

Seminario de Medellín, 1949, num. 10 (apr.-iun.). — J. Serna G., *El Problema Judío*, p. 98-107.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE COOPERATIONE QUALIFICATA IN DELICTIS OFFICIALIBUS

1. Varii sunt modi quibus unus in actu alterius, praesertim in alterius delicto, cooperari potest et saepe cooperatur. Notae sunt multiplices cooperationis divisiones; distingui solent: cooperatio in ordine intentionis et in ordine exsecutionis, cooperatio physica et cooperatio moralis, cooperatio immediata et mediata, cooperatio necessaria et cooperatio contingens, cooperatio libere et cooperatio non nisi coacte praestita, cooperatio positiva et cooperatio negativa, cooperatio formalis et cooperatio materialis. In can. 2209 C. I. C. nonnulli (non omnes) in delicto cooperandi modi enumerantur. In § 1 sermo est de delicto commisso ex communi delinquendi consilio; in § 2. de cooperatione in delicto quod ex natura sua complicem exigit; in § 3. de cooperatoribus necessariis; in § 4. de cooperatoribus contingentibus; in § 6. de cooperatione negativa; tandem in § 7. de modis cooperandi quoad delicti effectus et fructus post delictum patratum. Hae iuris canonici normae inprimis imputabilitatem et punibilitatem cooperatorum respiciunt; minus attendunt ad cooperationis internam naturam et structuram iuridicam.

I

2. Ex variis his cooperationis modis speciali examini subicere intendimus cooperationem positivam formalem, praestitam in ipsa delicti vel peccati exsecutione. Taliter cooperari quis potest aut ita, ut ipse quoque elementa eius constitutiva (vel unum saltem ex iis) ponat; aut ita, ut ipse ex his elementis nullum exsequatur, sed alteri qui ea ponit merum auxilium praestet. Qui primo modo cooperatur, delictum (saltem ex parte) secundum eius specificam naturam « patrat »; hinc delicti patrati reatum culpae et poenae contrahit. At potest accidere, ut quis in exsecutione delicti nullum elementum constitutivum posuerit, et tamen plenam eius culpam contraxerit et plenam poenam luere debeat. Ita e. gr. qui fuit delicti patrati iubens, mandans, consulens, consentiens.

Hinc est, cur nonnulli Moralistae, Canonistae, fori saecularis Iurisperiti parum curent modo expositam in ipsa exsecutione delicti ulteriorem cooperationis distinctionem, (prout scl. qui cooperatur, ipse quoque verificet aut non verificet delicti patrati unum saltem elementum constitutivum). Alii e contra huic ulteriori distinctioni pondus et momentum tribuunt; ipsis videtur: ex intrinseca rerum natura haberi specificam inter duos hos cooperationis modos differentiam, quos ideo velint diversas cooperationis exsecutivae « *species* » vocari et proprio nomine significari; alteram usitato termino « *cooperationis* », alteram nomine « *conpatrationis* » quo significetur: eum qui in delicto alterius cooperatur, ipsum quoque delicti elementa constitutiva aliquo saltem modo ponere.

Res exemplo illustretur. Qui alterum in furto peragendo iuvat eo quod ei scalas praestet et tenet — (et quidem ex intentione eum iuvandi in furto patrando) — quibus alter in domum alienam ascendat: operam positivam in ipsa furti exsecutione praestat, neque tamen ipse ullum elementum constitu-

tivum furti ponit. Essentia enim furti in eo est, quod res altero rationabiliter et iuste invito, — (nulla quidem in eum exercitia vi; esset rapina) — ex eius auferatur possessione et in auferentis possessionem transferatur cum animo rem alienam sibi appropriandi. Elementa constitutiva sunt: 1) iniusta rei ex possessione alterius ablatio, 2) rei ablatae in propriam possessionem translatio, 3) utrumque cum animo rem sibi appropriandi. Patet autem: « tenere scalas », ita « iuvare alterum in ascendendo in domum alienam » non esse neque « auferre rem ex possessione », neque « transferre rem in propriam possessionem ». Desunt ergo in praestita actione adiutrici omnia elementa constitutiva furti. Evidenter quidem habetur aliqua in furto cooperatio, exsecutiva eaque immedita, formalis; tamen non habetur cooperatio in sensu qualificato « conpatrationis ». Si quis vero (sive gratuito sive pro pretio, sive libere sive coacte) furem in ipsa rei alienae ablatione vel asportatione iuvaret, aliquod furti elementum constitutivum poneret, ideoque perageret « conpatrationem ».

3. Oritur quaestio: num uterque hic cooperationis exsecutivae modus in quolibet delicto et peccato externo verificari possit.

Vix negari potest: *cooperationem simplicem* (idest quae non connotat unius saltem ex elementis constitutivis positionem) in quolibet peccato externo vel delicto locum capere posse. De qualificata autem illa cooperatione quae venit nomine « conpatrationis » negandum vel saltem dubitandum (primo aspectu) videtur: eam in omnibus delictis, in particulari in « *delictis officialibus* » posse verificari.

II.

4. « Delicta officialia » hic intelleguntur: delicta quae consistunt in ipsius « officii » vel « muneris » abusu et laesione. Supponit ergo delictum officiale in delinquente « *officium* », et significat culpabilem laesionem obligationis quae *personae officiali*, (idest personae officium tenenti), incumbit, *praecise vi officii.*

Huiusmodi « delicta officialia » memorantur in omnibus fere codicibus criminalibus, tum profanis tum ecclesiasticis; attamen non semper hoc nomine vocantur, neque semper in codicibus poenalibus separatim et in capite speciali de iis agitur.

Ut aliqua saltem afferantur exempla, delictum officiale est: per personam officialem facta secreti officialis proditio, documenti officialis, personae officiali concrediti, destructio, sententiae iudicialis iniustae per iudicem latio, officii vel muneris collatio per personam officialem contra legis et iuris dispositionem; abusus muneris et potestatis ad crimina contra bonos mores cum propriis subditis peragenda; (in iure canonico e. gr. delictum absolutionis complicis, delictum sollicitationis).

5. Privatos, idest qui non tenent officium, in delictis officialibus cooperari posse cooperatione simplici (quae non exigit positionem saltem unius ex delicti elementis constitutivis) patet. Privatis autem, ut tamquam « conpatratores » cooperarentur (ponendo scl. ipsi quoque elementa constitutiva delicti), tenere deberent, (saltem ex parte) *officium*, in cuius laesione « delictum officiale » consistit. Primo aspectu ex conceptu repugnare videtur, eum qui non habet officium neque alterius officium et munus participat, sua actione *officium* laedere posse. Neque enim ad « conpatrationem » in delicto officiali constituendum sufficit, ut persona privata ponat elementum mere materiale actus laesivi, e. gr. physice destruat (etsi ex mandato personae officialis) documentum, custodiae personae officialis concreditum. Nam in physica destructione, mere materialiter sumpta, delictum officiale non consistit, consistit *in officii laesione;* quae latet quidem in destructione physica, non autem cum ea identificatur. At, ut ex exemplo allato patet, in delicto officiali saepe continetur « *delictum simplex* » (e. gr.: physica destructio documenti officialis, laesio secreti, damnificatio, furtum, fraus, luxuria). Et in hoc delicto simplici - (contento in « officiali ») - personae privatae tamquam « conpatratores » par-

ticipare possunt; sed ita agendo non participant in *elemento specifico* delicti officialis, seu in laesione officii qua talis. De hac vero laesione nunc agitur.

6. Ad delictum officiale, presse sumptum, homines privati personam officialem iussione, mandato, coactione, corruptione etc., etc. inducere et ita causae morales (forte principales) fieri possunt delicti, quod persona officialis commissura est. Quo in casu persona officialis aliarum voluntatem tamquam « *motivum* » habere potest, quo efficaciter ad delictum patrandum moveatur. Sed alteri « motivum esse » ad delinquendum non est idem atque « ponere (saltem ex parte) elementa constitutiva » delicti. Motivum impellit quidem voluntatem ad delictum patrandum; sed ratione sui non est *obiectum* voluntatis in ipso actu delinquendi. Ideo quaeritur ulterius, utrum voluntas privata in voluntatem personae officialis intrare possit ita, ut sit *obiectum* (« con-obiectum ») voluntatis officialis in ipso delicti officialis actu. Tunc enim dici posset: personam privatam « conpatrare » (sensu exposito) delictum officiale; nam obiectum actus a facultate agente in ipso actu agendi comprehenditur, et ita ipsum actum intrat.

7. Ut de hac quaestione iudicium rectum efformetur, in memoriam revocandum est: in delicto et in omni peccato externo distingui duo elementa constitutiva, alterum *internum*, quae est interna delinquendi voluntas (proveniens sive ex dolo sive ex culpa); alterum *externum*, quae est internae voluntatis externa exsecutio. Principale et praevalens elementum est elementum internum seu deliberata et efficax delinquendi voluntas. Haec non est idem atque delinquendi *propositum*; (hoc enim respicit actum futurum eumque antecedit); neque idem est atque *motivum*, quod designat rationem qua delinquens ad delinquendum movetur. Interna delinquendi voluntas tamquam delicti elementum constitutivum est actus voluntatis hic et nunc elicitus (vel saltem hic et nunc suam virtutem exserens), qua homo obiectum delicti vel peccati amplectitur si-

mulque vult et imperat motum externum, quo, quod voluntas interna amplexa est, ad extra realizetur.

8. Haec duo elementa constitutiva (sicuti in omni delicto) etiam in delicto officiali indispensabiliter requiruntur. Praevalens elementum est actualis interna delinquendi voluntas; ex ea actus externus in ordine morali et iuridico omne pondus omnemque valorem habet. *Obiectum* huius voluntatis est « *officii laesio* », peragenda per actum externum de quo committendo in casu particulari agitur. Quando laesio *solitarie* patratur, persona officialis in ipso actu delinquendi amplectitur obiectum, prout est *in se*, et est *terminus motus* non nisi voluntatis propriae. Aliter in casu cooperationis presse dictae et qualificatae. Hic laesio officii et actio laesiva personae delinquentis est terminus duarum voluntatum, scl.: et personae officialis et personae privatae cooperantis. Hae duae voluntates communi delinquendi consilio copulantur; quod mutuae voluntatis mutuam notitiam supponit[1].

Persona officialis, communi delinquendi consilio iuncta cum persona privata, delictum officiale (propria sua voluntate committendum) amplecti potest tum ut volitum propria voluntate, tum ut volitum a persona privata; hoc

[1] Casus « *correitatis mere materialis* » neglegi potest, quia in eo duorum agentium unio mentis et animi non habetur, sed utraque pars numero idem delictum committit, quin ullam habeat actionis alterius notitiam. Potest esse quod tantummodo ex utriusque actione delictum habeat effectum, ideoque duae actiones *in hoc effectu* intime iungantur; nihilominus non habetur delictum sensu proprio commune; quia omnis deest inter voluntates delinquentium unio. Talis correitas habetur e. gr. in casu in quo duo, independenter ab invicem, eodem tempore alter in hac alter in illa parte domum incendunt; vel in quo duo eidem personae eodem die venenum ingerunt, cibis immissum, neque unus ullam actionis alterius notitiam habet. In huiusmodi casibus esse potest, ut uniuscuiusque actio per se sola sit plene sufficiens et efficax ad effectum intentum obtinendum; sed potest etiam esse, ut tandem per concursum (minime intentum, quia nullo modo cognitum) duarum actionum effectus producatur, cum singulae singillatim sumptae fuerint insufficientes. Tunc oriuntur intrincatae quaestiones, utrum utraque an neutra pars de effectu intento et obtento, sed a singulo *non sufficienter causato*, respondere debeat).

facere non potest nisi persona privatà sciente, consentiente, idque explicite petente. Tunc voluntatem privatam alterius in ipsam delicti officialis patrationem introducit, [immediate in patrationis elementum constitutivum *internum*, idest in personae officialis voluntatem delinquendi; mediate (idest mediante hac propria delinquendi voluntate) in *externum actum* exsecutorium, quatenus hic in interna delinquendi voluntate continetur ex eaque promanat]. In hac suppositione, persona officialis delictum officiale committit quidem *totum* ipsa, et quidem *sola sua actione et voluntate;* sed haec eius voluntas delinquendi continet in ipso actu delicti, voluntatem personae privatae, tum in *obiecto* (vult enim delictum a se committendum etiam ut volitum a persona privata), tum in *subiecto* (idest in voluntate personae officialis, quatenus haec se ad delinquendum determinat etiam quia persona non-officialis petit et desiderat, ut persona officialis sese ad hoc determinet).

9. Si hae dae voluntate ad invicem referuntur, haec statuenda sunt.

Persona privata privata sua voluntate voluntatem personae officialis intrare non valet, sed eius voluntas per voluntatem personae officialis in delinquendi voluntatem introduci debet. Quod fit eo quod (ut modo dictum est) haec in ipso actu delicti obiectum habeat delictum (a se committendum) ut volitum etiam a persona privata, simulque propriam voluntatem sinat ad delinquendum moveri etiam voluntate illius.

Ex altera parte *persona officialis* talem introductionem independenter a voluntate personae privatae efficere nequit. Introduci enim non potest quod non adest; et si voluntas adest, debet esse apta quae introducatur; et ut sit apta quae introducatur, debet habere prosus idem obiectum idque sub eodem respectu atque voluntas personae officialis introducens.

Est ergo mutua quaedam utriusque voluntatis con-

nexio et (secundum quid) dependentia. Hinc « introductio » est impossibilis, alterutra parte sive nesciente sive nolente sive passive se habente.

10. Ex dictis apparet, quo modo, quo sensu, quo gradu homo privatus, cuius voluntas dicto modo a persona officiali in delinquendi voluntatem introducta fuit, dici possit delicti officialis « *conpatrator* ».

Actum externum laesionis officii privatus ipse non peragit neque peragere potest, quia ipse non tenet officium quod laeditur. Etsi materialem actum poneret ex mandato personae officialis materialem, quo haec officium laedit (e. gr. destruendo, iubente persona officiali, documentum ei concrediti), tamen privatus (peragendo physicam destructionem) ipse « officium » personae officialis non laedit.

Homo privatus neque una cum persona officiali huius *actum internum* (idest: internam delinquendi voluntate) « *elicit* ». Nullus enim homo potest esse « *principium con-elicitivum* » actus alienae voluntatis. Item nullus sola sua voluntate efficere potest, ut sua voluntas ab altero in eius voluntatem introducatur et assumatur.

Mutua duarum voluntatum relatio facilius et perfectius perspicitur, si « con-patratio » personae privatae consideratur ex parte personae officialis. Haec voluntatem personae privatae (quae ipsa quoque vult, ut delictum officiale a persona officiali committatur), assumere et in propriam delinquendi voluntatem tamquam obiectum et vim motricem introducere potest ita, ut numero eandem officii sui laesionem et velit et peragat, tum ut ab ipso, tum ut ab altero volitam. Obiectum suae delinquendi voluntatis est ergo in ipso actu delinquendi duplex (vel rectius est unum idemque sub duplici aspectu), scl. « *laesio officii* », sumpta in se, (seu ut volita propria voluntate), et sumpta ut ab altero volita. Qua in suppositione persona officialis non se facit neque se praebst personae privatae *instrumentum*, quo assumpto, persona privata tan-

dem delictum officiale committere valeat et committat. Res viceversa se habet: persona officialis, quin a persona privata quidquam recipiat, quo ad delictum committendum indigeat, assumendo eius voluntatem dicto modo in suam, ei dat, ut internum « conprincipium » delicti esse possit, qua assumpto, principaliter agens, idest persona officialis non determinetur, sed se determinet ad laesionem officii.

11. Supposito hoc facto assumptionis voluntatis privatae, quaeri potest, quodnam pondus et quamnam vim ei persona officialis dare velit. Potest esse, ut persona officialis delictum non patraret, si voluntas privata non accederet tamquam « con-principium »; tunc « con-patratio » assumeret indolem « *cooperationis necessariae* » [2]) (cf. can. 2209 § 3). At etiam esse potest, ut qui officium tenet ad delictum patrandum transiret, si cooorespondens voluntas personae privatae non exstaret, ideo, praecisione facta a voluntate privata, nil deesset quod ad delictum per personam officialem patrandum requireretur. In utraque suppositione *structura iuridica* « conpatrationis » per personam privatam est eadem; haec enim unice pendet a *facto introduc-*

---

[2] Quia non intrat quaestionem de qua nunc agitur, missa fieri potest ulterior inquisitio de vario sensu et modo « cooperationis necessariae ». Quaerunt enim, utrum in cooperatione necessaria « necessitas » intellegi debeat *necessitas exercitii* aut *necessitas suppletionis* aut *necessitas utriusque*. — Habetur necessitas solius exercitii si delictum sine *aliquo* cooperatore peragi nequit, sive haec necessitas proveniat ex natura rei (sicuti in delictis quae ex natura sua exigunt complicem) sive solummodo propter particulares circumstantias. — Habetur necessitas suppletionis, si praeter eum, qui de facto cooperationem praestat, *nullus alius est*, qui eum suppleat atque cooperationem praestare queat et velit; deest haec necessitas, si etiam alii praesto sunt, qui, actuali cooperatore deficiente, cooperationem praestare possint et velint. — Necessitas utriusque habetur, si *aliquis cooperator* est necessarius, et si unus tantum est, qui cooperationem praestare possit et velit. — Nulla habetur necessitas cooperationis, si delictum ex toto patrari potest, sine omni cooperatore. vuo in casu cooperatores, qui de facto cooperantur, non sunt nisi « *cooperatores contingentes* ». Ex dictis sufficienter patet, quid significet cooperatio ratione exercitii necessaria, ratione suppletionis contingens.

tionis, non ab eius *necessitate* vel *contingentia.* « Qualificatio » compatrationis non pendet ab voluntate personae privatae, ad compatrationem admissae, sed unice a voluntate personae officialis. Nihil enim in patratione delicti officialis inest vel inesse potest, nisi quod scienter et libere per voluntatem personae officialis introducatur et in quantum introducatur.

Neque omnis personae privatae et personae officialis « conspiratio » dicit personae privatae « conpatrationem »; in casu conspiraionis *potest,* sed *non necessario debet* adesse « conpatratio ». Potest enim esse, ut persona privata velit quidem delictum officiale committi per personam officialem, ipsa autem nolit ullo modo intrare in eius delinquendi voluntatem, immo de hoc ne cogitet quidem. Convenit solummodo cum tenente officium, ut ipse suo nomine (et non nisi suo nomine) actum delicti ponat. In tali suppositione non habetur « conpatratio » sensu supra exposito.

Ex altera parte etiam esse potest, ut, licet habeatur « conspiratio » in delictum officiale per personam officialem patrandum, tamen persona officialis voluntatem personae privatae, (quae petat et desideret in delinquendi voluntatem personae officialis assumi et intrare) non assumat sive de industria sive ex oblivione. In hoc quoque casu adesset quidem « *conspiratio* », sed non haberetur « *con-patratio* ».

III.

12. Inquisitionem et analysim delicti officialis hucusque expositam iuvat applicare ad aliquod « delictum officiale » — (si ita loqui fas est) —, quod initio historiae generis humani accidit et permagnum in oeconomiam salutis influxum habuit: ad *peccatum originale originans* (Gen. III, 1-19).

Hoc peccatum fuit commissum a protoparente, non solum in quantum fuit haec persona physica, sed etiam et principaliter in quantum fuit caput generis humani. Hoc sensu quod

Adam fecit, fuit « *delictum officiale*, ab ipso commissum ut a tenente munus et officium capitis totius generis humani.

Quaeritur, an Eva, quae virum suum ad hoc peccatum committendum seduxit et induxit, in ipsa viri sui, ut capitis generis humani, peccandi actione et voluntate partem habere *potuerit*, tamquam con-patratrix, sensu qualificato supra exposito et circumscripto.

In fontibus positivis « *peccatum originale originans* » repetitis vicibus, semper et constanter, *exclusive* tribuitur Adae, numquam Evae. Iam in paradiso Adamo fuit dictum: « Quia comedisti, maledicta est terra; in pulverem reverteris! » (cf. Gen. III, 17-18). In Epistula st. Pauli ad Romanos legitur: « Per unum hominem peccatum in mundum intravit;... unius delicto multi mortui sunt; ... per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi » (cf. Rom. V, 11-19). Idem clare effertur in Concilii Tridenini Decreto super peccato originali (n. 1-4; Denz, n. 788-791). Idem invenitur apud SS. Patres et apud Theologos; Theologi explicite dicunt: si Adam fructum vetitum non comedisset, esum ab Eva factum numquam generi humano, sed soli Evae damnum fuisse illaturum (cf. st. Thom., Sum. theol. 1-2, q. 81, a. 5). Hinc nullum dubium esse potest: *peccatum personale Evae*, matris omnium hominum, (tum eius peccatum esus, tum peccatum seductionis), non transiisse in posteros, neque ex toto neque ex parte, sed peccatum solius Adae, qui et quia ipse solus fuit caput generis humani.

13. Nihilominus, hoc supposito, quaeri potest, num secundum ea, quae supra de con-patratione in delicto officiali ex parte personae privatae exposita sunt, Eva partem habere *potuerit* in *ipsius Adae peccato*, eo scl. quod Adam mulieris suae voluntatem (qua haec voluit esum fructus vetiti *per Adam* peragendum) in propriam voluntatem (qua ipse se ad comedendum contra Dei praeceptum determinavit) assumere et introducere potuerit. Si quaeritur de *sola possibilitate* talis introductionis, respondendum videtur: *affirmative*. In tali suppositione Adae peccatum (originale originans) non fit et committitur per voluntatem Evae, sed unice per voluntatem Adae. Neque in hoc Adae peccatum seu delinquendi voluntatem Eva propria sua voluntate ullo modo intrare potuit; unice a voluntate Adae dependebat, utrum necne suae uxoris voluntatem introducere voluerit, in illam propriam suam voluntatem, qua ipse (« caput generis humani ») ad Dei praeceptum laedendum se determinavit. Est et manet ergo in tali suppositione peccatum Adae ex una parte et quidem quoad utrumque elementum

constitutivum, internum et externum (idest: internam delinquendi voluntatem, et externam huius voluntatis exsecutionem) peccatum ipsius; ex altera tamen parte in Adae peccatum per Adam Eva introducitur et intrat. Voluit enim Eva virum suum ex fructu vetito commedere, et vir hanc mulieris voluntatem in suam voluntatem assumpsit. Unus idemque ergo fructus prohibiti esus ab Adamo factus, ab Adamo in ipso actu peccati volitur (et peragitur) tum ut volitus a se, tum ut volitus ab uxore sua. Mulier dicto modo intrat in peccatum viri non per solam suam voluntatem, sed per voluntatem viri, qui libere voluntatem mulieris in suam voluntatem inducit ibique eam in actu peccati per solam suam (i. e. Adae) voluntatem efficacem facit.

14. Peccatum originale originans Adae non est aliud et aliud, prout Adam mulieris suae de peccato sui viri voluntatem in suam delinquendi voluntatem assumit vel non assumit. In utroque casu delictum Adae consistit exclusive in divini praecepti, ne edat ex fructu vetito, laesionem. Neque peccatum Adae mutaretur in aliud et aliud, prout non comedisset aut etiam comedisset, si voluntas Evae non intervenisset. Nam ratio formalis peccati in utroque casu esset omnino eadem: inoboedientia scl. plene voluntaria contra numero et specie unum idemque vetitum divinum. Essentialiter idem est in utraque suppositione: obiectum vetitum quod appetitur; essentialiter idem est actus quo appetitur; tandem eadem est persona quae appetit.

15. Sed ultra quaestionem possibilitatis poni potest quaestio *realitatis et facti*, scl. num Adam revera dicto modo voluntatem Evae in suam peccandi voluntatem induxerit. Sunt indicia, quae responsum positivum innuant; num *sufficiant* ad rem evincendam, non est huius inquisitionis speculativae-iuridicae; solummodo haec notentur.

Adam Deo, rationem peccati patrati exigenti, respondet: « Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi » (Gen. III, 13). Haec Adae verba admittunt interpretationem: Adam comedendo laesit praeceptum Dei ne comederet; ipse se determinavit ad hoc peccatum sua voluntate; voluit tamen suum edendi actum non tantum ut a se, sed etiam ut a muliere volitum. Hac via Adam voluntatem Evae habuit non solum *motivum* suae comedendi voluntatis, sed etiam *obiectum;* ita introduxit mulieris voluntatem in voluntatem suam, et hoc sensu et intra hunc limitem fecit mulierem « *con-patratricem* » sui « delicti officialis ».

16. Iuvat etiam considerare, quid Deus, tamquam Supremus Iudex, de Adae peccato senserit, ferens de eo sententiam iudicialem. Inducit Scriptura Deum ita loquentem: « Quia audivisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo... Pulvis es et in pulverem reverteris » (Gen., III, 17-19). Haec iudicis sententia delictum puniendum designat et accurate circumscribit: « Quia audivisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno ». Non habentur delicta duo, sed unum: comestio fructus prohibiti. At unum hoc delictum a Iudice Deo sub duplici aspectu significatur, sub quo Adae innotuit et sub quo illud sua voluntate amplexus est: « Audivisti », « comedisti ». Esus enim fuit viro propositus ut a muliere volitus; esum ita propositum Adam sua voluntate amplexus est. Obiectum peccati fuit ergo una eademque comestio fructus vetiti, ab Adamo peragenda, sed haec comestio fuit ei proposita a muliere, et Adam comestionem dein voluit et exsecutioni mandavit ut volitam a se et ut volitam a muliere. Dei de peccato sententia, in parte quae est « de facto », designat et memorat ergo etiam partem quae (per Adae voluntatem) Eva in eo habuit, et quidem ideo habuit, quod Adam suae uxoris peccaminosam voluntatem (qua haec voluit ut Adam ederet) in *suam* delinquendi voluntatem et ita in *suum* peccatum introduxit. Quod significat: Adam peccavit sua, non Evae voluntate; sed sua in peccato voluntas comprehendebat etiam Evae circa numerum eundem peccandi actum voluntatem peccaminosam. Non Evae *peccatum*, quod *comedendo fructum* ipsa commisit, intrat dicto modo in Adae delictum, sed Evae voluntas, qua voluit esum et peccatum *ab Adamo* committendum. Neque est *Evae peccatum*, quod commisit « *seducendo virum* », quod intret in delictum Adae, sed (ut modo monitum est) est Evae interna voluntas, quae pro obiecto habet delictum Adae, ab Adamo, Adae voluntate, patrandum. *Hanc* mulieris suae voluntatem Adam introduxit in suam delinquendi voluntatem, et *ita* introduxit in subiectum et in obiectum « delicti officialis », quod erat ipse commisurus et commisit.

Videtur, quod hoc modo et intra hos limites Eva in peccato originali originante Adae partem habere et « con-patratrix » exstare *potuerit*. Et haec sunt indicia, quibus forte *insinuatur*: eam etiam de facto tali modo partem habuisse.

IV.

17. Questio de cooperatione qualificata seu de « conpatratione », quae hucusque discussa est quoad « delictum officiale », poni etiam potest, de recto et iusto muneris atque officii usu, idest de « *actu officiali* », intellegendo « *actum* »: honestum muneris exercitium atque usum legitimum. Huiusmodi « usus » sunt e. gr.: condere legem, conferre munus et officium, ferre sententiam iudicialem, concedere amnestiam, se abdicare regno et imperio, ne hostes ob odium regis bellum patriae inferant, etc.

18. Etiam in legitimis actibus seu funcionibus officialibus latent duo illa elementa constitutiva, de quibus supra in analysi « delicti officialis » sermo fuit, ecl.: *elementum internum* (seu voluntas interna efficax, qua in ipso actuali muneris exercitio persona officialis actum officialem vult), et *elementum externum* (seu actus externus, positus in exsecutione internae muneris fungendi voluntate).

Ex iis quae de delicto officiali dicta sunt, patet: functionem officialem (tum quoad elementum internum tum quoad elementum externum), exerceri non posse nisi a persona tenente officium. Nam « functio officialis » ex conceptu suo dicit: officii qua talis deliberatum usum; homo autem privatus talem usum exercere non valet, quia in ipso deest elementum essentialiter praerequisitum, idest « *officium* sen *munus* », de cuius exercitio agitur. Unde est, quod homo privatus, quantumvis actum officialem ponere intendat, attentet, exsequi enitatur, privata sua voluntate et opera nihil actus officialis ut talis ponere possit. Ex altera parte oblivioni dari non debet, quod supra quoad delictum officiale monitum est, personam privatam in personam officialem multipliciter in ordine ad munus escercendum influere posse, e. gr. mandando, consulendo, rogando, minando, materiam actus officialis praestando, etc.

Sed de his omnibus hic non est sermo; nunc agitur exclusive de quaestione, utrum necne persona privata exercitium muneris, per personam officialem praestandum, ita participare queat, ut aliquod actionis officialis elementum (sive internum, sive externum) aliquo modo (sive principaliter, sive subordinate et instrumentaliter) ipsa quoque ponat.

Respondendum videtur: *affirmative*. Nam nihil obstare videtur, quominus persona, munus et officium tenens, obiectum suae voluntatis officialis assumat et teneat « muneris exercitium », non solum prout est in se et per propriam voluntatem amplectendum, sed etiam prout idem hoc obiectum est volitum a persona privata, munus nec tenente nec participante. In hoc casu ex una parte omne, quod est in exercitio muneris, ponitur a persona tenente officium; et nihil est in actu officiali, quod exsistat per alienam voluntatem vi solius alienae voluntatis, (sive in actus officialis elemento interno, sive in elemento externo). Ex altera parte in tali casu aliquid actus officialis obiectum esse potest voluntatis personae privatae; et haec voluntas privata (prout hoc obiectum officiale amplectens) fit obiectum voluntatis personae officialis, quam haec nabet in ipso actu et momento exercitii muneris, praecise sub respectu exercitii muneris. Sic voluntas non officialis intrat in voluntatem officialem vi voluntatis officialis; et a voluntate officiali accipit efficaciam et influxum in actum officialem; (non autem viceversa; voluntas officialis vim et virtutem officialem nullam accipit ex voluntate privata).

19. Quod dictum est, paucis iterum illustretur exemplis.

Malefactori, ob crimen atrox legitime capitis damnato, concedere amnestiam: censetur functio officialis eius qui supremam tenet in aliqua civitate potestatem; in regno est ergo ius exclusivum regis. At, si quando mater regis apud regem pro reo interpellat, regi petitio et vo-

luntas matri potest evadere solum « *motivum* », propter quod gratiam petitam concedat. Sed rex etiam ulterius procedere potest, faciendo voluntatem matris intrare in *obiectum*, quod ipse, dum largitur amnestiam, habet obiectum propriae voluntatis, gratiam concedentis. Qua in suppositione rex functionem officialem (actum concessionis amnestiae) sua voluntate amplectitur non solum, prout est in se, sed simul prout « volita a matre », et quidem ab ea volita, tamquam exclusiva functio regis ipsius. Rex ita agendo, voluntatem matris inducit in voluntatem regis et per hanc suam voluntatem voluntatem matris facit participare in voluntate regis et ab ea accipere efficaciam.

Proposita haec structura et analysis iuridica est independens a necessitate vel contingentia « con-patrationis ». Quaestio, utrum rex amnestiam non concessisset, si mater non intervenisset, an eam independenter a voluntate matris etiam largitus fuisset, si mater regem non interpellasset, non tangit structuram, quam « functio officialis » regis (datio amnestiae) - habet *ex mero facto* dictae cooperationies qualificatae, quam de facto (sive necessario sive contingenter) mater regis praestitit.

20. Aliud exemplum: Se abdicare regno, generatim non potest nisi is qui tenet regnum, et non potest nisi vi suprema potertatis quam habet in regnum; est ergo « functio officialis ». *Motivum*, cur rex abdicationem peragat, de se potest quidem neglegi; at supponamus eum ita agere, ut compescat impios et iniustos regni hostes, qui bellum et ruinam patriae minantur, rege in principatu remanente, et quos se superaturos esse regi nulla est spes. Voluntas regis in actu abdicationis *pro obiecto* habere potest abdicationem, mere prout est in se, non facta attentione ad voluntatem alterius personae, eandem regis abdicationem forte etiam volentis. At rex aliter quoque procedere potest. Potest reginae quoque voluntatem respicere, si haec propter bonum patriae eandem (per regem praestandam) abdicationem ab eo afflagitat. Hanc uxoris suae volunta-

tem rex assumere et in propriam voluntatem inducere potest, ita ut regni abdicationem in ipso abdicationis actu velit et exsequatur, tum in se consideratam, tum ut petitam et volitam voluntate reginae. Quo in casu abdicatio regni non voluntate reginae peragitur vel efficaciam habet, (immo ne potest quidem eius voluntate peragi et efficax fieri). Nihilominus reginae voluntas, prout per regis voluntatem in regis voluntatem introducta est, ex eadem regis voluntate in regis officialem abdicationis actum quandum efficaciam (quam dedit ei rex) habere potest. Utrum voluntas et dicta « con-patratio » reginae pro rege habuit rationem « condicionis sine qua non », an mere contingenter se habuerit, neque hic tangit substantialem structuram iuridicam, quae unice pendet *a facto* cooperationis qualificatae.

Neque hic intrant quaestiones, quae respiciunt voluntatem et actum reginae, in quantum fuerunt *functiones personales* ipsius; ita quaestio de honestate actus, de heroicitate, de motivo, de merito, de onere et tristitia quam ipsa fortassis subiit petendo a rege abdicationem regni. - Ab actu conpatrationis insuper distingui et separari debet renuntiatio dignitatis reginae, quae connectitur cum abdicatione regni per regem; item distingui debet merus consensus et mera acceptatio quoad actum quem rex ponit. Haec omnia consideratione et ponderatione digna sunt; sed spectant *personam reginae* et eius actus personales cum omnibus eorum adnexis. Reginae con-patratio in regis actu officiali abdicationis versatur (quod ad subiectum et obiectum attinet) circa *regis* voluntatem et considerat reginae voluntatem, versantem circa *functionem regis*, a rege in regis voluntatem et actum introductam.

V.

21. Sicuti supra in parte de « delicto officiali » quaestio discussa est, num fortassis analysis data de con-patratione in delicto officiali locum habere possit etiam in campo theologico et applicari queat ad eventualem cooperationem qualificatam Evae in peccato Adae, ita hoc loco ponere liceat quaestionem, num quae in altera hac parte exposita sint de con-patratione personae privatae in functione officiali recta et iusta, exercita a persona officium et munus tenente, in campo theologico asseri possint de parte quam fortassis habere *potuerit* B. V. M. in ipso opere redemptionis (idest in redemptione *obiectiva* quam dicunt, in oppositione ad *subiectivam*, quam intellegunt applicationem fructum ex redemptione obiectiva fluentium). Est inquisitio in *quaestionem iuris* (idest de possibilitate talis cooperationis), non in *quaestionem facti* (idest de realitate talis cooperationis). Prae oculis habendum est: a possibilitate non posse fieri illationem ad realitatem; sed a non-possibilitate ad non-realitatem. Possibilitas intrinseca seu non-repugnantia deducitur ex analysi conceptuum et internae structurae iuridicae con-patrationis de qua agitur. Possibilitas extrinseca et realitas pendent a causis externis, per quas talis cooperatio praestari debet, imprimis a libera Dei et Christi voluntate quae talem cooperationem — (si fuit possibilis) — admittere voluerunt.

22. De cooperatione B. Virginis, praestita eo, quod Summo Sacerdoti, Christo Domino, sui sacrificii hostiam, corpus humanum suppeditaverit, hic non est sermo. Neque quaeritur de *actu personali*, qua B. V. nomine suo proprium Filium Deo in pretium redemptionis obtulerit. Talis enim oblatio fuit actio *personalis, privata*, si ita loqui fas est. Neque quaeritur de *motivo* et de *interna mente*, de *generositate*, de *merito* talis oblationis; item non de doloribus et de incruento martyrio, quod ipsa sub cruce Domini perpessa est, quamvis haec omnia vera et summa aestimatione digna sint. Unica quaestio, ad quam nunc attenditur, est quaestio iuridica: potuitne B. V. cooperari in ipsa actione sacrificali Christi Domini Summi Sacerdotis, Capitis generis humani, secundi Adae, Redemptoris, qui « torcular solus calcavit » (Is. LXIII, 3), quae actio fuit sensu eminenti et formali « *functio officialis* »?

Christus solus habuit munus et officium, dignitatem divinam, qualitates personales et officiales, sine quibus actio sa-

crificalis et opus redemptionis, tale quale Deus exegit, praestari non potuit, neque B. V. quidquam ex his vocare potuit suum, (neque ex toto neque ex parte). De facto redemptio generis humani facta est per sanguinem Christi, per eius in cruce mortem, per sui ipsius in cruce peractum sacrificium, Deo pro hominum redemptione oblatum et a Deo in satisfactionem acceptatum. Ita Scriptura, ita traditio, ita sollemnes Ecclesiae in Conciliis definitiones.

23. At his omnibus non obstantibus, Christus, Dei et hominis Filius, in ipsam suam actionem sacrificalem et sacerdotalem, quae fuit *functio supremi muneris sui officialissima,* Matrem introducere *potuit*, eo scilicet, quod matris voluntatem (qua ipsa quoque petiit et voluit Filii cruentum sacrificium, per Filium peragendum et offerendum in redemptionem hominum) *in* suam sacrificandi voluntatem *per* suam voluntatem introduxit et assumpsit, et quod hanc matris voluntatem assumptam, sua redemptrice et sacrificali voluntate efficacem reddidit; nihil efficaciae ex matris voluntate accipiens, sed quandam efficaciam eidem tribuens. In hac suppositione *obiectum* voluntatis Christi in ipso actu sacrificii fuit cruenta sua mors, Deo per Christum oblata in redemptionem generis humani, tum ut volita in se per propriam Christi voluntatem, tum ut volita a matre. Ad talem in *obiecto* operis relemptionis participationem Matris per Filium constituendam non requiritur, ut matris con-actio Filio fuerit « condicio sine qua non » operis redemptionis peragendi; ad structuram iuridicam « con-patrationis » realizandam sufficit, prout iam saepius monitum est, *merum factum* (sive necessarium sive contingens) introductionis voluntatis Matris per voluntatem Christi in voluntatem Christi, idest in elementum constitutivum *internum* ipsius « functionis officialis » (seu in actum sacrificalem et redemptricem, in altari crucis per Christum, Summum Sacerdotem et generis humani Redemptorem, peractum).

Qua suppositione facta, Christus Dominus Matrem, ad crucem adstantem, in ipso actu sacrificii in suum sacrificium introduxit, introducendo matris voluntatem in voluntatem suam et in hac sua voluntate ipsam participare faciendo in opere redemptionis, quod Filius peregit, non Mater; sed Filius, sua voluntate comprehendens et includens voluntatem Matris.

Qua suppositione facta, etiam plenus haberetur (secundum ea quae supra exposita sunt) parallelismus inter Evam et Mariam, inter Evae participationem in Adae peccato et

Mariae participationem in Christi, secundi Adae, opere salvifico redemptionis [1].

At iterum monendum est: totam hanc expositionem de natura iuridica talis B. Virginis in opere redemptionis obiectivae con-patrationis esse solummodo quaestionem de *possibilitate*, non de realitate; et insuper non de una et unica, sed de *aliqua* possibilitate. In disputatione de B. V. «*corredemptrice*» a thelogis plures in opere redemptionis formae cooperationis B. V., eaeque multo ampliores uberioresque, sed alterius omnino structurae iuridicae, propositae atque rationibus fulcitae sunt, et quidem non solummodo ut possibiles, sed ut reales.Quae hic proponuntur, iis contraria non sunt, neque iis derogant; sed, illis theologorum sententiis et argumentis integris intactisque manentibus, — (extra illam de «*corredemptione realizata*» discussionem) — quaeritur, num determinatus «conpatrationis» modus, qui in campo iuridico occurrere potest, aptus sit, qui — (quod ad possibilitatem attinet) — etiam applicari queat ad cooperationem B. V. in Christi opere redemptionis. Ex hoc «statu quaestionis» patet: *quaestionem facti* «corredemptionis» esse extra ambitum huius inquisitionis et analysis mere speculativae-iuridicae. — Neque hic alia illa quaestio dilucidanda et dirimenda suscipitur: quaenam scl. in B. V. *personales qualitates et praerogativae* praerequirantur et adesse debeant, ut ad dictam «conpatrationem» assumi possit. Nam, si iam in genere non quaelibet persona privata ad quolibet opus officiale «*conpatrandum*» potest assumi, multo minus quaelibet voluntas privata sufficiens et apta dici potest, quae ad tam eximium et sublime (atque tot tantisque oeconomiae salutis supernaturalis normis consilii et voluntatis Dei circumscriptum) Christi opus redemptionis admitti et assumi potest.

---

[1] Legitur in Pii IX Bulla «Ineffabilis Deus» d. d. 8 Dec. 1854 (cf. Pii IX Pontificis Maximi Acta, Romae 1854, tom. I pg. 616): «Quocirca sicut Christus, Dei hominumque mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud Cruci triumphator affixit: sic sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta, *una cum illo et per illum*, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit». Quae verba non solum de eius Immaculata Conceptione (in qua B. V. potius passive se habuit), sed de tota eius, et maxima de *activa* in opere redemptionis cooperatione intellegi debent.

VI.

Quibus omnibus expositis, quoad cooperationem personae privatae in personae officialis delictis et functionibus statui debet: varios *simplicis cooperationis* modos, qui noto versiculo memoriali exhiberi solent, scl.:

« *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
Paricipans, mutus, non obstans, non manifestans »

fere omnes etiam in functionibus officialibus et delictis officialibus occurrere posse. Quod vero attinet ad *qualificatam illam cooperationem*, quae in eo consistit, quod, qui cooperatur, saltem unum ex elementis constitutivis actionis (internis vel externis), ad quam cooperationem praestat, ponat: quoad *elementum externum* dubitari potest, num possit asseri. Quoad *elementum internum* autem, idest quoad personae officialis voluntatem, delictum vel opus officiale amplectentem et exsequentem — (quae interna voluntas est elementum actus officialis maxime essentiale et nobile) — personae privatae « con-actio » seu « con-patratio » possibilis videtur; eo scl. modo, quod persona officialis voluntatem personae privatae, (qua haec personae officialis actum et functionem ipsa quoque amplectitur et per personam officialem ponendam vult) tamquam obiectum propriae voluntatis assumit et ita in suam officialiter agendi voluntatem et actum, ipso momento actionis officialis, introducat et efficacem reddat. Talis « introductio », « con-actio », « con-patratio » supponit utriusque voluntatis (scl. personae officialis et personae privatae) liberam et deliberatam *consonantiam* (seu proprie dictum « consensum ») in idem omnino obiectum sub eodem omnino respectu. Quae consonantia voluntatum tantopere est necessaria, ut neutrius voluntas, separatim sumpta, ad qualificatam hanc cooperationem constituendam sufficiat, immo ne sufficere quidem queat. Ex altera parte ex aequali hac necessitate, minime deduci potest utriusque voluntatis ef-

ficacia aequalis, aequale pondus et momentum. Utriusque voluntas, in actu officiali ponendo, efficaciam omnem (quoad actum officialem) vim et virtutem habet ex voluntate personae officialis, concepta et habita in ipsa officiali actione.

Obici potest: « *De internis non iudicat praetor* ». Hoc autem axioma, ut sit rectum, intellegi debet de « *mere-internis* »; si intellegeretur de « mere-externis » esset, falsum. Sufficit inspicere quae in CIC habentur, lib. V, tit. I. et II « De natura delicti eiusque divisione » et « De imputabilitate delicti, ... ». Verum est dictam requisitam « consonantiam voluntatum » saepe non facile probari; at non pauci sunt casus, in quibus probatio moraliter certa praestari potest ex dictis et factis, ab agentibus tempore minime suspecto positis. De caetero tota hucusque facta inquisitio non fuit de « con-patrationis » in actu officiali *probatione*, neque de eius imputabilitate, punibilitate, praemiabilitate, merito et demerito; sed unice: de eius *interna constitutione*, de iuridica structura et analysi.

F. Hürth S. I.

MONUMENTA

41 - SS. D. N. Pius Pp. XII

INDICTIO UNIVERSALIS IUBILAEI ANNI SANCTI MILLESIMI NONGENTESIMI QUINQUAGESIMI

(*A.A.S.*, xxxxi [6 iun. 1949] p. 257).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES

LITTERAS INSPECTURIS

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iubilaeum maximum, quod per proximi anni decursum hac in Alma Urbe celebrabitur, eo potissimum spectat ut christianos omnes non modo ad admissorum expiationem revocet emendationemque vitae, sed etiam ad virtutem sanctitudinemque assequendam, secundum illud: « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester » (*Lev.*, X, 7; cfr. *I Petr.*, I, 16). Ex quo quidem facile cernitur quae quantaque sit antiquissimi huius instituti utilitas. Si enim homines hanc Ecclesiae vocem exaudierint, si a terrenis fluxisque rebus ad aeterna se converterint perpetuoque mansura, tum procul dubio optatissima illa habebitur renovatio animorum, ex qua non tantum privati, sed publici etiam mores christianis praeceptis christianoque afflatu conformabuntur. Siquidem cum recta vivendi ratio singulorum mentes permovet ac sincere efficienterque dirigit, tum necessario consequitur, ut nova quaedam vis atque impulsio universam attingat ac pervadat humanae con-

sortionis compagem, quae ad meliorem feliciorемque rerum ordinem revocetur. Atqui, si umquam alias, hodie potissimum necesse est Evangelii veritate virtuteque reformare omnia. Hominum nisus, quamvis sint laude digni, nec fallacibus moveantur rationibus, tantae huic rei impares tamen sunt; augusta solummodo religio, quae superno auxilio divinaque gratia innititur, tam grandem potest suscipere causam, eamdemque, actuose contendentibus omnibus, ad salutiferum exitum adducere.

Quamobrem vehementer optamus ut ubique terrarum sacrorum Antistites una cum clero cuiusque suo, commissum sibi gregem ea diligenter edoceant, quae ad proximum Iubilaeum maximum pertineant; eosdemque adhortentur ad illud aptiore, quo poterunt, modo participandum, sive Romam venire queant, sive domi permaneant; impensiores nempe preces ad Deum fundant; sanctae paenitentiae caritatisque opera multiplicent; ac cetera pro viribus agant, quae Nos, utpote peculiaria proposita per Annum Sacrum assequenda, iam occasione data enuntiavimus.

Itaque, iam nunc uberes salutaresque fructus mente praecipientes, quos supplici a Divino Redemptore poscimus prece, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, universale maximumque Iubilaeum hac in Alma Urbe a Natali Domini N. Iesu Christi, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono inchoandum, et ad Natalem Domini Nostri anno millesimo nongentesimo quinquagesimo finiendum — idque ad normam canonis CMXXIII — auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animorum salutem et Catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Hoc igitur piacularis anni decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui rite per Paenitentiae Sacramentum expiati et sacra Synaxi refecti, vel eodem die, vel di-

versis diebus, quovis ordine servato, Basilicas S. Ioannis ad Lateranum, Vaticanam S. Petri, S. Pauli ad viam Ostiensem ac Liberianam in Exquiliis semel pie inviserint, atque ter preces *Pater Ave Gloria*, semel praeterea *Pater Ave Gloria* ad mentem Nostram, et formulam *Credo* in unaquaque Basilica recitaverint, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam ac veniam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus.

Quae autem supra servanda ediximus ut plenissima Iubilaei venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel in ipso itinere prohibiti aut morte interim praerepti, praefinitum visitationum numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem, ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Synaxi refecti, indulgentiae remissionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus Basilicas reapse inviserint.

Decernimus praeterea iubilarem hanc indulgentiam a christifidelibus, cum sibi, tum vita functis, toties lucri fieri posse, quoties imperata opera rite perficiantur.

Quaenam vero, dilecti filii, sit in universum mens Romanorum Pontificum profecto non ignoratis; at quaenam sit, ad proximum Annum Sacrum quod attinet, peculiaris mens Nostra cupimus apertius clariusque vobis patefacere.

Per admovendas ad Deum supplicationes id imprimis imploretur, ut omnes precando paenitendoque sua quisque admissa expient, atque ad christianam morum emendationem ad christianamque virtutem ita contendant, ut hoc Iubilaeum maximum feliciter maturet universalem omnium ad Christum reditum. Idque praeterea est a Deo supplici petendum prece ut fidelitas, Divino Redemptori ab eoque conditae societati debita, inconcussa mente actuosaque voluntate ab omnibus retineatur; ut sanctissima Ecclesiae iura adversus hostium insidias, fallacias, insectationesque incolumnia semper inviolataque serventur; itemque ut qui

adhuc sint catholicae veritatis expertes, qui e recto itinere aberrent, ac vel ipsi infitiatores osoresque Dei superna luce collustrentur, ac flexanima gratia permoti ad Evangelii adducantur obtemperandum praeceptis; ut recte composita ac serena tranquillitas ubique terrarum, ac praesertim in sacris Palaestinae locis, quam primum constabiliatur; ut civium ordines, pacatis odiis sedatisque discordiis, iustitia fraternaque concordia invicem coniungantur; ut denique indigentium multitudines e suo labore habeant, unde honeste vivant, atque ex largitate caritateque eorum, qui elatiore fortuna fruantur, necessaria opportunaque assequantur adiumenta.

Redeat tandem aliquando optatissima pax in omnium animos, in domesticos convictus, in singulas Nationes, in universamque populorum communitatem; habeant « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » (Matth., V, 10) invictam illam fortitudinem, quae Ecclesiam inde ab originibus martyrum cruore decoravit; qui profugi, qui captivi, qui extorres longe a propriis laribus abstrahuntur, ad dulcissimam possint quantocius patriam remeare suam; qui autem dolore maeroreque anguntur, supernis reficiantur solaciis. Christiano pudore fulgeat ac christiana virtute floreat, vigescat animosa iuventus; eique in exemplum praeluceat provecta ac senilis aetas; omnes denique caelesti ea fruantur gratia, quae sit auspicium sempiternae adipiscendae in caelis beatitatis.

Iam nihil aliud, dilecti filii, reliquum est, nisi ut vos paterna invitemus voluntate ut Romam per piacularis anni decursum frequentissimi conveniatis; Romam dicimus, quae christifidelibus cuiusvis Nationis veluti altera patria est, ubi locum, in quo Apostolorum Princeps post factum martyrium conditus fuit, venerari queunt, ubi sacra martyrum hypogea, ubi templa praeclarissima, ubi avitae fidei avitaeque pietatis monumenta cernere possunt, ac communem Patrem visere, qui, brachia ad eos pandens, amantissimo animo eorum adventum praestolatur.

Novimus quidem itinera non omnibus expedita neque facilia fore; iis praesertim, qui tenuiore fortuna utantur atque in longinquis commorentur terris. Atsi, cum de terrenae huius vitae necessitatibus agitur, tantopere contenditur ut omne genus difficultates evincantur, cur omnino sperare non liceat futurum ut ingentes undique terrarum multitudines, nullis parcentes laboribus, nullisque perterritae incommodis, ad Almam hanc Urbem confluant, caelestia munera impetraturae?

Attamen, dilecti filii, eiusmodi peregrinationes non eorum more suscipiendae sunt, qui delectationis causa iter facere solent, sed pientissimo eo animo, quo iam superioribus aetatibus christifideles cuiusvis ordinis ac cuiusvis gentis, aspera saepenumero commeatuum impedimenta exsuperantes, ac vel pedites, Romam petere, ut paenitentiae lacrimis suas labes proluerent, ac veniam et pacem a Deo implorarent. Avitam hanc fidem actuosumque divinae caritatis ardorem exsuscitate, augete, in ceterosque infundite; atque ita, Dei Numine adspirante iuvanteque, fiet ut proximum Iubilaeum maximum et singulis, et universae christianorum consortioni fructus afferat saluberrimos.

Ut autem hae Litterae Nostrae ad omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiamsi prelo editis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima sexta mensis Maii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die vigesimo-sexto Maii, festo Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pii Papae XII anno undecimo, praesentes Litteras Apostolicas in atrio sacrosanctae Basilicae Vaticanae, adstantibus Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium collegio, Rev. Camera Apostolica, Cancellariae Apostolicae officialibus, R.mo Vaticano Capitulo, confertoque populo, elata voce legi solemniterque promulgavi.

† Ego ALFONSUS CARINCI, Arch. tit. Seleuc. in Isauria, *Protonotariorum Apostolicorum Collegii Decanus.*

42 - SS. D. N. Pius Pp. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

INDULGENTIAE ET FACULTATES SUSPENDUNTUR VERTENTE ANNO GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO.

(*A.A.S.*, XXXXI [25 aug. 1949] p. 337)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fore confidimus ut proximum Iubilaeum maximum, quod haud ita pridem indiximus, cum singulis christifidelibus, tum humanae societati fructus afferat uberrimos. Nobis enim dabitur — ut in optatis est — ingentes christianorum multitudines cernere, quae Romam undique gentium confluent, ut principem Catholicae Ecclesiae Sedem ac Iesu Christi Vicarium revereantur, ut praeclara religionis monumenta pie invisentes suam fidem alant ac refoveant,

ut denique sua admissa expient et ad virtutem optimosque redintegrandos mores una simul exardescant.

Ac futurum quoque speramus ut mirandum hoc fraternae unitatis caritatisque spectaculum — dum odium haud paucos homines miserandum in modum disiungit atque exagitat — facere non possit quin eos etiam, qui catholico non censentur nomine, salutariter percellat atque commoveat.

Ut autem quam plurimi, divinae munera impetraturi, ad almam hanc Urbem per anni sacri decursum conveniant, quod Decessor Noster Sixtus IV anno MCCCCLXXIII decrevit, id ipsum Nos per has Litteras statuere censemus, prudenti tamen temperatione modoque adhibito, quemadmodum infra indicaturi sumus: hoc est promulgata atque ad rem deducta Iubilaei indulgentia, iam ceteras omnes poenarum relaxationes, aut concessas, aut concedendas, itemque facultates cuivis factas, extra Urbem, Apostolicae Sedis nomine atque auctoritate dispensandi absolvendique in utroque foro, per piacularem annum conquiescere atque intermitti iubemus.

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, usitatas pro vivis indulgentias, ut decessores Nostri simili in causa decreverunt, sic Nosmet per totum Anni Sancti decursum ubique — in Ecclesia etiam Orientali — intermitti suspendique decernimus; itemque facultates Nostro nomine extra Urbem exercendas intermittimus atque suspendimus, iis tamen in utraque re exceptis, quas mox enumeraturi sumus.

Etenim ex indulgentiis, quae pro vivis concessae sunt, has, quae sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus:

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

II. Eam, qua frui omnibus licet, qui cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerint, precationem « Angelus Domini », vel, pro temporis ratione « Regina caeli », vel, si neu-

trum fieri potest, quinquies *Salutationem Angelicam* « Ave Maria » recitaverint.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, aut facem vel cereum per alios ferendum ea occasione mittant.

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Asisium, pietatis causa, adierint.

VI. Indulgentias iis concessas, qui precem recitaverint a Nobismet ipsis compositam pro Anno Sancto MDCCCCL.

VII. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, vel Internuntii, ac Delegati Apostolici, itemque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent.

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas concedendasque ex facultate iure ipso vel *peculiari indulto* sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum, nusquam terrarum vivis prodesse, sed tantummodo vita functis. Praesentium interea auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter indulgentias Iubilaei easque, quas superius singillatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub paena excommunicationis ipso facto incurrendae aliisque paenis arbitrio Ordinariorum infligendis, quomodocumque publicentur.

Ad illud idem propositum, ad quod indulgentiarum intermissio spectat, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, di-

spensandi praetera ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suburbium, per Iubilaei Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Haec tamen per exceptionem decernimus:

I. Ratae sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae.

II. Ratae item firmaeque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factae, tum Ordinariis locorum, Antistibus religiosorum Ordinum atque Superioribus Religiosarum Congregationum maioribus quoque modo in subditos suos tributae.

III. Quas denique facultates S. Paenitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra Urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat paenitentes exerceantur, qui quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrarii non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, declarationis, voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII.

II

PAENITENTIARIIS ALIISQUE IN URBE CONFESSARIIS EXTRAORDINARIAE CONCEDUNTUR FACULTATES ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO.

(*A.A.S.*, XXXXI [16 aug. 1949] p. 340)

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, cupimus per proximum piacularem annum iis etiam ad frugem bonam ad christianamque virtutem reditum faciliorem reddere, qui gravioribus criminibus impliciti, longe a Divini Redemptoris amplexu aberrent. Id facientes, novimus Nos Iesu Christi partes agere, qui ut amantissimus pastor nihil magis exoptat, quam oves amissas vulnereque sauciatas ad gregem reducere, earumque plagas, opportunis adhibitis remediis, curare suaviterque lenire. Quapropter valde opportunum ducimus per anni sacri decursum confessariorum in Urbe amplificare atque augere potestatem.

Itaque motu proprio, certa scientia ac de apostolica plenitudine potestatis, ea quae sequuntur de confessariis in Urbe et suburbio, anno Iubilaei vertente, deputandis, deque extraordinaria potestate iisdem attribuenda, praescribimus ac statuimus.

Dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiori committimus ac demandamus, ut, praeter eos, qui nunc sunt, quatuor Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, Ostiensis et Liberianae paenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios, tam in memoratis quattuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium sive regularium ac praesertim in variarum nationum per Urbem ecclesiis, no-

vos similiter paenitentiarios ad totum Annum Sanctum deputet et abunde multiplicet.

Quibus paenitentiariis minoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, sive iam exsistentibus sive a dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiore, ut supra, deligendis, concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur.

At hisce amplissimis facultatibus non utantur nisi normis exceptionibus servatis, quae sequuntur:

I. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can 2388, § 1, Sanctae Sedi reservatam ad normam Decreti « Lex sacri coelibatus » per Sacram Paenitentiariam Apostolicam editi d. XVIII mensis Aprilis, a. MDCCCCXXXVI (cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XXVIII, p. 242), itemque ad normam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae d. IV mensis Maii, a. MDCCCCXXXVII (cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XXIX, p. 283); vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo umquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

II. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

III. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem co-

ram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto vel validitate baptismi in secta collati, eiusmodi acatholici, ante absolutionem, ad dilectum filium Nostrum Cardinalem in Urbe Vicarium remittantur.

Ne absolvant praeterea eos, qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, d. I mensis Iulii a. MDCCCCXXXXIX edito, de communismo (Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol XXXXI, p. 334), nisi sincere et efficaciter resipuerint.

IV. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibus de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

V. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

VI. Possint iidem paenitentiarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine pu-

blice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laisalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

VII. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

VIII. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

IX. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

X. Ad visitationes quod attinet quatuor Basilicarum, paenitentiarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi. Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedi-

mento detenti, memoratas Basilicas invisere nequeant, dispensando commutent. Paenitentiarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

XI. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

XII. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur. Qui tamen paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere.

XIII. Hisce omnibus, quas memoravimus, facultatibus volumus uti non modo paenitentiarios, de quibus in harum Litterarum exordio diximus, sed etiam S. Paenitentiariae Praelatos: itemque eiusdem S. Paenitentiariae Officiales omnes qui sint in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter adprobati; singulos Urbis suburbiique parochos; rectores et confessarios, a Vicariatu adprobatos, ecclesiarum nationalium, praetereaque nonnullos confessarios pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis designandos, quorum omnium sedi confessionali tabella affigatur in qua verba inscripta sint PAENITENTIARIUS SANCTI IUBILAEI. Praeterea ut religiosorum virorum utilitati uberius consulamus, easdem facultates tribuimus, pro Ordinibus Congregationibusque exemptis, aliquibus ex iis confessariis, quos Superiores pro subditis tantum adprobaverint ad formam can. 518 et secundum extensionem in can.

514 § 1 descriptam; Superioris quidem erit, in unaquaque domo unum alterumve in individuo deputare: qui tamen ex hac sola deputatione non poterunt facultatibus, de quibus supra, uti erga fideles domui ac Religioni extraneos.

XIV. Paenitentiarii, ut supra deputati, sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. X — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

XV. Uti iisdem facultatibus poterunt etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum. Caveant tamen — in quo graviter eorum conscientiam oneramus — ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant.

Cum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, intersit operarios multiplicari, omnibus quoque confessariis adprobatis ad annum a Venerabili Fratre Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus generali, itemque reliquis omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superior tantummodo suus pro sodalibus Religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus adprobaverit — intra fines tamen temporis, loci ac personarum in concessione adprobationis designatos — has, quae sequuntur, tribuimus extraordinarias facultates:

1. Absolvere possint, per se ipsi tantum et in foro dumtaxat conscientiae et sacramentali, eos, qui apud ipsos con-

fiteantur, a quibusvis peccatis et censuris, etiam speciali modo a iure Sanctae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, dummodo censurae publicae non sint, iniunctis tamen salutaribus paenitentiis aliisque de iure iniungendis, servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus, quae supra, sub nn. I-V, pro paenitentiariis minoribus praescriptae sunt.

2. Omnia et singula vota privata, etiam iurata, dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, commutando in alia pia opera, ex iusta causa, exceptis iis privatis votis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur, itemque exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in professione religiosa tam sollemni quam simplici, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Dispensare possint ab irregularitate eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. VII.

4. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum easque item commutare eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. X.

5. Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Paenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto.

6. De usu facultatum, quas supra sub nn. 1-4 concessimus, ea valeant ac serventur, quae pro paenitentiariis minoribus sub n. XIV constituimus.

Nihil reliquum est, nisi ut paenitentiarios et confessarios, quibus extraordinarias facultates istas de Apostolica benignitate largiti sumus, vehementer moneamus ut patienti animo caritatisque pleno eos omnes excipiant, qui Domino reconciliari cupiant et caelestibus frui thesauris, quos Sancta Mater Ecclesia per totum Iubilaei annum cuivis reserat.

Praesentes autem Litteras volumus firmas exsistere et fore, earumque exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notari publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constitui munitis, eandem adhiberi fidem, quae hisce Litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concesssionis, declarationis et voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

III

INDULGENTIAE ANNI SANCTI MDCCCCL CONCEDUNTUR MONIALIBUS ALIISQUE STABILI IMPEDIMENTO DETENTIS CUM OPPORTUNIS FACULTATIBUS CIRCA ABSOLUTIONES ET VOTORUM COMMUTATIONES.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Iam promulgato maximo generalique Iubilaeo, quod qui ad almam hanc Urbem convenerint participare poterunt, paternus animus Noster ad eos se convertit, qui, gravi praepediti impedimento, prohibentur quominus Romanam suscipiant peregrinationem. Hi sunt non modo qui vitam contemplationi deditam in claustralibus saeptis traducunt, sed qui etiam ob senilem aetatem, vel infirmam valetudinem itineris incommoda tolerare non possunt; qui in exsilio, in captivitate, in publica custodia detenti, vel alia de causa, adveniendi libertate non fruuntur; qui de-

nique tam misera anguntur sorte, ut necessarias impensas facere non valeant.

His etiam cupimus ut facultas ne desit caelestibus utendi largitionibus, quae per proximum piacularem annum assequendae proponuntur; ita quidem ut christianorum omnium communitati uberiores pateant impertiendae divinae gratiae latices. Ac futurum confidimus ut eorum preces, qui ex suscepto vitae instituto virginalem innocentiam colunt, eorumque piacula expiationesque, qui in aerumnosis miserisque versantur condicionibus, non modo sibi, sed Ecclesiae etiam, universaeque hominum societati a misericordissimo Deo feliciora tempora impetrent.

Huius vero concessionis Nostrae hi dumtaxat, qui sequuntur, participes sunto:

I. In primis Moniales omnes, quae in coenobiis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae in iisdem monasteriis aut probandae et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa, etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernales, quae famulatus vel stipis colligendae gratiae, saepta religiosa egrediuntur.

II. Omnes religiosae Sorores, scilicet votorum simplicium, quae ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive dioecesani, quam severiore claustri lege non adstringuntur, una cum suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semi-convitricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis — aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio vel quasi domicilio.

III. Pariter Oblatae, seu piae feminae, vitae societate coniunctae, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta ab ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosis n. II diximus.

IV. Omnes feminae ad quemvis Tertium Ordinem Regularem pertinentes, quae sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernales.

V. Puellae et mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditae.

VI. Anachoretae et Eremitae, non ii quidem, qui nullis adstricti clausurae legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Reformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiani.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur, aut exsilii paenas deportationisve luunt, aut apud paenales domos ad opus damnati reperiuntur, aut denique in correctionis domibus versantur; itemque ecclesiastici vel religiosi viri, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

VIII. Christifideles utriusque sexus, qui in illis Nationibus commorantur, in quibus ob peculiaria rerum adiuncta non licet Romanam suscipere peregrinationem.

IX. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra Iubilaei annum, aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas Patriarchalium Basilicarum visitationes instituant, qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, aegrotantibus continuata opera, adsunt; qui corrigendorum emendationi ac regimini praeponuntur; itemque operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Hos omnes et singulos monemus hortamurque ut ad-

missa cuiusque sua dolenti animo perscrutantes, eadem per Paenitentiae Sacramentum eluant ac renovato spiritu ad perfectioris vitae institutum citatiore gradu contendant; mox Angelorum Pane ea, qua decet, pietate reficiantur, indeque vires sumant ad proposita sancte suscepta religiosissime exsequenda; denique ad mentem Nostram — hoc est pro Ecclesiae Catholicae incremento, pro extirpandis erroribus, pro Principum concordia totiusque humanae consortionis tranquillitate et pace — orare ne praetermittant.

Visitationi autem quatuor Urbis Basilicarum alia religionis, pietatis caritatisque opera iidem sufficiant, quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus, iniunxerit.

Itaque omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere paenitentibus et intra Annum Sanctum rite confessis ac sacra synaxi refectis, Deumque, ut supra diximus, ad mentem Nostram orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus si morbus periculosus oppresserit, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam, rite tamen obtenta per Paenitentiae Sacramentum remissione ac venia, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus explevissent, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus; quam quidem indulgentiam toties intra Anni Sancti decursum lucrari possunt, quoties iniuncta opera iteraverint.

Porro liceat unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad praescripta Codicis approbatum, cui, vi praesentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum Iubilaeum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris

et peccatis etiam speciali modo a iure Apostolicae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a votis privatis quibuslibet, quae ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus quoque commutare posse omnia vota privata, etiam iurata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sint, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

Hortamur autem venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, ad apostolicae Nostrae benignitatis exemplum, eligendis ad praesentium effectum confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ab ipsis Ordinaris reservati sint.

Harum interea decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Voulumus denique ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima men-

sis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

43 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

I

MONITA

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS PER ANNUM SANCTUM TRIBUTARUM DEQUE RATIONE INDULGENTIAE IUBILAEI LUCRANDAE, AB NORMAS CONSTITUTIONUM BENEDICTI XIV, LEONIS XIII ET PII XI EXARATA, AUCTORITATE SS.MI D. N. PII AD HODIEANAM DISCIPLINAM ACCOMMODATA EIUSQUE IUSSU EDITA.

(*A.A.S.*, XXXXI [3 oct. 1943] p. 513).

Per Apostolicam Constitutionem « Decessorum Nostrorum » die x mensis Iulii datam, paenitentiariis minoribus aliisque in Urbe et suburbio confessariis amplissimae fuere facultates attributae, eo quidem consilio ut iubilaris veniae adeptio facilius redderetur.

Oportet tamen eiusmodi facultates summa prudentia exerceantur, ut finis ille, quem Sancta Mater Ecclesia, piacularem annum indicendo, sibi proposuit, salutarem consequatur effectum uberesque fructus.

Quamobrem Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, quae monita ex decessorum Suorum auctoritate hac super re sapientissimis rationibus iam edita fuerunt, eadem ad recentiora praescripta et ad praesentem disciplinam accommodata, prout infra exponuntur, religiose retinenda esse decrevit, et a singulis, sive Ordinariis, sive confessariis ecclesiarumque rectoribus, accurate servanda.

I. Noscant imprimis in compertoque habeant paenitentiarii aliique confessarii se extraordinariis hisce facul-

tatibus uti posse dumtaxat erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

Simplices confessarii his facultatibus in sacramentali confessione tantum uti possunt; paenitentiarii vero etiam in foro interno extra-sacramentali, dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur pro quibus sacramentalis confessio expresse requiratur.

Urbis tamen et suburbii parochi, qui per Constitutionem « Decessorum Nostrorum » anno sancto vertente paenitentiariis annumerantur, peculiarem facultatem habeant iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutiandi ad normam memoratae Constitutionis sub n. X, non modo cum de paenitentibus agitur, sed etiam cum de singulis fidelibus singulisque familiis paroeciae suae.

II. Quandoquidem facultas absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris, itemque dispensandi ab irregularitate hisce finibus continetur atque circumscribitur, ita ut per piacularis anni celebrationem semel tantummodo cum eodem paenitente exerceri queat, cum scilicet ipsemet iubilarem veniam primum lucretur (cfr. Const. « Decessorum Nostrorum » sub n. XIV); itemque tum solummodo, cum paenitens iam ab alio confessario facultatem habente per anni sancti decursum ab his peccatis atque censuris absolutus non fuerit, vel ab irregularitate dispensatus, summopere necesse est paenitentiarios ac confessarios, ut munere suo rite fungantur, a quolibet paenitente hisce peccatis, censuris vel irregularitate irretito exquirere:

1° utrum iam iubilarem veniam lucrifecerit necne;

2° quodsi eam non lucrifecerit, num, anno sancto

vertente, a peccatis vel a censuris reservatis absolutus fuerit; vel ab irregularitate dispensatus.

III. Confessarii praediscant ac memoria teneant indicem peccatorum, censurarum, poenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se paenitenti providere, quam is rligiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3.

IV. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

V. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

VI. Paenitentiarii, qui a censuris etiam publicis absolvere possunt, hoc exploratum habeant:

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, non posse eos tamdiu Iubilaei beneficio frui quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, posse, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

VII. Ad peccatum quod attinet, per can. 894 reservatum ratione sui, paenitentiarii aliique confessarii absolutionem ne impertiant, nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia.

VIII. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus paenitens in posterum ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam accedat. Firmis quidem manentibus poenis, de quibus sub n. 2° eiusdem canonis agitur.

IX. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exsequendum tempore, in foro interno absolvant ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poenis in can. 2385 statutis. Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris, ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

X. Cum de votorum commutationem agitur, id latiore quadam ratione accipiatur ita quidem ut paenitentiarii ac confessarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti vota commutare possint.

XI. A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis poena vetantur, ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit, sin minus, se eos, cum primum potuerit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

XII. Ad facultatem quod attinet sacras visitationes commutandi vel dispensandi, haec animadvertenda sunt:

1° Cum paenitentiarii ceterique confessarii, iusta quidem de causa, Basilicam in aliam ecclesiam commutabunt, iubilares hae visitationes haud dissimili ratione fiant, ac illae quae in Basilicis praescribuntur.

2° Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram Basilicam invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam per commutationem visitandi, noverit idem sacras visitationes quattuor semper habendas esse, quae proinde in reliquis Basilicis fieri debent. Dispensatio enim alicuius Basilicae visitandae idem non est ac sacrarum visitationum numeri imminutio.

3° Si quis vero, praeter dispensationem alicuius Basilicae visitandae, sacrarum etiam visitationum numeri imminutionem petat, paenitentiarii aliique confessarii tot preces eidem recitandas praescribant, quot visitationes dispensatae fuere; quae quidem preces haud absimiles illis esse debent quae in sacris visitationibus adhibentur.

4° Necesse, ceteroqui, non est invisentibus, ut per Portam Sanctam in Basilicas ingrediantur aut de iis exeant; immo, etiam Basilicis clausis vel aditu ad eas quavis de causa impedito, satis erit ad earumdem fores vel gradus Deum exorare, praescriptas preces recitando. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi; quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

5° Vocales preces, quae praescribuntur, alternis etiam vocibus recitari possunt. Mutis vero can. 936 consulitur.

XIII. Cum quatuor Basilicarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum qui libere velint Iubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet, ex rationabili causa, totum vel ex parte paenitentibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragendam paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus.

XIV. Confessio et Communio ad lucrandam piacularis anni veiam imperatae nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 § 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

XV. Suspensio facultatum specialium, per Constitutionem « Fore confidimus » die x Iulii huius anni indicta ac denuntiata, ad Urbem eiusque suburbium minime pertinet, cum summopere intersit, per Annum Sanctum, heic sacrorum operariorum copiam et auxilia paenitentibus e culparum caeno ad divina gratiam revocandis nec imminui nec deficere. Quisquis igitur Romae eiusmodi facultatibus sit legitime munitus, eas per piacularem annum in Urbe et suburbio, intra fines concessionis sibi factae et temporis sibi praestituti, libere exerceat. — Ad indulgentiarum suspensionem quod attinet, eadem Constitutionem « Fore confidimus » indictam, cum Apostolica Sedes iam dudum decreverit, nonnullas indulgentias ab usitata per Annum Sanctum suspensione eximi, Ssmus D. N. eiusmodi indulta seu privilegia, etsi de iis in memorata Constitutione siletur, non revocat, modo authentice constet ea ipsa fuisse et revera et in perpetuum concessa, ad can. 70, 71 et 60 § 2.

XVI. Confessarii extra Urbem, qui facultatibus extraordinariis, Iubilae causa, per Constitutionem « Iam promulgato » donati sunt, sciant, sibi licere hisce Monitis eatenus uti, quatenus ipsis applicari possint.

Haec *Monita* ad praesentis disciplinae condicionem accommodata, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII in lucem edi iussit, ut constans et tuta omnibus praesto sit

interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximum piacularem annum.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XVII mensis Septembris, anno MDCCCCXXXXIX.

N. Card. CANALI, *Paeitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

II

FACULTATES

CONFESSARIIS PEREGRINIS CONCESSAE ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MDCCCCL.

(*A.A.S.*, XXXXI [3 oct. 1949] p. 518)

I

Facultates speciales quae tribuuntur omnibus Confessariis *peregrinis qui iam in sua Dioecesi rite approbati sint pro utroque sexu, quibusque pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum uti valeant*:

1. Absolvendi quaslibet personas sibi confitentes a quibusvis peccatis et censuris a iure reservatis aut Ordinario, aut, etiam speciali modo, Romano Pontifici, *dummodo censurae publicae non sint;* iniunctis salutaribus paenitentiis atque aliis de iure iniungendis.

Ne absolvant igitur, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can. 2388, § 1, Sanctae Sedi reservatam ad normam Decreti « Lex sacri coelibatus » per Sacram Paenitentiariam Apost. editi die XVIII mensis Aprilis anni MDCCCCXXXVI (cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XXVIII, p. 242), itemque ad

ormam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae die IV mensis Maii anni MDCCCCXXXVII (cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XXIX, p. 283); vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo unquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

2. Commutandi in alia pia opera, ex iusta causa, omnia et singula *vota privata*, etiam iurata, exceptis iis votis privatis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur; itemque exceptis iis quorum commutatio vergeret in detrimentum tertii, aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae eam commutando in visitationem, si fieri potest, alius ecclesiae, immo etiam visitationum numeirum imminuendi. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Summi Pontificis fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant. In commodum tantum aegrotantium eas liceat imminuere.

II

Facultates speciales quae Decem Confessariis *peregrinis, ab hac S. Paenitentiaria, vel ab Episcopo proprio selectis, tribuuntur ad confessiones sociorum peregrinorum accipiendas, quibusque pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum uti valeant:*

(*A.A.S.*, XXXXI [3 oct. 1949] p. 519)

1. Absolvendi non solum a censuris et excessibus occultis, prout statuitur sub n. I, 1, pro omnibus confessariis peregrinis, sed etiam a censuris *quae sint publicae* in locis ubi commorati sunt paenitentes vel ibi nominatim declaratae sint aut quamvis delictum ad iudicem fori externi iam fuerit deductum, dummodo sint sincere parati quodvis

mandatum demisse accipere fideliterque adimplere et scandalum reparare. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur. Ne absolvant tamen, ad tramitem can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione praeditos, superioresque maiores religionis exemptae, qui in censuras *speciali modo* Romano Pontifici reservatas *publice* inciderint.

2. Dispensandi constitutos in Sacris, ad Ordines tantum exercendos, ab irregularitatibus ex delicto occulto, non exclusa irregularitate de qua in can. 985, 4°.

3. Dispensandi circa visitationes quatuor Basilicarum, easque item commutandi eodem modo ac ceteris confessariis conceditur sub n. I, 3.

4. Commutandi in alia pia opera, ex iusta causa, omnia ac singula *vota privata*, iurata quoque et etiam Sedi Apostolicae reservata. Similiter possint commutare votum castitatis perpetuae ac perfectae, etsi fuerit ab origine *publice* emissum in professione religiosa etiam solemni et firmum manserit, aliis huius professionis votis relaxatis. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensare possint qui vi Ordinis Sacri ad legem coelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutatione votorum se abstineant si commutatio tertio praeiudicium afferat ac minus arceat a peccato quam ipsa commutatio.

5. Dispensandi ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non vero ad contrahendum vel sanandum in radice.

6. Dispensandi ab occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive agatur de matrimonio contracto sive de contrahendo, iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, gravi ac diuturna paenitentia salutari.

MONITA

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS PEREGRINIS TRIBUTARUM

(*A.A.S.*, XXXXI [3 oct. 1949] p. 520)

1. His facultatibus specialibus confessarii peregrini ubicumque in Urbe et suburbio, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum, cum sociis peregrinis uti poterunt, ita tamen ut eas valide exercere valeant si unus vel alter peregrinus non socius, cum peregrinis sociis, ad ipsos confitendi causa accedat.

2. Item his facultatibus tantummodo uti poterunt erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes, concessae in suo robore permaneant.

3. Similiter his facultatibus absolvendi a peccatis et censuris reservatis itemque dispensandi ab irregularitatibus nonnisi *semel* cum eodem paenitente uti potrunt, cum ipse scilicet Iubilaei veniam primum lucretur et tum solummodo cum paenitens iam ab alio confessario, facultatem habente per anni sancti decursum, a peccatis et censuris non fuerit absolutus vel ab irregularitate iam dispensationem non obtinuerit. Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. I, 3 — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

4. Firmae et immutatae remaneant facultates quas omnes confessarii peregrini per S. Paenitentiariam vel alio lgitimo modo consecuti sunt vel consequentur.

5. Haereticos et schismaticos qui fuerint publice dogmatizantes ne absolvant nisi ii, praeter haeresis et schisma-

tis abiurationem, saltem coram ipso confessario factam, scandalum, ut par est, reparaverint. Ne absolvant praeterea eos qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, die 1 mensis Iulii anni MDCCCCXXXXIX edito, de Communismo (cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XXXXI, pag. 334), nisi eodem modo, uti supra, resipuerint.

6. Ne absolvant eos qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus, nomen dederint, etiamsi occulsi sint, nisi, abiurata, saltem coram ipso confessario, secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336, § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retineant, absolventi tradiderint aut se ea tradituros vel destructuros serio promiserint, imposita, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari.

7. A lectione librorum prohibitorum ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario tradiderit aut se eos traditurum vel destructurum serio promiserit.

8. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

9. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus in posterum accedant ad religiosam domum illam eiusque ecclesiam.

10. Eos, qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvant nisi aut iis restitutis aut compositione quamprimum a competente auctoritate postulata, aut promissione sincere facta eamdem postulandi, nisi aga-

tur de locis, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

11. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

12. Confessio et Communio ad lucrandam Iubilaei indulgentiam nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, interponantur vel succedant; unum necesse est ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925, § 1, compleatur. Ab obligatione praescriptae confessionis neminem exsolvant; neque fas est, Communionem in alia pia opera commutare, nisi agatur de aegrotis.

13. Visitationem Basilicarum ne commutent in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis propriae dictae titulo adstrictus; et sciant se conscientiam suam oneraturos si inconsulto aut sine iusta causa paenitentem ex eiusmodi visitationibus exemerint.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XVII mensis Septembris, anno MDCCCCXXXXIX.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. LUZIO, *Regens.*

Adnotationes

Cum documentorum quae Sancta Sedes ad Iubilaeum Maximum ordinandum edixit, quaedam, prima saltem specie, obscuriora videantur omnia simplici stilo et in confessariorum usum percurram.

INDULGENTIA IUBILARIS

Vix dicere opus est indulgentiam quae per Anni Sacri decursum lucrifieri potest, plenissimam esse totius poe-

na temporalis veniam, quam quis tum sibi tum vita functis toties lucrari valet quoties opera praescripta rite perficiat.

INDULGENTIARUM SUSPENSIO

Quae ut magis magisque optetur, tam Romae quam extra Urbem, ubique, etiam in Ecclesia Orientali, per totum Anni Sancti decursum omnes aliae indulgentiae plenariae aut partiales suspensae atque intermissae erunt iis.

EXCEPTIS

1. Quae defunctis applicari possunt.

2. Quae lucrandae sunt vel lucrifieri possunt in articulo mortis.

3. Quae iis conceduntur qui cum primo diluculo, tum meridiano tempore tum sub vesperam, « Angelus Domini », vel pro temporis ratione, « Salve Regina », vel si neutrum fieri potest, quinquies « Ave Maria » recitant.

4. Quae sunt adnexae piae templorum visitationi ubi Sanctissimum Sacramentum **quadraginta horarum** spatio adorandum proponitur.

5. Quae lucrifieri possunt ab iis qui Sanctissimum cum ad aegrotos deffertur comitentur aut facem vel cereum per alios ferendum, ea occasione mittant.

6. Illa quae toties quoties lucrabilis est ab iis qui sacellum Portiunculae, in templo S. Mariae Angelorum prope Asisium pie visitant.

7. Quae a feliciter regnante Pio XII conceduntur iis qui precem a Sua Sanctitate compositam pro Anno Sancto recitaverint.

8. Illae quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, vel Internuntii, ac Delegati Apostolici, itemque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati Nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent. Eiusmodi sunt indulgentiae quinquaginta dierum quas Residentialis

Episcopus ad can. 249 & 2, n. 2, in suae iurisdictionis locis concedit dum fideles v. c. pie contionem apud se habitam audiunt etc.

9. Quaelibet plenariae vel partiales a Sancta Sede in perpetuum concessae et quarum in indulto authentice constat eas ab usitata per Annum Sanctum indulgentiarum suspensione eximi.

Nullum est dubium quin ad can. 930 omnes indulgentias a Romano Pontifice concessas de quibus non constat an tantum vivis sint applicabiles, in animarum in purgatorio detentarum suffragio lucrifieri possint.

Praeterea: veri simile, et indulgentiarum suspensioni non omnino alienum videtur, ceteras omnes indulgentias — v. g. sic dictae Papales — aut directe ab Apostolica Sede concessas, aut ab iis qui facultatibus sive iure sive peculiari indulto gaudent, cum « per totum Annum Sanctum nusquam terrarum vivis prodesse poterunt » vitae functis posse applicari. (Cf. Const. « Fore confidimus » I-VII).

Opera praescripta

Ad Iubilaei indulgentiam lucrandam imperatae sunt: sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio nec non Basilicarum visitationes.

Nihil tamen refert utrum Confessio et Communio visitationibus antecedant interponantur aut succedant. Indulgentia consequenda, tantum requiritur ut opera praescripta rite exhibeantur. Sit ergo

De Basilicarum visitationibus

I. *Quaenam et quomodo faciendae*

Vel eodem die, vel diversis diebus, quovis ordine servato Basilicae S. Ioannis ad Lateranum. Vaticana S. Petri, S. Pauli ad viam Ostiensem, ac S. Mariae Maioris in Exquiliis *semel* pie invisendae sunt atque *ter* preces Pater, Ave,

Gloria, praeterea *semel* Pater, Ave et Gloria ad Mentem Romani Pontificis et *semel* formulam Credo in unaquaque Basilica recitari debent[1].

Ad *modum* quod attinet, necesse non est invisentes per Portam Sanctam in Basilicas ingredi aut de iis per eam vel per aliam exire; immo, si Basilicae fuerint clausae vel aditus ad eas quavis de causa impeditus fuerit, satis erit ad earumdem fores vel gradus, imperatas preces pie et reverenter fundere. Id etiam alternis vocibus fieri quit. Muti ad normam can. 936 precum recitationi facere satis possunt vel eas mente recolentes, vel signis effundentes, vel tantummodo oculis percurrendo.

II. *Visitationum dispensatio vel commutatio*

Impeditorum ergo, qui sive morbo sive alia legitima causa *praepediantur*:

1. *ab una alterave Basilica invisenda*, eius vel earum Basilicarum visitationem omnes confessarii privilegiati — illi nempe qui extraordinariis pro Iubilaeo facultatibus potiuntur — poterunt; *a*) commutare in visitationem alius vel aliarum ecclesiarum, facta obligatione in ea vel in iis preces easdem recitandi quae in Basilica vel Basilicis recitandae erant; *b*) dispensare, ita tamen ut, nulla manente obligatione aliam ecclesiam adeundi, quattuor imperatas visitationes precesque eis adnexas in non dispensatis Basilicis explere debeant.

2. *tum ab aliqua Basilica visitanda cum a numero visitationum complendo*, Privilegiati confessarii diminutionem visitationum petentibus concedere valent sed iis imponent tot easdemque preces recitandas quot quasque in dispensatis visitationibus effundere tenebantur.

---

[1] Qui extra Urbem per Const. « Iam promulgato » iubilarem indulgentiam lucrari possunt, harum visitationum loco alia religionis, pietatis, caritatis opera praestabunt quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios iniunxerit inter quae preces ad Romani Pontificis mentem non desint oportet.

3. *a Basilicis omnino vel ex parte invisendis*, privilegiatis confessariis licet visitationes in alia pia opera commutare ad quae peragenda paenitens non sit alio obligationis titulo obstrictus. Tunc autem ne dispensare quidem valent a precibus ad mentem Romani Pontificis — semel quattuor Pater, Ave et Gloria recitare — fundendis, nisi agatur de aegrotis in quorum favorem has etiam preces imminuere queunt.

III. *A quibus et quo pacto commutandae*

His facultatibus — quas in favorem etiam eiusdem paenitentis qui ad eos accedat *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam lucretur *semper* exercere valent — *uti* poterunt: Paenitentiarii eisque aequiparati, in foro interno etiam extra sacramentali; ceteri confessarii privilegiati in actu confessionis tantum.

Parochis vero Urbis eiusque suburbii fas est eis uti non modo cum de paenitentibus agitur id est in foro sacramentali sed etiam cum de singulis fidelibus, singulisque familiis paroeciae suae.

Meminerint confessarii, ad normam can. 84, dispensationem aut commutationem sine iusta et rationabili causa concessam, et illicitam et invalidam esse: in dubio de sufficientia causae licite peti et licite valideque concedi. Inde Confessarii privilegiati enixe monentur se conscientiam suam oneraturos si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus quomodocumque exemerint.

Hi tandem sciant si morbo aliaque legitima causa in Urbe vel in itinere prohibiti aut morte interim praerepti, praefinitum visitationum numerum nondum compleverint aut ne inceperint quidem, se a culpis rite absolutos et sacra Synaxi refectos, plenariam Iubilaei indulgentiam perinde consecutos ac si quattuor Basilicas reapse inviserint.

Sacra Synaxis

Communio sacra qua plenariae indulgentiae causa refici opus est, in statu gratiae compleri debet. Nec sufficit paschalis Communio. Quod si haec misere neglecta fuerit, una Communione potest et praecepto paschali, quod adhuc urget si quis illud praescripto tempore quavis de causa non impleverit, et Communioni pro Iubilaeo praestandae satisfieri. Quae per modum Viatici ministratur semper sufficiet. Nefas est Communione ea dispensare vel eam in alia operá commutare nisi cum de aegrotis agitur qui ab ea suscipienda sint prorsus impediti. Si ita acciderit qui facultatem habent visitationes commutandi et eam in alia pia opera commutare poterunt.

Sacramentalis Confessio

Oneri praescriptae confessionis — quam nemo prorsus, ne quidem qui materiam necessariam non habet omittere potest, — non fit satis invalida aut annua ex praecepto. Pariter nunquam fas est quemlibet ab ea dispensare vel eam in alia opera commutare.

Si quis post iubilarem confessionem peractam ultimo nondum completo opere Iubilaei in grave peccatum rursus inciderit ei eam iterare opus erit, si Sacram Communionem adhuc non suscepit: secus satis erit ut actu perfectae contritionis elicito Deo reconcilietur.

Confessarii, gravem de se obligationem, non praetermittant suam cuique salutarem paenitentiam imponendi etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei indulgentiam mox esse consecuturum.

Iam ut quam plurimi ii etiam qui gravioribus commissis impliciti a Divini Redemptoris amplexu longe aberrant uberrima praetiosaque divinae gratiae munera impetraturi Romam conveniant, Romanus Pontifex, — indulgentia operibusque ad eam requisitis promulgatis — quas-

dam *facultates* ad sacramenti paenitentiae forum praesertim spectantes *subducit;* quasdam vero *amplificat.*

Facultatum suspensio

Extra Romam eiusque suburbium facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Romano Pontifici et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessae, per Iubilaei Maximi decursum, suspenduntur nullique suffragari poterunt. Per exceptionem tamen eiusmodi facultatum firmae rataeque,

Etiam extra Urbem manent

1. Omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae, quas inter can. 882, 899, 900, 2237, 2247, § 3, 2253 1 et 2, atque 2254 ad absolvendum a peccatis et censuris reservatis; can. 1313 et 1314 ad vota irritanda et commutanda; can. 990 in irregularitatum dispensationem; can. 1043-1045 in impedimenta, contentae.

2. Quae *pro foro externo* ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis, et Delegatis Apostolicis factae; tum Ordinariis locorum v. c. quinquennales, Antistitibus religiosorum Ordinum atque Superioribus maioribus quoquo modo in suos subditos tributae sunt.

3. Omnes quas *S. Paenitentiaria* impertire solet Ordinariis sive locorum sive religiosisaut confessariis *pro foro interno* dummodo exerceantur in commodum paenitentium qui quo tempore confessionem peragunt, nequeant, eorum iudicio sine gravi incommodo Romam petere.

4. Quae legitimo titulo tributae fuerint confessariis extra Urbem quibus facultates extraordinarias per Const. « Iam promulgato » pro confessione sacramentali tantum exercere licet.

Facultatum amplificatio

I. *Confessariorum varietas*

Ante quam ad amplificatas facultates veniamus necesse est quinque confessariorum species qui in Documentis quae commentamur includuntur enumerare.

1. Primum veniunt paenitentiarii minores tum ordinarii tum extraordinarii quattuor Basilicarum patriarchalium sive existentes, sive a Cardinali Paenitentiario maiori nominandi, quibus aequiparantur S. Paenitentiariae Praelati et Officiales omes qui sint in Urbe ad audiendas confessiones adprobati, singuli Urbis eiusque suburbii parochi, ecclesiarum nationalium rectores et confessarii a Vicariatu adprobati, nonnulli pariter adprobati confessarii pro praecipuis Romae templis designandi — horum omnium sedi confessionali affigenda est tabella in qua verba inscripta sint « Paenitentiarius Sancti Iubilaei » — unus demum alterve religiosus Ordinis vel Religionis clericalis exemptae, ex iis confessariis quos Superiores ad can. 518 et 515 § 1, adprobant deputandus, qui extraordinariis facultatibus uti poterit erga eos tantum in cuius favorem a Superiore potuit adprobari.

2. Deinde, Simplices confessarii ab Urbis Vicario ad annum adprobati atque omnes confessarii regulares exempti quos suus tantum Superior legitime adprobavit qui amplificatas facultates, tantum erga suos religiosos sodales et omnes extraneos in religiosa domo diem noctemque commorantes exercere valeant.

3. Tertio, Confessarii peregrini qui iam in propria eorum dioecesi ad confessiones audiendas pro utroque sexu sint adprobati.

4. Deinde, Decem confessarii peregrini a S. Paenitentiaria vel ab Episcopo proprio electi.

5. Postremum, confessarii quos Iublaei lucrandi causa licite adire poterunt quicumque per Const. « Iam promulgato » extra Romam eiusque suburbium plenissimam Iubilaei veniam assequi queunt.

II. *Quos erga amplificatae facultates ab iis exercendae.*

a) Novissimis, erga eos qui gravi praepediti impedimento — sive quod vitam contemplationi aut puellarum educationi, aut aegrotorum curae, deditam in claustralibus saeptis vel communi vivendi modo traducunt; sive quod ob senilem aetatem, infirmam valetudinem, exilium, captivitatem, paupertatem, miseriam, non valent Romam petere prohibentur quominuc iubilarem suscipiant peregrinationem eosque adeant ea mente et voluntate sincera ut Iubilaei indulgentiam lucrari possint.

b) Romae, vel in eius suburbio, vel perdurante itinere, ut putamus, extraordinariis facultatibus sibi factis licite et valide uti possunt. 1. paenitentiarii et simplices confessarii, erga omnes Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis fideles qui ad confitendum apud ipsos accedant sincera mente et firma voluntate ut Iubilaei plenariam veniam assequantur; 2. confessarii peregrini sive ex Decem sint aut secus, in favorem tantum eorum qui socii sint propriae peregrinationis aut etiam in favorem unius alteriusve peregrinis non socii quj peregrinos socios, confessionis iubilaris instituendae causa, comitetur.

III. *Quoties privilegiati confessarii eas exercere valent.*

Facultates 1. vota commutandi aut ab iis dispensandi, impedimenta dispensandi, et visitationes contrahendi aut commutandi, ut initio scripsi, in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere valent; 2. facultatibus, absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris, itemque dispensandi ab irregularitate, cum eodem paenitente uti nequunt nisi semel tantum: cum scilicet is Iubilaei plena-

riam indulgentiam primum lucratur et ab alio confessario facultatem quomodo libet habente per Anni Sacri decursum ab his peccatis et censuris non fuerit absolutus.

Inde ut munere suo rite fungantur confessarii a paenitente exquirant necesse est 1. utrum iam iubilarem veniam lucrifecerit necne; 2. quod si eam non lucrifecit, num Anno Sancto vertente a peccatis vel a censuris reservatis absolutus fuerit vel ab irregularitate dispensatus [2].

Cum contrarium certo non constet et, aliunde, absolvere sit iuridice diversum a dispensare, non negarem illum qui per annum Sanctum, in confessione, ante quam indulgentiam primum lucraretur, habita, a censuris reservatis a confessario cuius facultates speciales ratae permanent absolutus est, potest cum confessionem instituit ut primum indulgentiam lucretur, ab irregularitate et viceversa, a confessario privilegiato dispensari.

Si confessarii privilegiati binas has interrogationes omiserint et extraordinarias facultates — in reservatis censuris aut irregularitatibus — exercuerint in favorem alicuius, in anno sancto iam ab his antea absolutus et dispensatus, invalide agent nisi facultatibus utantur quas Codex Iuris eis confert, vel quae illis legitimo alio titulo constent.

Paenitentes noverint absolutiones censurarum et peccatorum reservatorum, commutationes votorum et omnes dispensationes a confessaris privilegiatis impertitis ad tenorem concessionis valere, etiamsi postquam ad eos voluntate firma Iubilaei lucrandi accesserint, mutato proposito ab indulgentia assecuenda destiterint.

---

[2] Impium est commissa aut multiplicare aut non fugere spe facilis acquirendae veniae. Meminerint tamen confessarii se reservata eorum qui vere contriti sint, aut semel vi facultatum extraordinariarum, aut semper vi facultatum specialium quas forse habent, aut in casibus urgentioribus absolvere et posse et debere.

IV. *Ubi exercendae*

Paenitentiarii alique eis aequiparati extraordinarias sibi donatas facultates vota dispensandi aut commutandi, et forse dispensandi ab impedimento criminis — de quibus postea — *in foro interno extra sacramentali exercere possunt.* Ceterae quas ii habent, omnesque, aliis omnibus privilegiatis confessariis impartitae, in *foro interno sacramentali* et quidem semper ab ipsis, per se, confessariis tantum sunt exercendae.

Iis uti poterunt tum in ecclesia cui addicti fuerint — minores paenitentiarios, parochos, cogita — tum et ad normam can. 908-910 in aliis ecclesiis, semper intra fines in facultatum concessione sibi adsignatos et — ut licite agant — de consensu rectorum harum ecclesiarum.

V. *Amplificatae facultates*

quae, servatis exceptionibus et normis de quibus postea, Iubilaei causa, — praeter facultates Basilicarum visitationes de quibus diximus — *impertiuntur;*

A) Paenitentiariis eisque aequiparatis.

1. Facultas absolvendi a peccatis et censuris etiam *speciali modo* a iure, Ordinariis aut Sanctae Sedi reservatis, sive *occultis* sive *publicis* et a censuris *ab homine.*

2. Facultas in alia opera etiam minoris meriti, ex iusta causa commutando dispensandi; omnia et singula vota privata etiamsi Sanctae Sedi reservata; pariterque — ex gravi causa — votum perpetuae et perfectae castitatis quod emissum fuit in professione simplici vel solemni, cum tamen alia eiusdem professionis vota iam fuerint dispensata.

3. Facultas dispensandi a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto — quod divulgatum iam est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri (cf. can. 2197 1 et 4) — non exclusa irregularitate proveniente ex delicto publico vel occulto de quo can. 985 n. 4.

4. Facultas dispensandi ab occulto impedimento — non solum ab eo quod in foro externo probari non potest (can. 1037), sed etiam ab eo quod nec vulgatum est nec facile vulgabitur (cf. can. 1047), — consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali etiam attingente primum quod ex generatione illicita proveniat; itemque ab occulto — modo nunc dicto — impedimento criminis, neutro machinante.

Tria notanda: *a*) censurae ab homine absolutio non suffragatur in foro externo; *b*) dispensatio a postrema irregularitate, tantum intendit et efficit ut dispensatus ordines iam receptos sine infamiae vel scandali periculo exerceat; dum attentis diversis locutionibus Const. « Decess. Nost. » n. VII et n. 2. « Facultates spec. Decem conf. » S. Paenitentiariae, probabiliter, dispensatio a ceteris ex delicto irregularitatibus impertiri potest ut dispensatus Ordines licite suscipere valeat; *c*) in impedimentum consanguinitatis facultas est tantum ad matrimonium *simpliciter* vel *sanatione in radice* convalidandum, in impedimentum criminis tum ad matrimonium contrahendum tum ad *simpliciter* convalidandum quo in casu privata renovationis consensus est secundum can. 1135 iniungenda.

B) Confessariis ad annum adprobatis.

1. Facultas absolvendi a quibusvis peccatis et censuris *occultis etam speciali modo* a iure Sanctae Sedi aut Ordinario reservatis.

2. Commutandi ex iusta causa in alia opera omnia et singula vota *privata* Apostolicae Sedi non reservata.

3. Dispensandi ab irregularitate a qua paenitentiarii dispensant.

C) Confessariis peregrinis.

1. Facultas absolvendi a peccatis et censuris reservatis sicut confessarii ad annum.

2. Commutandi vota Sedi Apostolicae non reservata sicut confessarii ad annum.

D) Decem confessariis peregrinis selectis.

1. Facultas absolvendi a peccatis et censuris etiam *speciali modo* Sanctae Sedi aut Ordinario a iure reservatis sive *occultae* sint sive *publicae* in locis ubi paenitens commoratur etiam post sententiam declaratoriam vel postquam ad forum iudiciale fuerint deductae.

2. Facultas, quoad vota, similis *paenitentiariis* concessae.

3. Facultas quoad irregularitates pariter *paenitentiariorum* similis.

4. Eadem facultas quoad impedimenta quae in *paenitentiariis*.

Animadvertendum tamen: *a*) absolutio censurae ad iudicem fori externi deductae — quae non est concedenda nisi paenitens paratus sit quodvis mandatum demisse accipere, et scandalum reparare non suffragatur in foro externo; *b*) ab irregularitatibus non aliter dispensare queunt quam ad ordines sacros susceptos exercendos; *c*) ab impedimento consanguinitatis, ut matrimonium simpliciter tantum convalidetur, ab impedimento criminis sive ad contrahendum sive contractum simplici convalidatione convalidandum.

E) Confessariis extra Urbem.

Pro confessione tantum ad lucrandum Iubilaeum instituta;

1. Facultates quas alio titulo concessas habuerint intactae retinentur.

2. Facultas absolvendi a quibusvis peccatis et censuris sive *occultis* sive *publicis* — excepto casu haeresis formalis et externae — a iure tum Romano Pontifici tum Ordinario etiam *speciali modo* reservatis.

3. Facultas dispensandi a) *moniales*, a votis privatis quibuslibet post professionem solemnem emissis, b) *sorores*, *oblatas*, *tertiarias* regulares, *puellas* et *mulieres* communibus domibus vitam degentes a quibuscumque votis privatis Sanctae Sedi non reservatis.

Eiusmodi confessarii animadvertant sibi licere « Monita » de usu facultatum confessarii per Annum Sanctum tributarum eatenus uti quatenus ipsis applicari possint.

Exceptiones et normae in usu facultatum

A) Universim.

Quicumque iis donati sint eas ne exerceant nisi summa prudentia — omnes utique patienti animo caritatisque pleno excipientes — ut finis, quem sibi Mater Ecclesia in Iubilaeo indicendo proposuit salutares et quam uberrimos fructus assequatur.

B) Quoad censuras et peccata reservata.

Nemini confessariorum privilegiatorum facta est facultas valide absolvendi a censuris, personaliter Romano Pontifici et a speciaissimo modo Sanctae Sedi reservatis.

Pariter, eorum nemo, *excepto mortis periculo,* valide absolvere sacerdotem potest qui in censura incurrit contenta in can. 2388 et qui ante confessionem qualibet de causa re ipsa compartem non reliquit. Const. enim « Decess Nostr » ratas facit declarationes S. Paen. d. 18 Aprilis 1936 et d. 1 Maii 1937 hac de re datas.

Rursus, probabiliter saltem, nullus confessarius privilegiatus valide absolveret praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione praeditos superioresque maiores religionum exemptarum qui in excommunicatione speciali modo Sanctae Sedi reservatam *publice* inciderint.

Const. « Decessorum Nostr » II dicitur: « ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254 » ... id est nisi in casibus urgentioribus quod certo videtur (cf. can. 38) facultatem etiam a publicis censuris reservatis generalem quibusdam privilegiatis confessariis datam ad casus urgentiores restringere, seu quod in idem recidit, demere.

Praterea, Decem confessarii peregrini quorum facultates, si forum praetermittas et censurae spcialissimo modo reservatae excipiantur, tam amplae sunt quam Paenitentia-

riorum, ab hac censura valide absolvere nequeunt. En rationes propter quas puto confessarios ab hac censura publica valide non posse vi facultatarum extraordinariarum absolvere.

Ex adverso: tum ipsa natura rei tum quod in « Monita » de usu facultatum clare apparet normas exceptionesque — quas sumus aggressuri — nullam iurisdictionis avocationem concludere, credimus, eas cum de casibus mox dicendis agitur ita requiri, ut qui eas transiliens absolvat, illicite semper, invalide autem tunc tantum agat cum normarum neglectio vel oppositio, vero dispositionum in paenitente necessariarum defectui aequivaleant.

His positis, confessarii privilegiati - ad quos spectet - potissimum Paenitentiarii eisque aequiparati et Decem confessarii peregrini — NE ABSOLVANT.

1. *Haereticos* vel *schismaticos* qui fuerint publice *dogmatizantes*, a censura speciali modo S.S. reservata (can. 2355, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum ut pars est, iam reparaverint, aut promiserint sese efficaciter reparaturos. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto vel validitate baptismi in secta collati, ante absolutionem, ad Vicariatum Urbis mittantur. *Eos* — communistas scilicet — quibus ad normam Decreti S. Officii d. 1 Iulii 1949 de Communismo editi, sacramenta deneganda sunt nisi eodem modo ac de haereticis dictum est serio resipuerint.

2. Eos qui nomen dederint *sectis vetitis, massonicis* aliisve id genus a censura simpliciter S. S. reservata (can. 2355), nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint ad can. 2236 & 2 denuntiaverint; manu scripta et signa quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent absolventi tradiderint aut

quam primum se ea tradituros vel destructūros serio promiserint, imposita pro modo culparum gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

3. Eos qui *bona* vel *iura ecclesiastica* sine venia *acquisiverint*, nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum a competente auctoritate postulata, aut promissione sincere facta eamdem postulandi nisi agatur de locis, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

4. Eos qui in *occultas censuras ob partem laesam*, antequam parti laesae, etiam scandalum reparando, damnumque sarciendo, satisfecerint, aut saltem si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possint, vere graviterque promiserint se, cum primum licuerit, satisfacturos.

5. A *lectione librorum prohibitorum* eorum praesertim qui in can. 2318 & 1 sub excommunicatione speciali modo S. S. reservata poena vetantur, nisi libros, quos penes se retinent Ordinario aut confessario tradiderint, aut se eos quam primum tradituros vel destructuros serio promiserint.

6. Ab *excomunicatione etiamsi occulta* S. S. simpliciter reservata *can.* 2342, quin prohibeant sub poena reincidentiae, quominus paenitens in posterum accedat ad religiosam domum illam eiusque ecclesiam.

7. Religiosos, *apostatas a religione*, ab excomunicatione secundum can. 2385 Superiori maiori aut Ordinario loci in quo commorantur reservata, quamdiu extra religionem permanserint; attamen si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exequendum tempore, in foro interno absolvant ea conditione ut in censuram recidant si itra praefinitum tempus ad religionem non redierint. Moneatur etiam se quamdiu extra religiois domum commorentur, ab actibus ecclesiasticis excludi, privilegiisque omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque

obnoxios esse etiam postquam redierint aliis poenis in can. 2385 statutis.

Religiosos fugitivos etiamsi in excommunicationem ex Constitutionibus suae religionis inciderint absolvere, rite dispositos, in foro interno poterunt, imposita obligatione ad religionem suam quam primum redeundi eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est. Praeterea si sint in sacris absolvantur, ea lege, ut suspensionem can. 2386, quae poena est vindicativa, observent.

8. Aliqua *censura nominatim affectos vel ut tales publice renuntiatos* — post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, — qui in foro interno contumaciam sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, nisi remoto scandalo, interim ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

9. *Peccatum ratione sui* can. 894 *reservatum*, nisi, paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia.

C. Quoad vota

1. Privilegiatorum confessariorum nemo votum castitatis dispensare valet eorum qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiam si ad statum laicalem redacti sint.

2. Pariter, ut iustitia postulat, dispensare aut commutare vota non possunt cum praeiudicio tertii, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit.

3. Votum non peccandi aliave poenalia vota confessariis commutare non licet nisi in opus quod non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

M. Fabregas S. I.

44 - Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum

INSTRUCTIO

AD LOCORUM ORDINARIOS PRO POSTULANDIS APOSTOLICIS INDULTIS: I) ORATORII DOMESTICI CUM SUIS EXTENSIONIBUS; II) ALTARIS PORTATILIS; III) LITANDI MISSAM SINE MINISTRO ET IV) ASSERVANDAE SS.MAE EUCHARISTIAE IN PRIVATIS SACELLIS.

(*A.A.S.*, XXXXI [3 oct. 1949] p. 493)

1. Quam plurimum convenire sanctitati incruenti novae Legis Sacrificii honestatem ac decorem loci in quo litatur, impensa testatur cura in eodem deligendo indesinenter adhibita a catholica Ecclesia. Equidem constat tribus prioribus nostri aevi saeculis, saevientibus persecutionibus, sacra Mysteria etiam in privatis aedibus celebrari: et quamvis etiam post adeptam libertatem et christianas basilicas primitus aedificatas non infrequenter, suadente necessitate Missa litari pergeretur extra ecclesias, temporum decursu tamen eius celebrationi adsignata fuerunt, tamquam nativus locus, ecclesiae aut publica oratoria per consecrationem aut benedictionem a profano usu subducta et uni divino cultui reservata.

Quae vero altera disciplina in Codicis I. C. canonibus 820-823; 1188-1196 recepta est.

2. Ea igitur constabilita, indulta ab Apostolica Sede temporum tractu concessa Missam celebrandi *in privatis sacellis*, aut *super altare portatile* cum facultate satisfaciendi praecepto de audiendo Sacro, habenda sunt quasi exceptiones praefatae legis, iustis quidem de causis invectae, artaeque subsunt interpretationi.

3. Pari disciplina Ecclesia et *asservationem Ss.mae Eucharistiae* tutata est. Licet enim primis eius temporibus et etiam deinceps, pace instaurata, Eadem in privatis domibus detineretur inque itineribus gestaretur pro fidelium

commoditate, saeculorum processu et Ipsam in ecclesiis aut in publicis oratoriis asservari exclusive statutum est. De speciali privilegio tantum, in favorem quorumdam spectatorum fidelium ob specialissima comparata merita erga Ecclesiam, Apostolica Sedes coepit tractu temporis indulgere ut Ss. Species etiam in privatis eorum sacellis asservarentur, opportunis praestitutis conditionibus ac normis Earum sanctitati accommodatis: quod pariter in Codice I. C. cautum est (cann. 1265-1275).

4. Ex antiquo more plurium saeculorum progressu invecto receptum est ut Missae, etiam privatim celebrandae, *adsistat minister aliquis*, qui sacerdoti litaturo ad altare deserviat atque respondeat (cfr. can. 813 C. I. C.).

Extraordinariis dumtaxat quibusdam casibus exceptis (uti infra videbitur III n. 2), ut sacerdos absque ministro inserviente Missam litare valeat, facultate apostolica indiget. Porro unicus iudex de idoneitate causae, quae allegatur ad illam impetrandam, est Apostolica Sedes, quaeque proinde est adeunda expositis adiunctis uniuscuiusque casus propriis.

5. Porro in exposcendis praefatis omnibus facultatibus iisdemque exercendis excessus atque abusus non leves aliquando irrepsisse conspectum est. Huic igitur S. Congregationi, cui universa disciplina in iisdem indultis moderandis est concredita (can. 249), visum est ad diffiicultates et incommoda removenda, et in posterum praecavenda (de quibus infra I n. 4), praefatorum indultorum integram disciplinam ad trutinam expresse revocare remediaque suppeditare idonea quae infra singillatim recensentur, ut omnia recto ordine componantur.

Ad hoc sane opus explendum efficienter etiam impulerunt Litterae Encyclicae *Mediator Dei*, Pii Pp. XII, fel. regn., diei XX m. novembris MCMXXXXVII, de sacra Liturgia [1], quae « *christianae religionis caput ac veluti centrum*

---

[1] *A. A. S.*, a. XXXIX, p. 521 seq.

Sanctissimae Eucharistiae Mysterium »[2] cultu debito congruaque religione esse colendum edocent, naviter ad observantiam revocatis liturgicis canonicisque praescriptionibus.

I. - De implorando indulto privati oratorii eiusque extensionum.

1. Iure Codicis I. C., uti diximus, locus proprius celebrationis Missae est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum. Demptis vero privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can. 1190, ut in domesticis oratoriis divinum Sacrificium litari atque ab adstantibus praeceptum de audiendo Sacro adimpleri queat, privilegio aut indulto opus est, quod de Apostolicae Sedis gratia dumtaxat tribuitur. Casus tantum aliquis extraordinarius excipitur, quo *per modum actus*, iusta tamen ac rationabili de causa, loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam dare potest celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo (cfr. cann. 822, 1249)[3].

2. Ante Concilium Tridentinum Episcopi indulgebant Missae celebrationem in privatis oratoriis in commodum tum clericorum tum laicorum: eademque facultate pollebant pro suis subditis nonnulli ordines regulares. Ast, quum huius iuris exercitium nimiam indultorum frequentiam induxisset gravibusque idcirco abusibus scateret, eadem sacrosancta Synodus (sess. XXII, *de observandis et evitandis in celebratione Missae*) Episcopis et regularibus ordinibus hanc facultatem ademit, paucis admodum exceptis casibus, illamque uni Romano Pontifici reservavit.

Sed nec propterea penitus praepeditum fuit ne reviviscerent abolita incommoda, quae praesertim ex immodica

[2] Ibid., II, p. 547.

[3] Haec tamen Ordinarii facultas restrictive est interpretanda, uti reposuit Pont Commissio Codicis die 16 oct. 1919 (*A. A. S.*, a. XI, p. 478 ad 12).

istius privilegii in laicorum bonum indulgentia oriri consueverant,[4] si Benedictus XIV, qui a Secretis fuerat Sacrae Congr. Concilii, quae tunc hanc disciplinam moderabatur, scribere non dubitaverit: « *dici vix potest quantum curae ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem* (*iuris*) *moderamine* ».[5]

3. Hinc plurimae prodiere huius indulti *formulae* cum temporum adiunctis congruentes, quibus aptius consuleretur debito divinorum Mysteriorum decori; *cautiones* praeceptae sunt, tum quae ad *loci* erigendo sacello destinati *decentiam honestatemque* attinerent, tum quae ad *causas constabiliendas* unde Romanus Pontifex ad indulgendum moveretur, tum ad *tempus* definiendum ad quod indultum foret valiturum; tum *ad ceteras conditiones*, quibus congruenter privati sacelli disciplina contineretur; cavendo praecipue ne ex nimia indulgentia huius indulti ob sacerdotum inopiam detrimentum pateretur publicum fidelium spirituale bonum quod ad satisfactionem praecepti de audiendo Sacro pertinet.

4. Temporibus etiam nostris incommoda non pauca nec levia passim irrepserunt in nonnullas nationes ex nimis adaucto privatorum sacellorum numero et ex neglegentia conditionum indultis apostolicis adiectarum, quae latam stravere viam et aliis intolerabilibus abusibus.

Abusus huiusmodi, *ad privata laicorum oratoria quod attinet*, procedere solent:

a) *ex ingenti eorumdem numero*, qui alicubi, ob aemulationem quam inter fideles indulti concessio excitat, ad ulteriora progredi et ultra modum dilabi minitatur;

b) *ex nimia facilitate* tale indultum assequendi nostris diebus ob multiplicatas enixas preces fidelium a locorum Ordinariis passim incunctanter susceptas et commendatas;

---

[4] Cfr. Benedictus XIV, ep. encycl. *Magno cum*, 2 iun. 1751 (*Cod. Iur. Can. Fontes*, vol. II, p. 318 seq.).

[5] Ibid., § 12.

c) *ex sacerdotum carentia* pro Missa litanda in ecclesiis publicisque oratoriis diebus dominicis et festis de praecepto cum spirituali fidelium detrimento, si sacerdotes distrahantur ad Missam celebrandam in privatis oratoriis;

d) *ex loco privato sacello adsignato* haud semel a canonicis et liturgicis legibus discrepante, aptis supellectilibus ac debito nitore honestateque destituto dum haud semel cetera privatae domus cubicula luxu ac magnificentia enitent;

e) *ex abnormi numero* divinorum officiorum et sacrarum functionum, quae ibi peragi praesumuntur, adeo ut quasi evanescat discrimen inter ecclesias publicave oratoria et domestica sacella;

f) *ex nimio ambitu istorum indultorum*, quae saepe saepius complectuntur, praeter indultariorum personas, eorum natos, consanguineos et affines absque limite, famulos, commensales et hospites, aliquando vero omnes adstantes, cum extensione ad omnes anni dies, nullo excepto, et ad alias quoque facultates;

g) *ex diuturnitate eiusdem indulti*, quod plerumque imploratur pro tota indultarii eisque filiorum vita, unde quandoque accidit ut privilegium transeat ad personas, quae illo minus dignae aut prorsus indignae reperiantur.

5. Ad ista igitur incommoda compescenda, et ad praecavendum ne in posterum subolescant, Sacrae huic Congregationi infra recensitas *normas* adamussim servandas locorum Ordinariis impertiri placuit, quae tum *postulationes* indulti oratorii domestici, tum ipsius indulti *congruum exercitium moderentur, praesertim quod ad fideles laicos attinet.*

6. Locorum Episcopi in mentem fidelium exposcentium indultum privati sacelli revocent publicam ecclesiam naturalem seu certum esse locum divinorum officiorum, ad quam idcirco necesse est conveniat catholica plebs ad

cultum publicum socialem Deo impedendum praecipue adstando Missae celebrationi.

Peculiaria tamen occurrere possunt adiuncta, congrueniibus suffulta causis (cfr. infra n. 8), in quibus prudenter coniici potest valde expedire ut fideles nonnulli, *qui ceterum morum probitate apertaque religionis professione excellent,* in suum spirituale solatium indulto privati sacelli decorentur, licet hi ab audiendo Sacro diebus dominicis festisque de praecepto sint legitime dispensati: v. g. ob infirmitatem aut distantiam ab ecclesia. Tunc iidem Ordinarii non vetantur, *audito, quatenus opportunum censuerint, parocho loci*, istorum preces suscipere commendatasque ad Apostolicam mittere Sedem.

Commendatio personaliter fieri debet ab Episcopo aut, sede vacante, a Praelato eius successore in munere.

Sedulo quidem curandum est ut fideles, qui auctoritate, opibus reique publicae muneribus ceteros praestant, si domestico sacello distingui mereantur, sollemnioribus saltem festis diebus de praecepto, in bonum plebis exemplum, ecclesias obeant.

Maiori indulgentia uti licebit *cum sacerdotibus adversa vel non satis firma valetudine ob morbum vel senium laborantibus*, indultum postulaturis Missam litandi domi.

7. Antequam tamen Episcopus preces suscipiat, *in primis* inspicere debet utrum *presbyter* praesto sit, qui Missam in privato oratorio litet diebus dominicis et festis de praecepto absque detrimento publici fidelium boni.

Ad rem scite animadvertant vetitum esse sacerdoti in praefato oratorio Sacrum celebrare *si alterum alibi vel iam litaverit vel litaturus sit;* et si in loco (pago vel urbe), ubi erectum sit privatum sacellum, parochus, et si plures parochi sint, eorum saltem unus, aliusve sacerdos eodem loco commorans memoratis diebus Missam iterare debeat in publicum fidelium bonum, presbyter in domestico sacello litaturus aliunde acciri debet.

Pariter oratoria domestica iam canonice erecta facultate Missam iterandi praedita ob indultum ad tempus impetratum, hoc exspirato, difficiliorem invenient hanc S. Congregationem in eius renovatione.

8. Dein Episcopus attente perpendere debet *causas*, quae ad indultum postulandum afferuntur.

a) Earum *princeps* habenda est *vere singularis benemerentia oratoris erga Ecclesiam vel religionem*, aeque rite describatur in precibus.. Puta, si praedii aut aedium conspicuam fecerit donationem; si ecclesiam, seminarium, catholicam scholam aut aliquod pium opus pro infirmis, senibus, pueris etc. suis sumptibus aedificaverit; si ecclesiasticum beneficium aut fundaverit aut dotaverit et similia; si specialissima et insignia servitia in bonum Ecclesiae aut Apostolicae Sedis impenderit, uti, si quis publicus magistratus legibus condendis in religionis profectum praecipuus auctor exstiterit.

b) Aliae causae, quae passim adduci solent, v. g. *corporalis infirmitas, distantia ab ecclesia ideoque grave incommodum ipsam pedibus adeundi*, praesertim *ruri*, et similia, ut habiles censeantur huic indulto impetrando, plerumque perficiendae erunt aliquo praecellenti beneficio aut liberalitate in quoddam pium opus ab Ordinario designandum iuxta oratorum vires.

c) Tamquam inepta ad impetrandum reiicienda est *unica causa*, iuxta quam oratorum maiores eodem indulto fruebantur, aut quia oratores domum aut villam emerunt oratorio, quandoque etiam affabre confecto, cum praescriptis supellectilibus, praeditam; aut quia decora christianae vitae ratione commendantur.

9. Mitius agere poterunt Episcopi si privatum oratorium postuletur *ruri* erigendum, locis ab ecclesiis longe prorsus dissitis, praesertim si illud cedere conspiciatur praeter quam in oratorum etiam in bonum spirituale colonorum fundis addictorum atque fidelium vicinias incolentium, qui secus ob difficultatem adeundi ecclesiam pro

adimplendo praecepto, Missae et catecheticae praedicationi quominus intersint morali impossibilitate prohiberentur.

At priusquam oratorum preces suscipiant pro privato sacello ruri constituendo, instent Episcopi ut oratores, non privatum, bene quidem *publicum* ad normam iuris erigant *oratorium* in suis praediis vel possessionibus, adeo ut illud ingrediendi divinisque officiis ibi assistendi omnibus fiat facultas (can. 1191).

10. Sese abstineant Episcopi *a nimiis extensionibus postulandis;* satius esto uti indultarii renuntientur dumtaxat pater et materfamilias, minime vero istorum filii, pro quibus sufficiat facultas satisfaciendi praecepto festivo in eodem oratorio.

Facultas ista coërceatur ad *consanguineos et affines* intra lineam et gradum quibus consanguinitas et affinitas constituunt impedimentum matrimonium dirimens (cann. 1076 §§ 1-2; 1077 § 1), *cohabitantes,* nec sine rationabili validaque causa rogetur ut protendatur etiam ad non cohabitantes. Quoad vero *familiares* (famulos), peti potest, sive oratorium sit ruri situm sive non, extensio ad omnes domui addictos. Praesertim se abstineant a petenda extensione *ad omnes adstantes;* quae quidem debet esse omnino extraordinaria et gravissima de causa concedenda. Cavendum quidem erit ne oratorium privatum speciem prae se ferat ecclesiae.

11. *Ceteris exclusis divinis officiis sacrisque functionibus,* in privato sacello ad normam can. 1195 § 1, *unica Missa eaque lecta* celebrari potest, in qua S. Communio administrari licet, nisi aliud in indulto expresse caveatur. Tolerabilius erit ut aliqua alia functio singulis vicibus et per modum actus iusta de causa tribuenda (nec statutis diebus recurrentibus renovanda), parce et prudenter concedatur ab Ordinariis (cann. 776 § 1 n. 2; 908-910; 1109 § 2), quam ut impertiatur ex indulto Apostolicae Sedis.

12. Caute pariter procedant oportet Ordinarii *in postu-*

landis extensionibus ad sollemniores dies, cautissime ad sollemnissimos, Paschate semper excepto.[6]

13. Si prudenti Episcopi iudicio sacerdos saecularis vel religiosus celebrans in provatio oratorio, diebus dominicis et festis de praecepto *necessarius* sit ad litandum in ecclesia aut publico vel semi-publico oratorio, ne notabilis fidelium pars Missa privetur, Episcopus illi *interdicere debet Missam* in privato sacello, quin quisquis contra huiusmodi vetitum aliquid excipere queat (cfr. n. 7). Expedit ut Ordinarius hunc necessitudinis casum indultario significet dum indultum exsequitur ad quaslibet querelas dein praecavendas ex propterea denegata Missa in eius oratorio.

14. Unius Episcopi est designare Missae in domestico oratorio celebrandae sacerdotem sive saecularem, licet alienae dioecesis sit a proprio tamen Ordinario adprobatus, sive religiosum cum regulari licentia sui superioris; sacerdotem vero alterutrius cleri, ut supra adprobatum, ab indultario praesentatum ne reiiciat, nisi forte non idoneum pro sua prudentia aestimaverit: Episcopi autem iudicio indultarius, qualibet dempta recursus facultate, acquiescere debet.

15. Quoad *locum* in quo erigi debet oratorium, Ordinarius clausulas apostolico indulto adiectas adamussim exsecutioni demandet: quolibet autem casu, per se vel per aliam ecclesiasticam personam locum invisere debet, antequam licentiam impertiat ibi celebrandi Sacrum, *si de-*

---

[6] Iure, quo nunc regimur, *sollemniores* habendi sunt:
Dies Nativitatis D. N. C.; Epiphaniae; Paschatis Resurrectionis; Ascensionis; Pentecostes; S. Ioseph (19 m. martii); Assumptionis B. M. V. in caelum; Immaculatae Conceptionis B. M. V.; Ss. Apostolorum Petri et Pauli; Omnium Sanctorum.
Pro Gallia quatuor sollemniores recensentur:
Dies Nativitatis D. N. I. C.; Paschatis Resurrectionis; Pentecostes; Assumptionis B. M. V. in caelum.
Sollemnissimi habendi sunt:
Dies Nativitatis D.N.I.C.; Paschatis Resurrectionis; Assumptionis B.M.V. in caelum.

cens atque honestus comparatur, prout tantum Mysterium decet, idoneisque supellectilibus instructus sit iuxta liturgicas praescriptiones.

Probe sciant oportet Ordinarii vetitum esse usum *armarii* clausum continentis altare, quod pro Missae celebratione collocatur in quodam conclavi, tablino aut bibliotheca etc., in locis nempe, quae inserviunt promiscue usibus domesticis et profanis. Talis vero usus non est e contra improbandus, ceteris concurrentibus quod attinet ad decentiam et honestatem loci, in quo dictum armarium collocatur, si agitur *de Missa domi litanda* pro sacerdotibus senio confectis aut morbo laborantibus et *de indulto altaris portatilis*, de quo infra (II n. 9).

16. Quod ad *tempus attinet*, ad quod valere debet indultum oratorii, pro natura causae quae allegatur, huius S. Congregationis erit illud praestituere.

17. Locorum Ordinarii adhortari ne omittant privati sacelli indultarios ut in oratorium singulis diebus convocare satagant integram familiam, cum famulis forte eidem addictis, saltem horis vespertinis tertiam Ss. Rosarii partem in honorem B. M. V. recitaturam aliasque pias preces serotinas ad Deum fusuram: id enim excellenti exemplo foret omnibus familiae membris plurimumque conferet ad genuinam erga Deum pietatem christianaeque vitae institutionem fovendam ita ut parentum genuina fides spectatique mores in filios ac nepotes integre propagentur indesinenterque perseverent.

18. Iidem Ordinarii completum *elenchum* scripto conficiant, asservatumque sedulo teneant in Curiae archivo cum necessariis additamentis ac deductionibus, privatorum oratoriorum, quae in dioecesi erecta sint, sibi apprime comparatis exemplaribus eorumdem erectionis titulorum. Si qua autem reperiant oratoria, quibus non suffragetur canonicus titulus, tamquam contra ius invecta supprimant necesse est, revocentque licentiam ibi celebrandi Sacrum: re interea ad hanc S. Congregationem delata.

Quae vero fuerint legitime erecta, occasione visitationis dioecesis, rite perlustrent invisuri num omnia supellectilia liturgicis legibus respondeant et, si quid inhonesti atque indecori deprehendant quod sanctitati ac reverentiae divinorum Mysteriorum officiat, illico amovere studeant. Eo magis vero est inquirendum si incommoda atque abusus irrepserint eaque prorsus eradicanda curent, suspensa interea in utroque casu facultate inibi litandi, non amplius concedenda nisi postquam eadem fuerint amota, cauto dein ne ipsa in posterum reviviscant: re interea ad hanc S. Congregationem denuntiata. Recursus forte interpositus adversus hoc Ordinarii statutum ad Apostolicam Sedem est tantum in devolutivo. Ius vero sibi competens invisendi haec oratoria, quoties necessarium pro sua prudentia duxerit, Ordinarius alte penes indultarios vindicet.

19. Sub fine anni 1950 Ordinarii mittant ad hanc S. Congregationem integrum *elenchum* privatorum oratorium in dioecesi exsistentium, recolitis eorundem canonicis erectionis titulis.

II - De postulando privilegio altaris portatilis

1. Privati sacelli indulto affine est *altaris portatilis*, seu *arae viaticae*, vel *gestatoriae* aut *itinerariae* privilegium, eoque latius patet, quippe quod « *facultatem secumferat ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari* » (can. 822 § 3): proinde Missae celebratio nullo circumscribitur loco exclusive divino cultui destinato, qui nec Ordinarii indiget visitatione et approbatione.

Attenta igitur huius favoris maiori amplitudine, eo potiora pertimescenda sunt pericula abusum iacturaeque decoris augustissimo Missae sacrificio debiti, quod duplici ex capite accidere potest: *ex parte loci*, si incongruens tanto Mysterio deligatur (v. g. cubiculum); *ex parte privilegiati*, si tali indulto abutetur, immodice ipsius exercitio fruendo.

Profecto omni ope est adnitendum ut praefata arceantur pericula, et privilegium parce prudenterque concedatur, spectatis historicis vicissitudinibus privilegii ipsiusmet et praesertim rigore a Conc. Tridentino instaurato, quod et huius indulgendi facultate expoliavit Episcopos et quosdam regulares ordines qui ea fruebantur. Deinceps a primaeva severitate recedens, Apostolica Sedes privilegium dumtaxat tribuit, pro ipsorum decore ac necessitate, quibusdam Praesulibus, necnon locis missionum.[7]

2 Arae viaticae privilegii duplex recolitur fons a memorato canone 822 § 2 descriptus, scilicet *ius* et *indultum* Apostolicae Sedis.

Porro *iure* Codicis I. C. hoc privilegio potiuntur tantum S. R. E. Cardinales (can. 239 § 1 n. 7); Exc.mi Episcopi tum residentiales tum titulares (can. 349 § 1 n. 1); Vicarii ac Praefecti Apostolici (can. 294 § 1; 308); Abbates et Praelati *nullius* (can. 323 § 1) atquę Administratores Apostolici (can. 315).

Vi autem Const. *Ad incrementum,* Pii Pp. XI, f. r., diei 15 aug. 1934,[8] eodem privilegio fruuntur aliae valde numero circumscriptae personae ecclesiastica dignitate fulgentes, quae conspicua obeunt munera in Romana Curia, id est: Exc.mi Praelati qui in SS. RR. Congregationibus Assessoris vel Secretarii munere funguntur; Magister seu Praefectus Cubiculi Secreti Summi Pontificis; Secretarius Tribunalis Signaturae Apostolicae; Decanus S. R. Rotae; Substitutus Status; Rev.mi Protonotarii Apostolici de numero Participantium; Praelati Auditores S. R. Rotae; Clerici Reverendae Camerae Apostolicae; Praelati Votantes et Referendarii Signaturae Apostolicae.

Hi omnes gaudent praetera privilegio oratorii domestici ipsisque Sacrum quotidie ibi litare ius est, diebus

---

[7] Cfr. S. C. de Prop. Fide, 13 aug. 1669, *Collect.*, I, p. 60, n. 184; S. R. C., *Congr. Missionum Provinciae Lituaniae*, 11 iul. 1699 (*Coll. auth. decr.*, decr. 2032).

[8] *A. A. S.*, a. XXVI, 497-521.

tantum exceptis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur (can. 820). Fideles autem omnes qui ipsorum Missae assistunt, praecepto de Sacro audiendo rite planeque semper satisfaciunt.

Utroque casu, attentis personarum praestantia isto privilegio iure pollentium earumque numero sat exiguo, incommoda non praevidentur oritura ab istius temperato exercitio, quod ipsa earundem dignitas satis tutari videtur.

3. Longe uberior privilegii fons evadere potest *indultum* Apostolicae Sedis, nisi concessio congruis contineatur limitibus cautaque circumspectione valletur: peculiari proinde cura et ponderatione sese gerere debent Episcopi in postulando tanti ponderis indulto.

4. Porro haec S. Congregatio privilegium istud concedere solet, ob causam *verae necessitatis evidentisve utilitatis* atque in finem exclusivum aut potiorem religiosi cultus, *solis sacerdotibus,* quippe qui maiora perhibeant recti exercitii argumenta.

Praecipui casus, qui frequentius recurrunt, sacerdotes respiciunt animarum curam gerentes inter fideles dissitis locis commorantes, ubi ecclesiae vel desunt omnino vel longe distant, aut in regionibus haereticorum aut schismaticorum (diaspora). Primum accidere solet plerumque in amplissimis regionibus praesertim Asiae et Americae, quas fideles vari et passim diffusi incolunt, qui Sacro assistere nequeunt nisi litetur extra loca sacra et etiam sub dio: v. g. tempore messium.

Quandoque indulti necessitas postulatur ab aliqua sollemnitate religiosa aut etiam civili magno celebranda populi concursu, quem ecclesiae capere non valent.

Nec refugit Apostolica Sedes ab altari portatili indulgendo quando agitur de adulescentibus masculini sexus actionis catholicae, de alumnis ephebeorum, qui sub ductu et assistentia suorum capellanorum itinera per campos aut montes, locis sacris carentes, arripiunt huc illuc discurrentes animi relaxandi causa: quod quidem plurimum confert

ad eucharisticam pietatem in ipsis dudum servandam et provehendam.

Interdum id indulgetur quoque in eucharisticis conventibus, ut opportunitas perhibeatur sacerdotibus eosdem participantibus, ob ipsorum ingentem numerum, Missam litandi si ecclesiae ad rem sufficere nequeant.

5. In bonum *personale* solius sacerdotis privilegium istud confertur tantummodo *ratione infirmitatis*, si infirmitas talis sit ut necessario indultum huiusmodi postulare videatur. Quo casu peculiaribus cautelis illud subiicit Sacra haec Congregatio ne ansam abusibus vanaeque ostentationi privilegium praebeat, quae non ultima causa exstitit suppressionis tridentinae: haud exclusa revocatione privilegii, si quid minus recte factum compererit eadem S. Congregatio quoad eius exercitium; ad rem imposito onere Ordinariis vigilandi atque referendi de ipsius immodico usu.

6. Aegro quidem animadvertitur animo nostris temporibus, praesertim post ultimum confectum bellum, quodammodo serpere inter fideles valde periculosa ac detestabilis consuetudo celebrandi citra necessitatem divini cultus caeremonias ipsaque sacrosancta religionis Mysteria extra nativam sedem, quae est ecclesia aut locus eiusmodi fini consecratione aut benedictione destinatus. Eadem oppugnetur oportet totis viribus tamquam corruptela iuris, verumque conamen contra canonicas praescriptiones ad profanum usum convertendi augustissima Ecclesiae sacramenta venerandaque functiones et ritus.

Id pressius loci Ordinario recogitandum est cum ab ipso expostulant sacerdotes indultum altaris portatilis.

7. Locus in quo collocari debet altare portatile *congruus* et *decens* seu *opportunus* et *honestus* sit oportet, ne propter foeditatem et indecentiam gravis iniuria et irreverentia rependantur in divina Mysteria.

Locus congruus postulat securitatem et amplitudinem ita ut tute et commode et sine ullo periculo profanationis aut effusionis Ss. Specierum e calice Missa offerri possit;

locus decens respicit qualitatem loci, scilicet requirit ut Missa non celebretur in cubiculis in quibus aliquis dormire solet, neve alio loco tanti Sacrificii dignitati incongruenti.

Ad decentiam pertinet etiam locus immediatus nempe mensa super quam collocatur ara viatica: ne videlicet immunda sit neve profanis destinata usibus. Haec vero mensa talis debet esse longitudinis et latitudinis quae tuto valeat lapidem regere, missale sustinere et rectam decentemque celebrationem permittere.

8. Incommodorum non spernendus fomes procedit ex falsa huius indulti notione. Animadvertatur enim privilegium istud, quod ad celebrationem Missae attinet, stricte *personale* esse suffragarique dumtaxat personae privilegiati, nisi aliud ex tenore indulti expresse constet. Sacerdos igitur eodem gaudens, ipse solus valet super altare Missam offerre nec fas est alteri presbytero ibidem litare, nisi id aperte in indulto caveatur.

Ad alios praecavendos abusus Apostolica Sedes solet quasdam indulto adiicere clausulas et declarare utrum privilegii concessio valeat etiam pro satisfactione praecepti ex parte filelium Missae adstantium. At, si id expresse non caveatur in indulto, prae oculis habenda sunt quae Gattico docet (*De usu alt. port. opusculum*, cap. XV, n. 14): « quantum porro attinet ad alios (praeter indultarium aut indultarios) adstantes (Sacro, quod in altari portatili litatur) manifesto constat, *eos nullatenus ecclesiastico praecepto auditionis Missae satisfacere, nisi expresse ad illos privilegii communicatio extendatur* ».

Si tamen vi istius indulti Missa *sub dio* celebretur, ex statuto can. 1249, quilibet filelis eidem assistens, legi de audiendo Sacro satisfacit.

9. Hisce praemissis, in postulando huiusmodi privilegio, quae infra recensentur animadversiones prae oculis habeant necesse est locorum Episcopi:

a) Quoties privilegium istul postuletur a sacerdotibus *infirmitatis causa,* imprimis perpendat Episcopus

utrum propositae necessitati consuli possit *per indultum Missam litandi domi,* seu *loco honesto atque decenti,* semper tamen excluso cubiculo, in quo quis dormire solet, ac proinde in aliquo conclavi ordinarie pro usibus profanis adhibito, quod tamen in sua supellectili nihil praeseferat indecori aut inhonesti sanctitati Eucharistici Sacrificii repugnantis. Isto casu non improbatur usus *armarii* de quo sub I n. 15.

Tunc Episcopus abstineat ab implorando arae portatilis indulto, sed *facultatem,* prout supra, postulare poterit *litandi Missam domi loco honesto et decenti.*

Quod si necessitas celebrandi comperiatur pro pluribus locis extra propriam oratoris dioecesim, quae loca, puta. ipse petere cogatur, *ratione recuperandae valetudinis,* fas est facultatis istius extensionem ad plures dioeceses invocare.

b) Quolibet autem casu, sive sacerdos facultate polleat ex indulto Missam litandi domi loco honesto atque decenti, sive ex privilegio altaris portatilis, id semper erit apprime cavendum *ne ipse Missam celebret in cubiculo;* si Sacrum igitur celebrare valeat, illud peragat in aliqua alia honesta mansione domus decenter ornata.

c) Caute procedatur in suscipiendis precibus ad hoc proprie nuncupatum sane conspicuum privilegium *altaris portatilis* implorandum. Istud dumtaxat publico fidelium bono inservire debet: quare sedulo ipse Episcopus pro sua pastorali sollicitudine investiget num legitima in singulis casibus causa succurrat *veraie necessitatis* aut *evidentis utilitatis,* prout sub n. 4 declaratum est.

Nec minori cautela agere debet quoties gratia haec petatur in bonum privatum presbyterorum ob allatam *infirmitatis* rationem: severe tunc inquirat de exsistentia istius causae, deque eius gravitate atque natura, quae scilicet ea esse debet, ut necessario postulet concessionem huius indulti. Nec facile in ista investigatione peragenda acquiescat oratorum affirmationibus, sed etiam per peritum

medicum, ex officio quatenus opus sit deputandum, rei veritatem exploret.

Praeterea antequam preces suscipiat, certo sibi constare debet sacerdotes hoc privilegium imploraturos, sive in suum privatum ratione infirmitatis commodum sive in publicum fidelium bonum, temperate riteque privilegio tam singulari esse usuros et quodlibet incommodum ac irreverentiam erga divina Mysteria esse amoturos.

Haec adiuncta omnino accurate sunt describenda in precibus ad hanc S. Congregationem mittendis, cui ceterum ex Audientia Ss.mi reservatum semper manet iudicium de causarum idoneitate ad indulgendum.

Commendatio precum fieri debet personaliter ab ipso Episcopo aut Praelato eius successore in munere.

d) S. Congregatio indulto arae portatilis alterum clausulam adiicere solet: « *de consensu Ordinariorum* » aut « *praemonito loci Ordinario* » prout indultarius, qui varias peragrat dioeceses, facile aut difficulter Ordinarium loci potest adire pro sui privilegii legitimo exercitio.

Utraque clausula proinde onus vigilandi Ordinariis committit ad praecavendos abusus in privilegii usu. Si quod vero comperiant ab indultario admissum reverentiae divinis Mysteriis debitae repugnans, illico privilegii exercitium revocandi sciant se esse facultate praeditos, qualibet personarum acceptione posthabita. Si autem abusus huiusmodi extra dioecesim indultarii colligatur, huius loci Ordinarius interdicere debet privilegii exercitium in sua dioecesi et interea obligatione tenetur Ordinarium illius proprium de re edocendi, qui privilegii usum suspendet ac S. Congregationem adibit petens quid faciendum supersit in casu. Quilibet recursus indultarii habeatur tantum in devolutivo.

e) Si vero contingat ut post indulti exspirationem illud denuo prorogari oporteat, iisdem occurrentibus pristinae concessionis causis aut alia gravi exstante causa, Epi-

scopi referre tenentur quanam ratione indultarius praehabito privilegio fruitus sit.

f) Demum curandum est ut debito cum honere et reverentia teneatur altare viaticum, quoniam id postulat petrae consecratio. Hinc diligenter in itineribus est transferendum cauteque custodiendum: atque in munda capsula collocari expedit, ita ut ab omnibus profanationum periculis immune sit. Nihil porro dicendum est de necessitate aliarum rerum, quae iuxta sacros ritus in omni Sacrificii oblatione sunt necessariae, vestes videlicet, vasaque sacra, tres mappulae mundae et alia omnia a quibus per concessionem usus arae viaticae nemo dispensatur.[9]

III - De postulanda facultate celebrandi Missam sine ministro.

1. « ... *Ob huius tam augusti Mysterii dignitatem, volumus atque urgemus — quod ceteroquin semper praecepit Mater Ecclesia — ut nullus sacerdos ad altare accedat, nisi adsit minister, qui ei inserviat eique respondeat, ad normam canonis* DCCCXIII ».[10] Re enim vera canone 813 C. I. C. prohibetur sacerdos Missam litare sine ministro, qui eidem inserviat et respondeat.

Minister designat fidelium conventum iuxta illud Divi Thomae (Sum. Theol. p. III q. 83 a. 5 ad 12) « (minister) *gerit personam totius populi catholici* »: id quoque evincitur ab antiquissimo Ecclesiae more iuxta quem presibyter sacra Mysteria gerebat cum assistentia diaconorum et aliorum ministrorum et omnis populus respondebat. Missa celebrata a solo presbytero cum unico ministrante est posterioris temporis. Id patet etiam ab universali et concordi doctrina liturgistarum et moralistarum.

Ceterum nonnullae Missae partes (orationes, « confiteor », « orate fratres » cum responsione « suscipiat » ac

---

9 Cfr. Missale Rom., tit. *Rubricae generales missalis*, c. XX, *de praeparatione altaris, et ornamentorum eius.*

10 Ex Litt. Encycl. *Mediator Dei* (*A. A. S.*, loc. cit., p. 557).

versiculi non pauci etc.) numero plurali exprimuntur ad ostendendam praesentiam alicuius ministri sacerdoti assistentis. Praeterea maxime convenit ut sacerdos in celebratione habeat cooperationem seu suffragium unius deserviendis, qui ipsum adiuvet ad quosdam ritus explendos et casu repentinae corporis offensionis ei succurrat ac quid sit agendum provideat.

Consuetudo celebrandi Missam sine ministro, immo *nemine praesente*, ortum duxisse videtur in monasteriis.

2. Lex utendi ministro in Missa perpaucas tantummodo patitur exceptiones, quae ab AA. rei liturgicae et moralis peritis uno consilio reducuntur ad sequentes casus:

a) si viaticum ministrari debeat infirmo et minister desit;

b) si urgeat praeceptum audiendi Missam ut populus eidem satisfacere possit;

c) tempore pestilentiae, quando haud haud facile invenitur qui tale ministerium expleat et secus sacerdos debeat per notabile tempus se abstinere a celebrando;

d) si minister e loco abscedat tempore celebrationis, etiam citra consecrationem et offertorium: quo casu reverentia sancto Sacrificio debita prosecutionem exigit etiam illo absente.

Extra hos casus, pro quibus habetur unanimis auctorum consensus, huic legi derogatur dumtaxat per apostolicum indultum, praesertim in locis missionum.

3. Est tamen prae oculis habendum: inter carentiam ministri et usum alicuius minus idonei inservientis, alteram hypothesim praeferri debere, dummodo minister huiusmodi saltem capax sit explendi praecipuas caeremonias, uti porrigere ampullas, missale transferre, tintinnabulum agitare.[11]

4. Exceptis necessitatis casibus in n. 2 enumeratis, vi citati can. 813 requiritur praesentia ministri in Missae

[11] Cfr. Missale Rom., tit. *de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*, c. X, n. 1.

celebratione: rubrica missalis praefert, quantum fieri possit, clericum laico, qui est adhibendus si clericus desit, qui et ipse debet esse masculini sexus: omnes AA. unanimiter docent esse sub mortali prohibitum mulieribus, etiamsi moniales sint, ministrare *ad altare*.

Sapienter igitur Ecclesia prioribus temporibus statuerat esse adhibendum qua ministrum in Missa privata clericum prima tonsura insignitum (S. R. C., *Coll. auth. decr.*, decr. 113, ad VI); et solum temporum decursu, clericis pro tali servitio rarefactis, ex necessitate concessit ut laici adhiberentur praesertim pueri (ibi, decr. 3647, ad VII): qui usus hodie latissime patet.

Ad pueros quod attinet, hi debent sedulo institui ut idonei fiant administri huic pernobili muneri explendo.

5. Casu necessitatis, deficiente viro, clerico aut laico, rel. canon 813 *mulierem* admittit ad servitium s. Missae, sub conditione tamen ut « *ex longiquo respondeat, nec ullo pacto ad altare accedat* ». Id etiam valebat iure Decretalium,[12] ubi legitur « *prohibendum quoque est, ut nulla foemina ad altare praesumat accedere aut presbytero ministrare aut intra cancellos stare sive sedere* »: mulieris igitur ministerium ad hoc reducitur ut *celebranti respondeat*:[13] proinde oportet ut ante Missam omnia sacerdoti commode disponantur quae divino Sacrificio occurrere possint, uti solet fieri in cappellis monialium, cum desit minister.

Ut mulier adhibeatur loco ministri masculini sexus, iuxta relati canonis praescriptum requiritur *iusta causa*.

Indultis vero, quae conceduntur ab hac S. Congregatione, litandi sine ministro, clausula semper adiicitur cavendi nempe « *ut ad mentem can.* 813, *nedum pueri edoceantur de modo inserviendi s. Missae sed etiam fideles, ipsaeque mulieres addiscant quomodo possint Missae in-*

---

12 C. 1, *de cohabitatione clericorum et mulierum*, III, 2.
13 S. R. C., *Veronen.*, 27 aug. 1836, ad 8; *Alatrina*, 18 mart. 1899, ad VI; decr. 2745, ad VIII et 4015, ad VI

servire, legendo responsiones sacerdoti celebranti reddendas ».

Nuper vero Sanctitas Sua aliam clausulam indulto litandi Missam sine ministro inserendam praecepit, nempe « *dummodo aliquis fidelis Sacro assistat* », cui nullimode derogari praestat.

IV - De postulando indulto asservandi Ss,mam Eucharistiam in privatis sacellis.

1. Preces quae huic S. Congregationi ad huiusmodi indultum implorandum perhibentur, experientia teste, fere numero contendunt cum imploratione privati oratorii: haud raro utrumque indultum una simul petitur, aut statim post impetratum oratorium facultas exposcitur ibi asservandi Ss.mam Eucharistiam. Nec uni altervie recusationi acquiescunt oratores, sed instanter, et instantissime non semel, optatum suum consequi nituntur.

Porro ex una parte saepe sponsiones non suppeditantur pro debita reverentia, honore ac iugi adoratione Ss. Specierum; nec semper necessaria certitudo potest comparari de securitate custodiae Earumdem ad normam Instructionis huius S. Congregationis, die 26 maii 1938.[14]

Ex altera parte causae, quibus suffragari precibus contendunt postulatores, ut plurimum ineptae conspiciuntur huic praeclarissimo privilegio indulgendo. Eaedem fere semper reducuntur:

a) ad eucharisticam indultariorum pietatem explendam atque fovendam;

b) ad eorumdem aliqualem benemerentiam, generice plerumque dumtaxat enunciatam, erga Ecclesiam;

c) ad distantiam eorum domus habitationis ab ecclesia Ss.ma Eucharistia asservatur, ad quam interdum senio aut infirmitate detenti prohibentur accedere pro cotidia-

---

[14] *De SS.ma Eucharistia sedulo custodienda* (*A. A. S.*, a. XXX, p. 198 seq.).

na visitatione: et ad alias huiusmodi etiam minoris momenti.

2, Facultas Ss.mae Eucharistiae asservandae quandoque petitur pro oratoriis *ruri* (in castris) sitis, ab ecclesiis longe dissitis, ubi aut habitualiter moratur indultarii familia, aut per notabilem anni partem, v. g. aestivo aut autumnali tempore, rusticatur: ibi de more magna protenduntur camporum spatia cum stabili residentia colonorum fundis addictorum, quorum numerus aliquando conspicuus reperitur, quibus graviter aegrotantibus Ss.ma Eucharistia et pro viatico recipiendo solet inservire.

Longe tamen maior postulationum numerus huius indulti respicit asservationem Ss. Sacramenti in privatis sacellis, in urbe aut pago erectis, in privatum commodum indultariorum personarumque cum ipsis commorantium, quae quidem personae non raro ad numerum valde exiguum reducuntur.

3. Equidem priori casu Sacra haec Congregatio facilius ad indulgendum inducitur ceteris concurrentibus conditionibus et cautelis, tum quod ad securitatem custodiae et reverentiae Sacramento debitae, tum quod ad diuturnam adorationem attinet ex parte fidelium vicinias incolentium, ad rem cavendo in indulto ut per aliquot saltem diei horas oratorii fores pateant iisdem Ss.mam Eucharistiam visitare cupientibus.

Altero autem casu ad indulgendum difficiliorem se praebet, posthabitis et instantioribus precibus ab oratoribus porrectis. Abs re non erit in mentem revocare primarium ac primigenium finem asservandarum in ecclesiis Ss. Specierum extra Missam esse administrationem viatici; secundarios vero fines esse S. Communionem distribuendam extra Missam in ecclesiis atque adorationem D. N. I. C. sub iisdem speciebus delitescentis.

Asservatio igitur Ss.mae Eucharistiae in domesticis sacellis haud opportuna apparet:

a) ex defectu finis praecipui ac primigenii asservationis Ipsiusmet;

b) ex absentia necessitatis frequenter ibi diribendae S. Communionis extra Missam;

c) ex formidine profanationis, irreverentiae aut non satis frequentis adorationis.

4. Ut Ss.ma Eucharistia custodiri possit in privatis sacellis necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere non valet nec per modum actus licet iusta causa intercedat (can. 1265 § 2). Nemini licet Ss.mam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre (cit. can. § 3).

Ex antiqua constantique praxi Apostolica Sedes licentiam asservandi Ss.mam Eucharistiam in cappellis domesticis privatarum domorum non solet concedere « *nisi casibus extraordniariis, gravibus de causis, praevia commendatione Episcopi et additis opportunis cautelis* ».

Alte igitur insideat in mentibus Exc.morum Episcoporum residentialium *omnia quae infra recensentur simul concurrere debere* priusquam ad facultatem reservationis Ss.mae Eucharistiae postulandam inducantur.

Indultum huiusmodi conceditur solummodo:

a) *casibus revera extraordinariis*: qui vero casus, spectata vastitate plus minusve dioecesis, ad minimum sunt coarctandi;

b) *gravibus de causis*: agi enim debet de oratoribus undequaque eximiis, de Ecclesia et religione, sive ob personalia munera praestita aut collatum praecellens beneficium liberalitatemve in pios usus, optime meritis; qui ob apertam fidei professionem, honestatem vitae sive privatae sive publicae, subolisque catholicam institutionem in praeclarum exemplum aliorum fidelium vere emineant;

c) *si preces ab ipso Episcopo personaliter aut Praelato eius successore in munere commendentur.*

d) si in precibus singillatim exhibeantur sponsiones de securitate custodiae; frequenti adoratione ex parte indultarii eiusque familiarium aut etiam extraneorum fidelium; crebra renovatione Ss. Specierum iuxta rubricas; lampadis praesentia diu noctuque collucescentis in ora-

torio ante tabernaculum; atque observantia ceterarum praescriptionum liturgicarum quoad debita Ss.mae Eucharistiae decus et reverentiam (can. 1265 § 1).

5. Locorum Ordinariis onus incumbit per se vel per alium ecclesiasticum virum frequenter invisendi domesticum sacellum indulto Ss.mae Eucharistiae asservandae praeditum atque inspiciendi num omnes liturgicae et canonicae regulae atque speciales clausulae indulto ipsi adiectae adamussim serventur, et si quid deprehenderint quod aut securitati aut congruenti decori et reverentiae officiat, sciant se facultate pollere necessaria adhibendi remedia ad quoslibet abusus avellendos, non excepta ipsa privatione Ss.mae Eucharistiae cum oratorio, si rei gravitas postulet, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

Cum E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales Sacrae huic Congregationi praepositi praefatam Instructionem sedulo examini subiecissent in Plenariis Comitiis diei 26 m. Martii 1949, eandem probarunt et publici iuris fieri, si ita Sanctissimo placuerit, rescripserunt.

Ss.mus autem D. N. Pius Papa XII, in Audientia die 6 m. Septembris 1949 habita ab infrascripto Secretario S. C., instructionem, de qua supra, certa scientia et matura deliberatione approbare et Apostolica Auctoritate munire dignatus est, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus atque mandavit ut Instructio eadem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali* ederetur, ab omnibus sacerdotibus et fidelibus latini ritus sedulo et religiose servanda.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 1 mensis Octobris anno 1949

✠ B. Aloisi Masella, Ep. Praen., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

F. Bracci, *a Secretis.*

Adnotationes

Instructio S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 1 octobris 1949, attentis verbis quibus approbata fuit a Summo Pontifice, nempe « certa scientia et matura deliberatione ... contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus ... ab omnibus sacerdotibus et fidelibus latini ritus sedulo et religiose servanda », vim obligatoriam profecto habet. Praescripta in ea contenta adeo sunt clara et perspicua, ut explicatione aut declaratione indigere non videantur. Quare pauca censemus esse congruenter animadvertenda.

1. Directe et immediate Instructio respicit locorum Ordinarios (can. 198, § 2), ad quos sane dirigitur, non autem ceteros Ordinarios ,nec simplices presbyteros et fideles, quamvis hi quoque normis in ea traditis certe teneantur.

Eo ipso quod praefata Instructio habet vim obligandi, consideranda est veluti lex ideoque ad normam can. 9 obligare incipit post tres menses a promulgatione rite facta, scil. a die qui *Actorum Apostolicae Sedis* numero appositus est (3 octobris 1949).

Neque, uti patet, vim retroactivam habet ex iuris generali principio (can. 10).

2. Quatuor capita complectitur Instructio. Primum respicit indultum oratorii domestici; alterum, indultum altaris portatilis; tertium, indultum litandi Missam sine Ministro; quartum, indultum asservandi Eucharistiam in sacellis privatis.

3. Peropportunae et maxime commendandae videntur normae, quae indultum oratorii domestici seu privati concernunt, utpote quae decori cultus divini consulunt per abusuum amotionem, ex una parte, simulque bono animarum et fidelium salute, ex alia parte, apte prospiciunt. Om-

nes quippe norunt locum proprium divinis Mysteriis obeundis destinatum, esse aedem sacram vel consecratam vel saltem peculiari ritu benedictam. At, temporum decursu, inter alios abusus penes nonnullas nationes, praesertim in Italia meridionali, Hispania, Lusitania, America Latina etc., hic quoque invaluit, nimirum ut fere omnes familiae nobilitate aut divitiis praestantes suum haberent sacellum privatum pro Missae celebratione diebus dominicis ceterisque festis. Exinde sponte manifesteque consequebatur, non divini cultus sanctitati ac reverentiae consuli et spirituali fidelium utilitati sed potius privatum personae aut familiae honorem humana ratione spectatum commodumque considerari.

4. Pro obtinendo oratorio domestico requiritur causa iusta et gravis. Variae causae ab Instructione recensentur, quae tamen non sunt singulae eiusdem momenti ac ponderis. scil. « vere singularis benemerentia oratoris erga Ecclesiam vel religionem », corporalis infirmitas, distantia ab Ecclesia ideoque grave incommodum ipsam pedibus adeundi, et similia. Procul dubio istae causae non sunt taxative et exclusive praefinitae, ut liquet evidenter ex verbis: « aliae causae, *quae passim adduci solent*, v. g. corporalis infirmitas ,.. et *similia* ». Attamen, adiunctis locorum ac personarum perpensis, vix dari posse videtur alia causa quae non sit necessario reducenda ad unam vel alteram ex praedictis.

5. Istae causae habendae ne sunt tamquam *motivae* an potius uti *impulsivae*? Prima, nempe « *vere singularis benemerentia oratoris erga Ecclesiam vel religionem* », secundum stylum Curiae, est motiva seu finalis, ac proinde sufficiens censetur ad impetrandum oratorii domestici indultum ex benigna Sedis Apostolicae concessione. Ceterae causae sunt mere impulsivae, ita ut *de se* non sufficiant, nisi plures simul concurrant aut perficiantur aliquo excellenti beneficio vel liberalitate in quoddam pium opus ab Ordinario designandum, ut ipsamet Instructio innuit.

Ubi agitur de causis afferendis pro inducto postulando, prae oculis haberi oportet praescriptum can. 42, ne ob vitium subreptionis aut obreptionis Rescriptum S. Sedis nullitate laboret. Praeterea, quod attinet ad distantiam ab ecclesia ideoque ad grave incommodum ipsam adeundi, attendendum est iter *pedestre* — « ipsam (ecclesiam) *pedibus* adeundi ». Quare si oratori praesto sint alia media, v. g. via ferrea, usus vehiculi, currus etc., ita ut commode possit ecclesiam adire, causa iusta per se non exsistit.

6. Ecclesiae bonitas ac benignitas, in re tanti momenti, ex eo quoque apparet manifesto, quod Episcopi mitius agere possunt, ut ait Instructio, si privatum oratorium postuletur *ruri* erigendum, locis ab ecclesiis longe dissitis, praesertim si illud cedat non solum in commodum oratorum, sed etiam in bonum spirituale colonorum fundis addictorum atque fidelium vicinias incolentium, qui secus ob difficultatem adeundi ecclesiam pro implendo praecepto, Missae et catecheticae praedicationi quominus intersint physica aut morali impossibilitate prohiberentur,

Instructio sapienter monet Episcopos ut priusquam preces recipiant pro sacello privato *ruri* constituendo, instent ut oratores, non privatum, sed *publicum* ad normam iuris erigant oratorium in suis praediis vel possessionibus. Quomodo oratorium *privatum* seu domesticum potest erigi aut mutari in *publicum*? Praesupposita apta sacelli constructione architectonica, ita ut de via publica pateat fidelibus accessus ad illud, Episcopus, de consensu domini, debet oratorium divino cultui perpetuo dedicare per consecrationem vel benedictionem, concessa fidelibus facultate illud adeundi saltem tempore divinorum officiorum. Qua facta legitime erectione seu constitutione, eo ipso oratorium, noviter erectum aut quod prius mere privatum erat, iuridice exsistit qua *publicum*, ideoque Missa sine peculiari inducto in eo celebrari potest, immo aliae quoque sacrae functiones peragi possunt, salvo contrario praescripto rubricarum (can. 1191).

7. Tria notatu digna videntur quoad impetrationem et usum indulti:

1°. Preces pro indulto postulando commendandae sunt *personaliter* ab Episcopo (non autem a Vicario Generali, a parocho, etc.) aut, sede vacante, a Praelato eius successore in munere scil. a Vicario Capitulari vel Administratore Apostolico.

2°. Episcopus non solum potest, sed *Missam interdicere debet* in oratorio privato, si prudenti eius iudicio sacerdos saecularis vel religiosus celebrans in privato sacello, diebus dominicis et festis de praecepto *necessarius* sit ad celebrandum in ecclesia vel publico aut semi-publico oratorio, ne pars notabilis fidelium Missa privetur: contra Episcopi huiusmodi vetitum nihil omnino potest excipi.

3°. Ius designandi sacerdotem, sive saecularem sive religiosum, qui celebret in privato oratorio, *unice* et *exclusive* pertinet ad Episcopum, non autem ad indultarium eiusve familiam.

Praeterea ad Ordinarium ius et officium spectat visitandi oratorium domesticum atque ideo inspiciendi num omnia ad normam iuris constituta et asservata reperiantur. Si quid indecori vel inhonesti deprehendatur, illico amovendum. Suspensa interim manet facultas inibi celebrandi, donec abusus et incommoda penitus sublata fuerint. Recursus, si forte interpositus ad S. Sedem, habet effectum *in devolutivo* tantum.

8. Circa indultum *altaris portatilis* pauca adnotanda occurrunt.

a) Instructio, loquens de loco congruo ac decenti in quo altare portatile collocari debet, ita perspicue et accurate explicat: « Locus *decens* respicit qualitatem loci, scilicet requirit ut Missa non celebretur *in cubiculis in quibus aliquis dormire solet* »; additque: « Ad decentiam pertinet etiam locus immediatus nempe mensa super quam collocatur ara viatica: ne videlicet immunda sit neve profanis destinata usibus ». Id v. g. accideret si mensa adhiberi

soleret ad cibos sumendos, ad immunditias servandas et similia.

b) Preces pro implorando indulto altaris portatilis *personaliter* ab Episcopo commendandae sunt vel a Praelato eius successore in munere.

c) Ius et officium Ordinarii est sedulo vigilandi ne ex usu privilegii abusus oriantur. Si quid comperiat Ordinarius reverentiae divinis Mysteriis debitae repugnans, habet facultatem revocandi privilegii exercitium, qualibet personarum acceptione posthabita. Si abusus extra indultarii dioecesim contingant, huius loci Ordinarius debet interdicere privilegii exercitium in sua dioecesi et interea certiorem facere de re Ordinarium illius proprium, qui privilegii usum suspendet ac S. Congregationem de Sacramentis adibit postulans quid faciendum in casu.

d) Quilibet recursus ex parte indultarii est tantum in devolutivo.

9. De indulto celebrandi sine ministro duo videntur utiliter animadvertenda:

a) Instructio memorat quatuor casus in quibus ex communi Doctorum consensu fas est Sacrum facere sine ministro. Enumeratio dici nequit exclusiva; nam, praeter casus recensitos, alii quoque in praxi verificari possunt.

b) Clausula, quae ex mandato Ss.mi inserenda dicitur indulto litandi Missam sine ministro, nempe «*dummodo aliquis fidelis Sacro assistat*», non habet effectum retroactivum, seu respicit indulta in posterum concedenda, non autem ea quae antecedenter iam concessa fuere. Nec profecto negandum, quod iusta ac legitima causa interdum haberi queat, quae ab huiusmodi iuris mere ecclesiastici praescripto excuset.

10. De indulto asservandi Ss.mam Eucharistiam in sacello privato, haec animadvertenda censemus:

a) Inductum conceditur tantum in casibus extraordinariis, gravibus de causis, praevia personali Episcopi commendatione atque opportunis additis cautelis.

b) Ordinarius ne per modum quidem actus potest *per se* licentiam concedere ut Eucharistia asservetur in privato sacello, attento can. 1265, § 2. At in casu gravis et urgentis necessitatis procul dubio huiusmodi licentiam tribuere valet.

F. M. CAPPELLO S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

45. - Ss. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae Apostolicae *Priscam Goae*, 20 mart. 1946, quibus templum cuius titulus « Bom Iesus » in medio loco veteris Goae civitatis, intra fines patriarchatus Indiarum Orientalium exstans, privilegiis basilicae minoris honestatur (AAS XLI [3 oct. 1949] p. 486-489).

B — Litterae Apostolicae *Cuschensem antiquam*, 2 dec. 1946, quibus ecclesia, in honorem B. Mariae Virginis de Mercede Deo dicata, in civitate vulgo « Cuzco », basilicae minoris titulo honoribusque augetur (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 442-443).

C — Litterae decretales *Prophetica Isaiae verba*, 20 iul. 1947, quibus B. Ludovico Grignion de Montfort, sacerdoti, fundatori Presbyterorum missionariorum Societatis Mariae et Instituti Filiarum a Sapientia, sanctorum honores decernuntur (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 262-276).

D — Litterae Apostolicae *Mirabile itidemque*, 8 sept. 1947, quibus basilicae minoris honoribus decoratur ecclesia cathedralis Virodunensis in Gallia (AAS XLI [3 oct. 1949] p. 490-492).

E — Epistula *Binnen kurzem*, 20 febr. 1949, ad Em.um P. D. MICHAELEM tit. S. Anastasiae S. R. E. Presb. Cardinalem DE FAULHABER, archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, octogesimum aetatis annum feliciter explentem (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 278-282).

F — Constitutio Apostolica 3 mart. 1949, qua a vicariatu apostolico Lagosensi pars septentrionalis seiungitur, quae in praefecturam apostolicam Oyoënsem nomine erigitur (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 433-434).

G — Constitutio Apostolica 10 mart. 1949, qua a vicariatu apostolico de Stanley Falls, in posterum Stanleypolitano nuncupando, pars seiungitur, quae in novum vicariatum apostolicum, nomine Wambaënsem, erigitur (AAS [29 sept. 1949] p. 437-438).

H — Constitutio Apostolica 10 mart. 1949, qua praefectura apostolica de Bandjermasin, in archipelago Indonesiano ad vi-

cariatus apostolici gradum evehitur Bandjermasinensis nomine (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 439-440).

I — Constitutio Apostolica 10 mart. 1949, qua missio « sui iuris » de Bellary in Indiis orientalibus, in dioecesim erigitur sub nomine « Bellaryensis », quae suffraganea constituitur metropolitanae ecclesiae Madraspolitanae (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 435).

K — Litterae Apostolicae *Geminae sanctitatis,* 25 mart. 1949, quibus s. Bernardinus Realino, confessor, Carpensis civitatis ac dioecesis patronus constituitur aeque principalis cum s. Bernardino Senensi (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 443-445).

L — Constitutio Apostolica 30 apr. 1949, qua canonicorum capitulum in cathedrali ecclesia Leopoldinensi erigitur (AAS XLI [3 oct. 1949] p. 481-483).

M — Litterae Apostolicae *Inter vastam,* 3 maii 1949, quibus titulus ac privilegia basilicae minoris conferuntur ecclesiae abbatiali Ordinis Cistercensium Reformatorum, B. Mariae Virgini « de Gethsemani » dicatae, in civitate vulgo « Kentucky » intra fines Ludovicopolitanae archidioecesis (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 446-448).

N — Constitutio Apostolica 5 maii 1949, qua ab archidioecesi Bombayensi territorii pars seiungitur, quae in novam dioecesim Ahmedabadensem nomine erigitur (AAS XLI [3 oct. 1949] p. 483-486).

O — Allocutio 7 maii 1949, ad delegatos sodalitatis cui nomen « Union internationale des Associations Patronales Catholiques », ob nonum conventum internationalem Romae coadunatos (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 283-286).

P — Epistula *Nous ne sommes pas,* 14 maii 1949, ad Ec.mum P. D. RENATUM IOSEPHUM PIÉRARD episcopum Catalaunensem, ob sacra sollemnia octavo impleto saeculo a consecratione eiusdem cathedralis ecclesiae indicta (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 282).

Q — Nuntius radiophonicus 15 maii 1949, ad christifideles ob conventum eucharisticum e tota Peruvia in urbe « Cuzco » coadunatos (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 294-296).

R — Allocutio 17 maii 1949, in qua S. Pontifex magnificat sanctitatem Ioannae de Lestonnac, adstantibus christifidelibus qui Romam convenerant ad eius canonizationem celebrandam (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 286-291).

S — Allocutio 24 maii 1949, ad novum legatum Reipublicae Bolivianae (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 291-293).

T — Indictio universalis iubilaei anni sancti millesimi nongentesimi quinquagesimi, 26 maii 1949 (AAS XLI [6 iun. 1949] p. 257-261).

U — Litterae Apostolicae *Suae cathedralis*, 13 iun. 1949, quibus cathedralis ecclesia S. Agatae V. M., in civitate Gallipolitanae extans, titulo ac privilegio basilicae minoris decoratur (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 440-441).

V — Litterae Apostolicae *Paternum cor nostrum*, 13 iun. 1947, quibus sanctus Antonius Patavinus, ecclesiae universalis doctor, caelestis patronus praefecturae apostolicae de Siangtan in Sinis eligitur (AAS XLI [6 iul. 1949] p. 276-278).

X — Epistula *Auspicato sane contingit*, 16 iul. 1949, ad Rev.mum P. PETRUM SCHWEIGER, moderatorem generalem Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. Mariae Virginis, primo saeculo exeunte ab eadem Congregatione condita (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 448-450).

Y — Epistula *Decennium dudum expletur*, 1 sept. 1949, ad Em.mum P. D. ADAMUM STEPHANUM tit. S. Mariae Novae S. R. E. Presb. Cardinalem SAPIEHA, archiepiscopum Cracoviensem, atque ceteros Exc.mos PP. DD. Poloniae archiepiscopos, episcopos locorumque ordinarios (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 450-453).

Z — Nuntius radiophonicus 4 septembris 1949 christifidelibus datus e tota Germania, ob septuagesimum tertium conventum in urbe Bochum in Westfalia, coadunatis (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 458-462).

AA — Nuntius radiophonicus 4 septembris 1949 christifidelibus Helvetiae datus, ob conventum Unionis Popularis Catholicae Lucernae coadunatis (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 454-458).

46 - S. Congregatio pro Ecclesia Orientali

Decretum 15 iul. 1949 quo fines eparchiae Lycopolitanae Coptorum declarantur (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 463).

47 - S. Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 3 mart. 1949, quo dioecesis de Salem clero saeculari indigenae committitur (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 464).

Decretum 10 mart. 1949, quo vicariatum apostolicum de Stanley Falls deinceps « Stanleypolitanum » appellandum esse decernitur (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 465).

Decretum 10 mart. 1949, quo decernitur vicariatum apostolicum de Kassai Superiore deinceps « Luluaburgensem » esse appellandum (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 466).

Decretum 12 mart. 1949, quo decernitur vicariatum apostolicum Novae Guineae Neerlandicae deinceps « Amboinaënsem » appellandum esse (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 467).

Decretum 12 maii 1949, quo dioecesis Poonensis clero saeculari indigenae committitur (AAS XLI [3 oct. 1949] p. 512).

48 - S. Congregatio Rituum

In causis beatificationis et canonizationis:

Decretum 2 ian. 1949 introductionis causae pro beatificatione S. D. Iosephi Bedetti, sacerdotis saecularis e Tertio Ordine Servorum B. M. V. (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 569-571).

Decretum 25 febr. 1949 reassumptionis causae pro canonizatione beatorum Gregorii Grassi, episcopi Orthosiensis vicarii apostolici de Scian-si Septentr., modo archidioecesis Taeiüenensis, Francisci Fogolla, episcopi Bagensis, eius coadiutoris, Antonini Fantosati, episcopi Adraensis, vicarii apostolici Hunanensis Merid., modo dioecesis Hemceuvensis, ex Ordine Fratrum Minorum, et viginti sex sociorum martyrum (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 472-473).

Decretum 6 mart. 1949, de virtutibus pro beatificatione ven. S. D. Iuliani Maunoir, sacerdotis professi Societatis Iesu (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 474-476).

49 - De sacris ritibus

Decretum 18 aug. 1949, de lampade Ss. Sacramenti et de luminibus in sacris functionibus adhibendis (AAS XLI [29 sept. 1949] p. 476-477).

50 - Provisiones Ecclesiarum

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide praefecti sunt:

3 mart. 1949, R. D. Lurdu Mariadanen Selvanaden cathedrali ecclesiae de Salem.

10 mart. 1949, R. P. Ioannes Forest Hogan cathedrali ecclesiae Bellaryensi.

10 mart. 1949, R. P. Paulus Tobar Gonzales cathedrali ecclesiae Cuttackensi.

10 mart. 1949, R. P. Aemilianus H. Pillai O. M. I. titulari episcopali ecclesiae Bladiensi, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis hodierni episcopi Iaffnensis.

10 mart. 1949, R. P. Bernardus Mels, Congr. Imm. Cordis Mariae sodalis, titulari episcopali ecclesiae Belalitanae, qui constitutus est vicarius apostolicus Luluaburgensis.

10 mart. 1949, R. P. Iosephus Wittebols, Congr. Sac. S. Corde sodalis itu titulari episcopali ecclesiae Callipolitanae, qui constitutus est vicarius apostolicus Wambaënsis.

10 mart. 1949, R. P. Ioannes Groen, Miss. a S. Familia, titulari episcopali ecclesiae Sbidensi, qui constitutus est vicarius apostolicus Bandjermasinensis.

10 mart. 1949, R. P. Iosephus M. Garcia Grain O. P. titulari episcopali ecclesiae Alabadensi, qui constitutus est vicarius apostolicus Portus Maldonadi.

7 apr. 1949, R. P. Patritius Byrne, Soc. de Maryknoll pro miss. exter. sodalis, titulari episcopali ecclesiae Gazerensi, qui deputatus est delegatus apostolicus Koreae.

21 apr. 1949, R. P. Petrus Gratianus Grimm O. F. M. Cap. cathedrali ecclesiae Zinceuvensi.

21 apr. 1949, R. D. Leo D'Mello cathedrali ecclesiae Aimerensi.

21 apr. 1949, R. P. Laurentius Bianchi, Inst. Pont. a SS. Ap. Petro et Paulo et a SS. Ambrosio et Carolo pro miss. ad exter. gent. sac., titulari episcopali ecclesiae Chomatitanae, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis episcopi Scüamchiamensis.

21 apr. 1949, R. P. Evangelista Mac Bride O. F. M. titulari episcopali ecclesiae Aezitanae, qui constitutus est vicarius apostolicus de Kokstad.

5 maii 1949, R. P. Edwinus Pinto S. I. cathedrali ecclesiae Ahmedabadensi.

12 maii 1949, R. D. Andreas D'Souza cathedrali ecclesiae Poonensi.

12 maii 1949, R. P. Iosephus Rosenhammer O. F. M. titulari episcopali ecclesiae Amporensi, qui constitutus est vicarius apostolicus de Chiquitos.

Decretis eiusdem S. Congregationis nominati sunt:

1 apr. 1949, R. P. Owen McCoy, e Soc. Miss. Africae, praefectus apostolicus Oyoënsis.

3 iun. 1949, R. P. Anscharius Cremers O. F. M. praefectus apostolicus de Hollandia.

14 iul. 1949, R. P. Petrus Nel Ramirez a Sancto Thoma a Villanova O. R. S. A. praefectus apostolicus de Tumaco.

19 iul. 1949, R. D. Gerardus Valencia Cano, e Semin. de Yarumal pro miss. exter. praefectus apostolicus de Mitru.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

H. SCHMIDT, *Bullarium anni sancti.* Textus et documenta in usum exercitationum et praelectionum academicarum (Series theologica, 28), Romae, Ap. Aedes Universitatis Gregorianae, 14,5 × 21 cm., 159 pag.

II - Ex periodicis

CHRISTUS, Ann. 14 (1949), Num. 166 (sept.) — M. JIMÉNEZ, *El problema de la Juventud,* p. 763-768.

CHINA MISSIONARY BULLETIN, I (II), (1949), n. 1 (7) (Sept.) — TH. FITZGERALD, *Souls to be saved,* p. 15-21.

EPHEMERIDES LITURGICAE, LXIII (1949), fasc. III — P. BAYART, *De generali liturgica reformatione,* p. 318-322. — *a. b. Echi e commenti,* p. 323-324.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO, LIX (1948), fasc. IV (oct.-dec.) — D. LAZZARATO, *La sanatoria in radice. Sua essenza ed efficacia* (Cann. 1138-1141), p. 361-382.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, XLV (1949), fasc. 9-10 (sept.-oct.) — A. VAN KOL, *Psychiatrie en Religieus Leven,* p. 268-282. — H. PROESMANS, *De « eminens eruditio » van de Kerkleraar,* p. 300-303. — A. HAARSELHORST, *Onmaatschappelijkheid en Godsdienstbeleving,* p. 324-333.

RECHERCHES DE SCIENCE RELIGIEUSE, XXXVI (1949), n. 3 (iul.-sept.) — J. MOURUOUX, *Sur la conscience de la foi,* p. 422-454.

REVUE DIOCESAINE DE NAMUR, IV (1949), n. 4-5 (iul.-sept.) — A. SIMONET, *Qu'est-ce que l'oraison* (suite), p. 333-346.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, XXX (1949), fasc. VIII (aug.) — IL PROBLEMA DEL CINEMA: *Nota della redazione.* M. CASOTTI, *Come fu che andai al cinematografo*, p. 320-325; S. PILIA, *La potenza del cinema*, p. 326-327; G. TESSAROLO, *Ancora sul « cinema »*, p. 328-332. — Fasc. XII (dec.): L. OLDANI, *Catechismo del giubileo 1950*, p. 483-489.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, XV (1948), n. 5-12 (mai-dec.) — G. DODERO, *Il matrimonio condizionato nel diritto canonico e nel diritto civile*, p. 66-72.

SAL TERRAE, XXXVII (1949), n. 10 (oct.) — F. PAJARES, *Crisis de vocaciones sacerdotales*, p. 557-562.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

P. PETRUS ABELLÁN S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. FELIX ASENSIO S. I., S. Script. et theol. bibl. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. L. BENDER O. P., Prof. iur. can. in Pont. Inst. Angelico.

P. GULIELMUS BERTRAMS S. I., Prof. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. FELIX CAPPELLO, Prof. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. MICHAEL FABREGAS S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. AEMILIUS HERMAN S. I., Praes. Pont. Inst. Orientalis et Prof. iur. can. orientalis.

P. IOANNES M. HANSSENS S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. FRANCISCUS HURTH S. I., Cons. S. Congr. S. Off. et Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana.

Rev.mus D. I. PENDOLA, S. Rom. Rotae Promotor Iustitiae.

P. HERMANAUS SCHMIDT S. I., Prof. theol. dog. in Pont. Univ. Gregoriana.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM